


# C. VALERIUS
# CATULLUS
## VERONENSIS;

ET IN EUM

## JO: ANTONII VULPII

ELOQUENTIÆ PROFESSORIS

IN GYMNASIO PATAVINO

## NOVUS COMMENTARIUS

LOCUPLETISSIMUS.




PATAVII. CIƆIƆCCXXXVII.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS
Superiorum permissu, & cum Privilegio Excellentissimi
SENATUS VENETI ad Annos XV.

MAGNIFICÆ CIVITATIS

# VERONÆ

*DUUMVIRIS AMPLISSIMIS,*

COMITI MICHAELI RAMBALDO,

ET

COMITI CASPARI BEVILAQUÆ LACISIO

Joannes Antonius Vulpius.



UINAM *potissimum Novos Commentarios meos in Veterem Scriptorem* C. VALERIUM CATULLUM, VERONENSEM *Civem celeberrimum*, *ac Poetarum omnium Latinorum ele-*

*gantissimum teste A. Gellio, non inepto harum rerum existimatore, sum donaturus? nempe Magnificæ Civitati* VERONÆ, *cujus personam tenetis, Viri nobilissimi, Patriæquæ amantissimi*, COMES MICHAEL RAMBALDE, & COMES CASPAR BEVILAQUA LACISI, *qui Magistratum ab ea* VOBIS *mandatum summa fide geritis, Majorum dignitate ac vestra virtute mirum in modum ornatis. Venit ad* VOS *Poeta maximus lætus atque alacer, eodem vultu, eadem fiducia, qua olim ad Cornelium Nepotem, alterum vestræ Urbis decus, perrexit: sperat enim, se non minus honesto ac liberali hospitio acceptum iri. Nam si dum viveret, Historici*

*elo-*

*eloquentissimi gratia & amicitia floruit, nunc monumentis immortalibus in perpetuum victurus, apud eos Viros commorari desiderat qui non ipsi quidem Historiam scribant, sed in rebus egregiis agendis occupati, scribentibus argumentum & orationis copiam suppeditent. Enimvero, non tam eum lætari crediderim, quod mea industria & diligentia factum sit, ut ejus Poemata, reliquo situ ac squalore prorsus deterso, a studiosis bonarum artium legi libentius, & intelligi facilius possint; quam quod peregrinantem errantemque, ad complexum carissimorum quasi domum deduxerim. Hoc mihi reputanti magnam spem affert, me quoque humanitatis ve-*

*stræ*

*ſtræ non expertem futurum. Eſt enim* VERONENSIUM, *tanta Patriæ caritate commoveri, ut quæcumque ad ipſius dignitatem augendam, vel nomen illuſtrandum nonnihil conferre videantur, ea gratiſſimis animis excipiant, & præmiis quoque non vulgaribus remunerentur: Eſt* VERONENSIUM, *litterarum ſplendorem pulchritudinemque admirari, & litteratos homines benevolentia proſequi, ſtudiis fovere, honoribus decorare: Eſt* VERONENSIUM, *quæ ad animi cultum pertinent, in quo præcipue hominis excellentia & natura ſita eſt, rebus humilibus brevique perituris longiſſime anteponere. Id ſatis oſtendunt Opera egregia*

*quæ*

*quæ non ſolum priſcis ætatibus, verum etiam his proximis a* VERONENSIBUS *edita ſunt. Nam, ut res tempori magis obnoxias prætermittam, Sacras nimirum Ædes, Amphitheatra, Theatra, Nundinis deſtinatum Locum, Nobilium Virorum Domos ornatiſſimas, quæ omnia populari judicio magna & præclara habentur; nonne veſtrorum hominum indolem abunde teſtantur tot Bibliothecæ, tot Pinacothecæ, tot Romanæ Græcæque Inſcriptiones cura Viri ſummi* VERONAM *undique comportatæ? ſed præcipue tot Simulacra, memoriæ Civium doctiſſimorum poſteris prodendæ cauſſa, in frequentiſſimis Urbis regionibus collocata? Inter quæ, ut*

*de*

*de vetuſtioribus nihil dicam*, *eminent præcipue* HIERONYMI FRACASTORII, HENRICI NORISII, FRANCISCI BLANCHINI, & SCIPIONIS MAFFEJI *adhuc viventis*, *Effigies e marmore*, *virtutis præmia*, *laborum incitamenta*. *Quid ego nunc domeſtica ornamenta veſtra commemorem*, DUUMVIRI AMPLISSIMI? *quid Avorum laudes? quid antiquiſſimam nobilitatem?* RAMBALDI *Cives optimi & primarii* VERONÆ *ſemper habiti ſunt; neque dicere facile eſt, qui primi in hanc Familiam dignitates & magiſtratus intulerint. Si quis vero præteriti temporis memoriam repetere amet, ex hac Gente* GERARDUM *Epiſco-*

*pum*

*pum Civitatis Apulæ inveniet*; SILVESTRUM, SENATUS VENETI *Oratorem ad Rempublicam Florentinorum*, *qui etiam* GYMNASIUM *hoc nostrum* PATAVINUM *Rectoris nomine gubernavit*; FRANCISCUM, *Philosophum & Poetam*, *cujus exstat* De Sensibus *libellus*: *a reliquis nominandis abstineo*, *quos percensere longum esset*. BEVILAQUÆ LACISII, *ab* ANTONIO, *Loncisii*, *&* *Landemi*, *castellorum Bavariæ*, *Toparcha*, *originem ducunt*. *Hic sæculo* XI. *a* CHRISTO *nato*, *cum rei militaris gloria floreret*, *jussu* HENRICI II. *Cæsaris in Italiam venit*, *adversus exercitum Saracenorum*, *qui excursionibus & latrociniis hæc loca infe-*

*sta reddiderant, pugnaturus. Eorum porro impetu represso, Lacus* BENACI *perpetuus Gubernator ab eodem Principe creatus fuit; apud quem Lacum Arcem excitavit probe munitam, eamque* LONCISIUM *appellavit. hanc hodie corrupto vocabulo* LACISIUM *dicunt. Unde longo intervallo prodiit* ANTONIUS PARTHENIUS, *homo eruditus & quantivis pretii, non ex hac Gente, sed qui se* LACISIUM *a natali solo, ut videtur, dici voluit. Hic Poetæ nostro temporum injuria misere depravato, crassisque tenebris circumfuso, ut a paucissimis jam intelligi posset, medicam manum admovit, eumque primus omnium accurata Interpretatione explicatum ab interi-*

tu

*tu atque oblivione revocavit. Quem ego virum cum Hercule conferendum in his Commentariis meis debita laude numquam fraudavi; nisi enim labore, ingenio, doctrina salebrosam & implexam viam is aperuisset, aliorum qui postea secuti sunt, industria minus fortasse provecta esset. Non est instituti nostri singulos belli Duces, viros fortissimos, aut reliquos de Patriæ commodis bene meritos Cives, qui hanc Familiam e nobili nobiliorem in dies effecerunt, persequi diligentius: quot & quanti fuerint, Historiæ satis loquuntur. Unum tamen egregium virum silentio præterire nec debeo, nec possum,* COMITEM CAMILLUM BEVILAQUAM LACISIUM, *qui recen-*

*ti memoria, cum fortitudinis bellicæ laude præstaret,* REIPUBLICÆ VENETÆ *tantam opinionem attulit, fore se Majorum similem, ut ea ipsi Triremes suas, tamquam scientissimo gubernatori, haud semel credere non dubitaverit. In his tamen Majorum vestrorum virtutibus haud* VOBIS *conquiescendum putatis, Viri Præstantissimi; sed cum summa quæque ab iis ad* VOS *derivata sint, otio atque ignaviæ propterea non indulgetis, neque committitis, ut* IPSI VOBIS *umquam defuisse videamini. Accipite igitur hilari fronte Poetam vestrum, nec Novum ejus Interpretem aspernari velitis, non* VERONENSEM *quidem, sed quamquam ex* OROBIIS *paternum ge-*

nus

*nus ducentem*, *nunc vero* PATAVII *maximo* REIPUBLICÆ VENETÆ *beneficio Græcas Latinasque litteras e superiore loco tradentem*, *cum* VERONENSIBUS *tamen vestris arctissimo affinitatis & benevolentiæ vinculo conjunctum*: *ducta scilicet uxore ex* MOSCHINA *Familia*, *vetere istic atque honestissima*. *Valete*, *Viri Amplissimi*, *diu vivite*, &, *quod facitis*, *rem privatam & publicam bene ac feliciter gerite*.

PATAVII *Idibus Juniis Anno* CHRISTI CIƆ IƆCCXXXVII.

Pla-

## Plato in Alcibiade posteriori.

Ἔστι τε φύσει ποιητικὴ ἡ σύμπασα αἰνιγματώδης, καὶ οὐ τοῦ προστυχόντος ἀνδρὸς γνωρίσαι. i. e. *Universa vero poetica est natura sua ænigmatis involuta; ut non sit vulgaris hominis notitiam ejus habere.*

## Cicero lib. 3. de Legibus.

*Est iniqua in omni re accusanda, prætermissis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque selectio.*

# LECTORIBUS.



Nni ſunt viginti ſeptem, Lectores humaniſſimi, cum brevia illa Scholia noſtra in CATULLUM, TIBULLUM, PROPERTIUM lucem primum aſpexerunt. Juvenilis quædam audacia ( non diffiteor ) me ad ſcribendum impulerat: ætas enim illa plerumque majora ſuſcipit quam ſuſtinere poſſit: ac dummodo famæ celebritatem aucupetur, nihil præterea penſi habet. Capiebar etiam nitore ac munditiis Poetarum elegantiſſimorum, & me incorrupta Latini ſermonis integritas, lepoſque dicendi, quo illorum ſcripta maxime florent, mirifica voluptate afficiebat. Iccirco quæ iis evolvendis aſſidueque tractandis obſervaveram, apud me contineri non ſum paſſus: &, novo edito volumine, copiolas omnes quas jugi lectione collegeram, in apertum produxi. Inſtrumentum & ſupellex eruditionis minus lauta quidem erat; quæ tamen hominem adoleſcentem haud omnino dedeceret. Is profecto labor; quem hoc tempore ſatis æquo animo recordari non poſſum; aditum mihi ad laudem comparavit, &, cum ſemel verecundiæ fines tranſiiſſem, ut verbis utar M. Tullii, bene ac naviter in poſterum juſſit eſſe impudentem. Audiebam interea varia hominum de me judicia: erant enim qui opus illud qualecumque ſuſpicerent, erant qui ferendum exiſtimarent; non deerant rur-

rursus qui contemnerent, atque in eo jejunitatem & inopiam bonarum rerum accusarent. Quæ res cum me valde sollicitum haberet, conatus illos meos & ipse calumniari cœpi, ac tandem in animum induxi veterem telam retexere, ac novam ordiri. Quicquid igitur longo intervallo ex quotidiana optimorum auctorum consuetudine haurire & contrahere potui, utilioribus & uberioribus Commentariis instruendis totum seposui; si forte paupertatis opinionem delere aliquando possem, meque divitem jam effectum omnibus manifesto probare. *Catullo* igitur denuo illustrando manum admovi: ordo enim temporis ut ab eo inciperem, postulare videbatur. Ante omnia dedi operam, ut verba Poetæ quam emendatissima proferrem, germanasque lectiones seligerem, ac idoneis argumentis confirmarem: Isaaci Vossii præcipue fidem ac diligentiam secutus. Codicem præterea optimæ notæ, qui Patavii in Canonicorum Bibliotheca servatur, haud raro consului, nec non quæ ex tribus veteribus libris Bibliothecæ Saibantium, Nobilium Veronensium, PAULLUS GALEARDUS Canonicus Brixianus V. C. olim excerpserat, & mecum benigne communicaverat. Deinde Commentarios ipsos aggressus, nihil non explicatum relinquere statui: in qua quidem re studiosis adolescentibus, & reliquis discendi cupidis gratum facere volui; sic tamen ut ea sæpenumero in medio proponerem quæ doctis etiam viris placitura essent. Nemo igitur copiam fastidiat, nemo doctrina excellens exemplorum abundantiam rudioribus invideat: meminerit, libros thesauros esse oportere, unde sibi quisque necessaria & profutura depromere possit. Multis multa sunt opus: neque doctissimorum tantummodo rationem scriptores habere debent.

bent. Præterea, ut ait Ariſtoteles libro 1. Rhetoricorum, μᾶλλον σαφὲς ἔσται τὸ λεγόμενον, διὰ πλειόνων ῥηθέν: *magis apertum erit quod dicitur, pluribus verbis expoſitum*. Et illud Platonis verum eſt Dialogo 1. de Legibus: τὸ δὲ ἡ κατὰ φύσιν αὐτῶν διόρθωσις οὐκ ἂν δύναιτο ἄνευ μουσικῆς ὀρθότητος ποτὲ σαφὲς οὐδ' ἱκανῶς ἐν τοῖς λόγοις ἀπολαβεῖν· μουσικὴ δ' ἄνευ παιδείας τῆς πάσης οὐκ ἄν ποτε δύναιτο· ταῦτα δὲ παμπόλλων ἐστὶ λόγων. i. e. *At profecto recta & naturalis rerum tractatio non poteſt perſpicue, & enucleate, & quantum ſatis eſt, ſine exquiſito rectoque eruditionis uſu demonſtrari: nec eruditio ſine omni prope diſciplina: hac vero multum & longum ſermonem requirunt*. Id porro a *Catulli* Interpretibus fere neglectum videas, vel certe minus præſtitum, ut omnia cum fide explicarent, ut nodos omnes, quoad fieri poſſet, expeditos darent. Quod ne temere dictum arbitremini, vos ſcire velim, me clarorum virorum lucubrationes, quotcumque in *Catullum* aliquid non pœnitendum ediderunt, accurate perlegiſſe, cum ut ex alienis laboribus proficerem, tum ne actum agerem, & ne in plagii ſuſpicionem Ariſtarchis venirem. Quam tamen culpam ſatis me deprecatum eſſe cenſeo apud æquos rerum æſtimatores. Nam cum acciderit ſæpenumero, ut ſuperiorum Interpretum explicationes afferendæ mihi eſſent, quod eas neceſſarias judicarem, ſingula ſuis auctoribus reddidi nominatim, ac pro meritis unumquemque laudavi, neque alienæ gloriæ invidens, neque ulli nationi vel homini obtrectans. Utinam vero id antea ipſi feciſſent quorum dignitati pepercì: ſed nimirum, ut verba uſurpem Dionyſii Halicarnaſſei in Vita Lyſiæ, τὰ παρ' ἑτέροις εἰρημένα λαμβάνοντες, ὀλίγου δεῖν πάντες, οὐκ ἐν αἰσχύνῃ τίθενται τὸ ἔργον. *cum pæne cuncti ſumant quæ ab aliis dicta ſunt, eos minime pudet, non putant enim ſe rem turpem facere*. Excellunt porro, ſi quid video, in

explicando & emendando *Catullo* Achilles Statius, Josephus Scaliger, Isaacus Vossius, viri sane doctissimi, atque interioribus litteris instructissimi. Horum tamen labores minus interdum adolescentibus accepti, quod neque omnia difficilia & obscura persequantur, neque ad humiliora descendant, neque Græca interpretentur, & longius a proposito nonnumquam digrediantur; præcipue Vossius. Eloquentissimum se præstat Muretus hoc etiam genere scribendi: quis neget? sed a corruptis lectionibus non satis cavet ( sit suus veritati honos ) & in errores haud raro labitur. Quod attinet ad vetustiores Interpretes, Parthenium puta, Fuscum, Guarinum; candorem illi quidem ac juvandi studium ostendunt, optima etiam plura proferunt, quorum subsidio recentiores ulterius provehi potuerunt: vitio tamen temporum effectum est, ut cessare nonnumquam, & aliud agere viderentur. Quæ cum ita sint, operæ pretium iccirco me facturum existimavi, si perpetuo atque uberi Commentario Poetam elegantissimum omnino illustrandum suscepissem, ne qui ejus lectione capiuntur, aliquid præterea quod ad eum intelligendum conduceret, deesse clamitarent. Videbam porro, qui scriptoribus antiquis operam navant, eos aut de verbis emendandis veraque lectione stabilienda tantum esse sollicitos, rem Criticam & Grammaticam strenue curantes: aut sententiis ipsis lucem afferre, magno rudiorum commodo, nec minore voluptate. utrosque imitari studui. Quoniam vero primum illud a viris maximis abunde præstitum fuerat, in eo verecundus & parcior fui: alterum, in quo relictus erat industriæ locus, accuratius & copiosius ornavi, Hieronymi Columnæ, ac Dionysii Lambini, optimorum Interpretum,

quoad

quoad per vires licuit, rationem ſecutus. Nolim tamen, vos a me nova ſolum exſpectare, vetera omnia ac tralatitia reſpuere atque indignari paratos; quod ſæculi hujus faſtidium eſt: quotus enim quiſque adeo felix eſt in ſcribendo, ut Richardi Bentleji, viri præſtantiſſimi, acumen ingenii aſſequi poſſit, cujus in Horatium exſtant tot mirabiles conjecturæ? *pauci* ſane, *quos æquus amavit Juppiter*. At, ſi verum fateri volumus, nova delectant, vetera proſunt: ne dicam, plurimos eſſe quorum auribus & vetera ipſa nova & inaudita accidunt. ab his quoque gratia ineunda fuerat. Multa nihilominus exhibemus nova & noſtra, neque exigui ſane momenti; quamquam illa cum faſtu & exquiſito verborum apparatu non proponamus; a qua conſuetudine abhorremus. id enim eſt hominum ſuas cogitationes plus æquo mirantium, & fluctus in ſimpulo excitantium. Si qui totum opus perlegere voluerint, rem ita eſſe deprehendent: aliorum enim judicia nihil moror, qui tribus pagellis vix inſpectis, de opere prolixo, ac lima ſeveriore diutius elaborato ſententiam temere pronuntiant, iniqui & ingrati exiſtimatores: adhibent enim ſuperbiam in conſilium, malevolentiam, invidiam, inſcitiam, feritatem; neque doctorum virorum exiſtimationi, quam audacter lædere ac violare non verentur, neque ſuo pudori parcentes: unde inconſideratum, præceps, dementiſſimumque judicium exſiſtere neceſſe eſt. Horum conjuratione veritas interdum ſtatim emergere non poteſt: ſed tantiſper opprimitur, & in occulto detinetur, donec temporis longinquitas vim & conatus improborum debilitaverit: quod antequam fiat, ſæpius apud imperitos, qui rumoribus duci ſolent, boni ſcriptores debitæ laudis mercede fraudantur.

Sed ad propositum revertamur. Ea potissimum hoc nostro Commentario persecuti sumus quæ ad ritus & mores antiquorum, ad *μυθολογίας*, ad Latinæ linguæ proprietatem, ad rem poeticam metricamque cognoscendam pertinent, cujus rei dici vix potest quam negligentes interdum fuerint viri etiam in litteris principes. Hæc omnia spectantes, Indicem verborum omnium & locutionum *Catulli* confecimus, qualem ante nos protulit nemo: studiosis germanæ Latinitatis non mediocri adjumento futurum; prætermissis tamen nonnullis particulis, atque aliis voculis quæ frequentissime occurrunt in oratione: eas enim omnes notare, molesta res atque inutilis prorsus fuisset. Illarum tamen singulares & rariores quosdam usus & significationes indicavimus. Nonnumquam loci alicujus obscuri diversas & multiplices explicationes attulimus, veram sententiam omni ratione venati, eamque, ut ita loquar, indagine quadam cingentes, ne elaberetur: licere enim nobis existimavimus in re Grammatica & Poetica, quod Epicuro in Physicis licuit, qui rerum nonnullarum in abdito Naturæ delitescentium non unam tantum caussam proponi posse judicavit. Græcos Latinosque scriptores præcipuos cum *Catullo* comparavimus, & non semel explicavimus vel emendavimus: neque ab iis afferendis laudandisque abstinuimus qui recentiorem linguam Italicam scriptis eximiis ornaverunt: quamquam Dionysio Lambino, quem hominem facio plurimi, aliter olim visum fuerit: in Commentariis enim suis ad Horatium, ( * ) opere quantivis pretii, Ludovici Areosti sententiam illustrem laudaturus, Latine redditam protulit, quod religioni sibi duxerit,

( * ) *ad Oden 33. lib. 1.*

xerit, eam Italicis verbis, ut fuerat ab auctore litteris mandata, recitare. Nostro tempore severitas illa prisca nonnihil mitigata est; neque ab Italis tantum, verum etiam ab exteris Latine scribentibus Italica nostrorum scripta commemorari solent: quod vel ex Jani Broukhusii hominis Batavi Commentariis in *Tibullum* ac *Propertium* satis manifestum est. Postremo illud vos monitos velim, candidi Lectores, me in *Catulli* sententiis dilucidandis, quæ non raro perditorum nebulonum, καὶ ὑῶν τ' ἀπαιδείας licentiam & improbitatem verbis plerumque obscœnis tamquam in tabella pictam proponunt, maxime in Epigrammatis: ( reliqua enim poemata, si pauca excipias, graviora & castiora sunt ) diligenter cavisse, ne pruritum excitarem, aut oleum camino adderem: quamquam difficile admodum fuit, ebrii Poetæ sobrium agere Interpretem. Nonnulla tamen quæ hanc picem & sentinam immoderate olebant, Græcis verbis exposuimus, ut nonnisi ab eruditioribus intelligi possent, qui studio virtutis & honestatis, magis quam vulgus hominum, fere pertrahuntur. Haud raro etiam veneno medicamentum apposui, moresque veterum impuros acerba oratione sum insectatus: nihil enim prohibet, lascivos Poetas, ob sermonis elegantiam & proprietatem, versare, nequitiæ autem argumentorum, ut pios & Christianos decet, offensum & iratum esse. Nam alioqui & Boethius, vir sanctissimus, *Catullum* legit, quod ex ejus monumentis facile colligitur, & alii plurimi viri probi, & ab omni flagitio ac lascivia remotissimi.

Reliquum est, ut si nullis peperci laboribus, nullis vigiliis, nullis sumtibus, ut hoc Novo Commentario conscribendo atque edendo studiosorum rationibus prospice-

ſpicerem: ſi viris doctis quibuſcumque libenter aſſurrexi, nec ulli eorum honorem debitum detraxi: ſi Gallos, Germanos, Belgas, Britannos, perinde ac Italos meos, æquo jure parique benevolentia ſum complexus: ſi me a ferocitate, ἀλαζονίᾳ, contumelia, contradicendi libidine, petulanti joco, purum atque integrum ſervavi; vos orem atque obſecrem, ut viciſſim labori huic meo faveatis, reputantes cum animis veſtris, quantus & quam immanis fuerit. Cum enim hoc ab æquitate ac humanitate veſtra me impetraviſſe ſenſero, fortaſſe in *Tibullum* ac *Propertium* aliquid ſimile olim adornabo: ſin intelligam, me ſiniſtre exceptum ( quod μὴ γένοιτο ) non committam in poſterum, ut non ſine certiſſimo valetudinis, tranquillitatis, rei familiaris detrimento, *magno* ſcilicet *cum pretio atque malo*, labores irritos & ingratos ſuſcipiam. Valete.



De

# DE VITA
# CATULLI.



VALERIO CATULLO *Quinti* prænomen tribuit Josephus Scaliger, corruptissimi loci auctoritate fretus, ex Elegia ad Januam v. XII., testatus præterea, se in antiquo libro Jacobi Cujacii J. C. ita scriptum manifesto comperisse. Huic Scaligeri persuasioni pondus addit Joannes Harduinus, qui ad librum XXXVII. Naturalis Historiæ C. Plinii Secundi cap. VI. affirmat, in omnibus codicibus manu exaratis *Catullum Quintum* appellari. Consensus tamen eruditorum, atque editiones pæne omnes refragantur: quibus olim præiverat L. Apulejus Madaurensis, cum in Apologia priore, carminum quorumdam suorum lasciviam *Caji Catulli* nobilissimo exemplo defendit. Et certe librarii veteres, nominum similitudine decepti, Catulum Poetam cum *Catullo* sæpe confundunt: iccirco factum existimo, ut cum illi *Quintus* prænomen fuerit, huic etiam idem appingerent. Veronensem porro fuisse nostrum Poetam, liquido constat, cum ex Ovidio, Plinio majore, Martiale, Ausonio, cæterisque, tum ex ipsius testimonio, qui Carm. XXXI. ubi e Bithynia reversus Sirmionem lacus Benaci pæninsulam alloquitur, ad Larem domesticum salvum se advenisse gaudet. Natus est (si Hieronymus recte rationem subduxit, neque numeri in ejus Chronico depravati sunt) Olympiadis CLXXIII. anno II. ab Urbe vero condita DCLXVII. L. Cornelio Cinna, Cn. Octavio Coss. Quamobrem non injuria Lilius Gregorius Gyraldus Petrum Crinitum reprehendit, quod scribere non dubitaverit: *pro comperto haberi, Carmen de Passere Lesbiæ ad Virgilium missum fuisse, ob illud Martialis:* (*a*)

*Sic forsan tener ausus est Catullus*
*Magno mittere Passerem Maroni.*

Nam verisimile non est, *Catullum* septemdecim annis Marone grandiorem (natus est enim Maro, teste Hieronymo ac Donato, Olympiadis CLXXVII. anno III. ab Urbe vero condita DCLXXXIV. Cn. Pompejo Magno, M. Licinio Crasso primum Coss.) eidem adhuc puero tantum detulisse, ut nonnisi fronte perfricta, animoque obfirmato, ad ejus tribunal accedere posset. Præterea, *τὸ forsan*, quod est apud Martialem, argumenti vim omnino infringit.

Parentem habuit Valerium, ex honesta familia municipali, cujus nimirum hospitio, si Tranquillum audimus, (*b*) C. Julius Cæsar uti solitus fuerit. Non amplissimam quidem pecuniam possedit, utpote qui *sacculum suum aranearum plenum* (*c*) ingenue fateatur, Furiumque & Aurelium inter principes amicorum observaverit: quorum alteri *nec servus, nec arca, nec cimex erat:* (*d*) alterum *esuritionum patrem* (*e*) ipse festive appellat. Cumque

(*a*) *Lib.* 4. *Epigr.* 14. (*b*) *in Julio cap.* 73. (*c*) *Carm.* 13. (*d*) *Carm.* 23. (*e*) *Carm.* 21.

que divitum Romanorum familia maxima esset, neminem habuit *Catullus*

*Fractum qui veteris pedem grabati*
*In collo sibi collocare posset*. (*f*)

Patrimonio tamen satis lauto fuisse videtur, quod hominem eo loco natum deceret. Nam & Romæ, in urbe sumtuosa, diutius commoratus est, ibique amoribus operam dedit, ac fundum in agro Tiburtino possedit: navi sua in Pontum navigavit, ac se *Sirmionis herum* (*g*) appellare non veretur; quæ omnia profecto sunt hominis locupletis, & cui familiares copiæ non desint. Quod tamen genio indulgeret, convivia pararet, puellas a lenone redimeret, (*h*) nobilium amicitiis floreret, propterea in difficultate nummaria sæpius erat, villasque suas pignori opponebat. Hanc vero potissimum caussam fuisse crediderim quare cum Jurisconsultis & Oratoribus, puta cum Alpheno Varo, Licinio Calvo, Tullio Cicerone, assidue versaretur: homo scilicet ære alieno obstrictus, & forensibus negotiis distentus. Lucellum itaque alicunde corrasurus, Memmium prætorem in Bithyniam simul cum germano fratre secutus est, nullo tamen successu; idque ob prætoris ejusdem nimiam cupiditatem, vel certe negligentiam. Immo vero eum in provinciam Troadem venisset, fratrem suum, quem æque ac se ipsum diligebat, immatura morte præreptum amisit. Hujus postea cineribus, ex Asia in Italiam revertens, maximo mœrore parentavit: ejusque memoriam, ubicumque se obtulit occasio, mira pietate semper coluit. Navigatione demum absoluta, phaselum quo mare transmiserat, Castori & Polluci, habitis eo tempore navium servatoribus, illustri Carmine dedicavit.

Postquam ex ephebis excessit, in castris amoris cœpit stipendia facere: in primis autem Clodiam præstanti mulierem forma, quam mutato nomine Lesbiam vocare consuevit; Hypsithillam quamdam, Aufilenam Veronensem, & Juventium puerum deperiit. Amores quoque suos mollissimis versibus complexus, eo scribendi genere haud minorem consecutus est gloriam, quam sublimi vereque divino Æneidos poemate vates Mantuanus. Amici ejus plurimi enumerantur: Cornelius Nepos, cui libellum suum muneri misit; Verannius & Fabullus; Furius & Aurelius; Licinius Calvus Orator vehemens, & nobilis Poeta, quem prisci scriptores fere semper *Catullo* adjungunt; Alphenus Varus J. C.; Cæcilius, qui de Matre Deorum Poema conscripserat; Manlius Torquatus, e gente patricia Romana, cujus nuptias elegantissima Ode celebravit, & ad quem est Epistola illa quam tanti Muretus fecit; Cinna Zmyrnæ auctor; Cornificius, fortasse ille cujus esse Rhetoricorum ad Herennium libros quatuor, nonnulli putavetunt; Hortalus Poeta mediocris; Cato, non ille Uticensis, morum severitate insignis, at Litterator quidam, cujus mentionem facit Suetonius in libro de Illustribus Grammaticis cap. XI. denique Cœlius Veronensis. M. Tullium Ciceronem in caussa forensi (quænam ea fuerit, ignoratur) videtur patronum adhibuisse, cui profecto ob acceptum beneficium venusto Epigrammate gratias agit. Quamquam igitur Asinium Pollionem diligeret, hominem Ciceroni tantopere infestum, a Tullio colendo non abstinuit: sed videlicet Asinius mortuo demum *Catullo* & Cicerone ipso, adversus eximii Oratoris manes inimicitias exercuit: nam *Catullo* florente, ac hendecasyllabos scribente *puer* (*i*) adhuc

(*f*) *Carm.* 10. (*g*) *Carm.* 31. (*h*) *Carm.* 101. (*i*) *Carm.* 12.

adhue erat. Jambicis & Phalæciis versibus in pessimos quosque homines, nullo discrimine invectus est: neque ipsi Cæsari, quantumvis rerum potito, pepercit, quin calami aciem in *sinistram* ejus *liberalitatem*, (*k*) aliaque vitia distringeret. Mamurram, Gellium, Vatinium, Vettium, Cominium, quos vehementer oderat, propriis nominibus per ora hominum traduxit, ac styli acerbitate confixit. Lusit præterea in Volusium, ineptum (ut ipse quidem existimabat) Annalium scriptorem: in rivalem Egnatium malum Poetam: in Suffenum, quem Cæsiis & Aquiniis litterarum venenis annumerat: postremo in Sextium Oratorem, cujus frigidissima oratione molestam gravedinem se contraxisse, per jocum affirmat.

Græcis litteris non leviter imbutum fuisse, ex eo colligi potest, quod suavissimam Oden Poetriæ Sapphûs, & Callimachi Elegiam de Coma Berenices mundissimis carminibus Latine reddiderit: ob id etiam fortasse a Tibullo, Ovidio, Martiale *doctus* appellatus. Et iccirco mirum videri debet, Julium Scaligerum, ea virum eruditione, quodque non minimum est, Veronensem, ideoque municipi suo saltem hoc nomine devinctum, hæc de *Catullo* monumentis mandavisse: *Catullo docti nomen quare sit ab antiquis attributum, neque apud alios comperi, neque dum in mentem venit mihi; nihil enim non vulgare est in ejus libris.* (*l*) Quamquam postea mutato consilio, qui mos est homini, παλινῳδίαν canere cogatur, *Galliambicum* ejus carmen *divinum* autumans, & poema de Nuptiis Pelei ac Thetidos, *verum aditum & gradum ad Æneidos divinitatem* esse pronuntians. Nonne probabilius de *nugis* Poetæ nostri Cornelius Nepos, vir gravissimus, judicium tulerat, cum eas *esse aliquid putabat?* Nonne benignius, & justius cum ipso egere Pompejus Saturninus, ac Sentius Augurinus, quorum uterque, teste Plinio in Epistolis, (*m*) Catulliani carminis imitationem sibi gloriæ fore augurabantur? Sed hæc alias: nunc id quod cœpimus, agamus. Quinctilianus & Diomedes inter Poetas Jambicos *Catullum* reponunt. Ante Horatium profecto jambicis versibus gloriam *Catullus* adeptus fuerat, ut falso scripserit Horatius Epist. XIX. lib. I.

*- - - - Parios ego primus iambos*
*Ostendi Latio - - - -*

Hieronymus Lyricis annumerat: reliqui Epigrammatographis. Ego vero, si modo fas est meam sententiam aperire, Variis potius adjungerem; nam certe in ejus poematis nonnulla excedunt Epigrammatis modum. Ambigitur jure a nonnullis, utrum hæc solum paucula quæ hodie exstant, ab illo scripta fuerint, an vero longe plura, quæ vetustas nobis inviderit. Ansam ad dubitandum dat Plinius, qui de Incantamentis aliquid a *Catullo* exaratum (*n*) innuit, cujus ne vestigium quidem superest. Et *Catullus* ipse affirmat Carm. LXVII. v. XVII. se *satis multa lusisse*,

*Jucundum quum ætas florida ver ageret.*

Nisi Raphaeli Eglino Iconio Tigurino auscultare velimus, (*o*) qui Ceirin, poema elegantissimum, a Virgilio abjudicans, *Catullo* attribuit, propter styli similitudinem. *Catulli* profecto esse videntur tria Carmina in Pria-

d

(*k*) *Carm.* 29. (*l*) *in Hypercritico, seu lib.* 6. *Poetices, cap.* 6. (*m*) *Lib.* 1. *Epist.* 16. *Lib.* 4. *Epist.* 27. (*n*) *Lib.* 28. *Nat. Hist. cap.* 2. (*o*) *In Vindiciis Ceiris Catulliana adversus Jos. Scaligerum.*

Priapum, quæ doctis viris nonnullis post Carmen XVII. collocare placuit: non ita dissimili sunt oratione, ac stylo. Quod e puris jambis confectum est, Phaseli nitorem proxime attingit: & quædam in iis continentur quorum imitatio in Eclogis Virgilianis apparet; Virgilius enim a *Catullo* plura sumsit: tum comparativum *ostreosior* Carm. XVIII. auctorem suum satis clamat; hujusmodi enim comparativis longioribus *Catullus* mirifice delectatur. Neque Terentiano Mauro, vetusto atque emunctæ naris Grammatico, repugnare ausim, qui testatur, *Catullum* plures versus eo Priapejo sive Antispastico metri genere composuisse. Decessit Poeta noster annos aliquot natus ultra quadraginta, ut adversus Eusebii Chronicon ostendo ad ejus Carmen LII. & CXI.



NON-

# NONNULLA VETERUM SCRIPTORUM DE C. VALERIO CATULLO TESTIMONIA.

*Cornelius Nepos in T. Pomponio Attico cap.* 12.
Idem L. Julium Calidium, quem post Lucretii *Catulli*que mortem, multo elegantissimum Poetam nostram tulisse ætatem, vere videor posse contendere, . . . . . . . . . . expedivit.

*Horatius Satyra* 10. *lib.* 1.
Nil præter Calvum & doctus cantare *Catullum*.

*Tibullus lib.* 3. *Elegia* 6.
Sic cecinit pro te *doctus*, Minoi, *Catullus*.

*Propertius lib.* 2. *Elegia* 19. *Edit. Brouk.*
Ista meis fiet notissima forma libellis:
Calve, tuâ veniâ; pace, *Catulle*, tua.

*Idem lib. eodem Elegia* 25. *E. B.*
Hæc quoque lascivi cantârunt scripta *Catulli*,
*Lesbia* queis ipsâ notior est Helenâ.

*Ovidius lib.* 3. *Amorum Elegia* 9.
Obvius huic venias, hederâ juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, *docte Catulle*, tuo.

*Idem libro eodem Eleg.* 15.
Mantua Virgilio gaudet, *Verona Catullo*.

*Idem lib.* 2. *Tristium*, *versu* 427.
Sic sua lascivo cantata est sæpe *Catullo*
Femina, cui falsum *Lesbia* nomen erat.
Nec contentus eâ, multos vulgavit amores,
In quibus ipse suum fassus adulterium est.

*Vellejus Paterculus Historia Romana lib.* 2. *cap.* 36.
Quis enim ignorat, diremtos gradibus ætatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium . . . . . . . . . . . . . . . . . auctoresque carminum Varronem ac Lucretium, neque ullo in suscepti operis sui carmine minorem *Catullum*?

*M. Seneca Rhetor Controversia 19.*

Erat enim ( *Calvus* ) parvulus: ſtaturâ; propter quod etiam *Catullus* in Hendecaſyllabis vocat illum *ſalaputium diſertum*.

*Vide Carmen* Catulli 53.

*L. Seneca Philoſophus in Apocolocyntoſi Claudii Cæſaris.*

Nec mora, Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos:
*Illuc unde negant redire quemquam.*
*verſus eſt* Catulli *e Carmine* 3.

*Plinius major Præfatione Hiſt. Naturalis.*

Namque tu ſolebas meas eſſe aliquid putare nugas, ut objicere moliar *Catullum* conterraneum meum: ( Agnoſcis & hoc caſtrenſe verbum ) Ille enim, ut ſcis, permutatis prioribus ſætabis, duriuſculum ſe fecit, quoniam volebat æſtimari ea a Veraniolis ſuis & Fabullis.

*Vide Carmen* 1. *&* 12. *Poetæ noſtri.*

*Idem lib.* 28. *cap.* 2.

Hinc Theocriti apud Græcos, *Catulli* apud nos, proximeque Virgilii, incantamentorum amatoria imitatio.

*Idem lib.* 36. *cap.* 6.

Hic namque eſt Mamurra *Catulli Veronenſis* carminibus proſciſſus, quem & res, & domus ipſius clarius quam *Catullus*, dixit habere quidquid habuiſſet comata Gallia.

*Vide Carmen* 29. *noſtri Poetæ.*

*Idem lib. eodem cap.* 21.

Sed & ii pumices qui ſunt in uſu corporum lævigandorum feminis, jam quidem & viris, atque, ut ait *Catullus*, libris.

*Vide Carmen* 1. *&* 22.

*Idem lib.* 37. *cap.* 6.

Nonius Senator, filius Strumæ Nonii ejus quem *Q. Catullus* Poeta in ſella curuli viſum indigne tulit.

*Vide Carmen* 52.

*Plinius junior Epiſtola* 16. *lib.* 1.

Facit verſus ( *Pompejus Saturninus* ) quales *Catullus* meus, aut Calvus. Quantum illis lepóris, dulcedinis, amaritudinis inſerit! Sane, ſed data opera molliuſculos leviuſculoſque, duriuſculos quoſdam: & hoc quaſi *Catullus* meus, aut Calvus.

*Idem Epiſtola* 14. *lib.* 4. *loquens de Hendecaſyllabis.*

Scimus alioqui, hujus opuſculi illam eſſe veriſſimam legem, quam *Catullus* expreſſit: *Nam caſtum eſſe decet pium Poetam Ipſum &c.*

*Vide Carmen* 16.

*Sentius Augurinus apud eundem Epiſt.* 27. *lib.* 4.

Canto carmina verſibus minutis,
His olim quibus & meus *Catullus*,
Et Calvus, vetereſque - - - - - -

Cor-

*Cornelius Tacitus lib. 4. Annalium in Oratione Cremutii Cordi.*
Carmina Bibaculi & *Catulli* referta contumeliis Cæsarum leguntur.

*Juvenalis Satyra 6. v. 7.*
- - - - - Haud similis tibi, Cynthia; nec tibi, cujus
Turbavit nitidos exstinctus *Passer* ocellos.

*Suetonius in Julio cap. 73.*
*Valerium Catullum*, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita, non dissimulaverat, satisfacientem eadem die adhibuit cœnæ: hospitioque patris ejus, sicut consueverat, uti perseveravit.

*Quinctilianus lib. 1. Instit. Oratoria cap. 5.*
Sicut *Catullus ploxemum* circa Padum invenit.
*Vide Carmen 96.*

*Idem lib. eodem cap. 10. ubi de aspirationibus.*
Erupit brevi tempore nimius usus, ut *chorona*, *chenturiones*, *prachones* adhue quibusdam inscriptionibus maneant; qua de re *Catulli* nobile Epigramma est.
*Vide Carmen 83.*

*Idem lib. 6. cap. 3.*
Et *Catullus* cum dicit:
*Nulla in tam magno est corpore mica salis*,
non hoc dicit, nihil in corpore ejus esse ridiculum.
*Vide Carmen 85.*

*Idem lib. 10. cap. 1.*
Jambus non sane a Romanis celebratus est, ut proprium opus; a quibusdam interpositus: cujus acerbitas in *Catullo*, Bibaculo, Horatio.

*Meminit praterea de* Catullo *Quinctilianus lib. 9. cap. 3. & 4. item lib. 11. cap. 1. & 3.*

*Martialis lib. 1. Epigr. Epistola ad Lectorem.*
Lascivam verborum veritatem, idest Epigrammaton linguam, excusarem, si meum esset exemplum; sic scribit *Catullus*, sic Marsus, sic Pedo, sic Getulicus, sic quicumque perlegitur.

*Idem lib. 1. Epigram. 62.*
Verona *docti* syllabas amat *Vatis*.

*Idem lib. 2. Epigram. 71.*
Protinus aut Marsi recitas, aut scripta *Catulli*.

*Idem lib. 4. Epigram. 14.*
Sic forsan tener ausus est *Catullus*
Magno mittere *Passerem* Maroni.

*Idem lib. 5. Epigr. 5.*
Sit locus & nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quaque *Catullus* erit.

Mar-

*Martialis lib. 7. Epigram.* 14.

Accidit infandum noſtræ ſcelus, Aule, puellæ:
Amiſit luſus, deliciaſque ſuas.
Non quales teneri ploravit amica *Catulli*
*Leſbia*, nequitiis *Paſſeris* orba ſui.

*Idem lib.* 8. *Epigram.* 73.

*Leſbia* dictavit, *docte Catulle*, tibi.

*Idem lib.* 10. *Epigram.* 78.

Nec multos mihi præferas priores,
Uno ſed tibi ſim minor *Catullo*.

*Idem lib. eodem Epigr.* 103.

Nec ſua plus debet tenui Verona *Catullo*.

*Idem lib.* 12. *Epigr.* 44.

*Leſbia* cum tenero te poſſet amare *Catullo*.

*Idem lib.* 14. *Epigram.* 77. *quod inſcribitur Cavea Eborea*.

Si tibi talis erit, qualem dilecta *Catullo*
*Leſbia* plorabat, hic habitare poteſt.

*Idem lib. eodem Epigr.* 100.

Si non ignota eſt *docti* tibi terra *Catulli*,
Potâſti teſta Rhætica vina meâ.

*Idem lib. eodem Epigram.* 195.

Tantum magna ſuo debet *Verona Catullo*,
Quantum parva ſuo Mantua Virgilio.

*Vide & Epigramma* 152. *ejuſdem libri*.

*A. Gellius Noct. Attic. lib.* 7. *cap.* 20.

*Catullus* quoque elegantiſſimus Poetarum.
*& infra eodem capite*.

*Idem lib.* 19. *cap.* 9.

Ecquis noſtrorum Poetarum tam fluentes carminum delicias feciſſet? niſi *Catullus*, inquiunt, forte pauca, & Calvus itidem pauca.
*Vide eundem lib.* 6. *cap.* 16.

*Auſonius Drepanio Pacato Latino*.

*Cui dono lepidum novum libellum?*
*Veronenſis* ait *Poeta* quondam,
Inventoque dedit ſtatim Nepoti.

*Macrobius lib.* 2. *Saturnal. cap.* 1.

Saturnalibus, optimo dierum, ut ait *Veronenſis Poeta*.
*Vide Carmen* 14.

*L. Apu-*

*L. Apulejus in Apologia.*

Eâdem igitur operâ accusent *C. Catullum*, quod *Lesbiam* pro Clodia nominârit.

*Sidonius Apollinaris Epistola* 10. *lib.* 2.
*ad Hesperium.*

Reminiscere quod sæpe versum complevit *Lesbia* cum *Catullo*.

*Severinus Boethius de Consolat. Philosophiæ Lib.* 3. *Prosâ* 4.

Num vis ea est magistratibus, ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant? Atqui non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent. quo fit, ut indignemur, eos sæpe nequissimis hominibus contigisse. unde *Catullus* licet *in curuli Nonium sedentem, strumam* appellat.

*Vide Carmen* 52.

*Diomedes Grammaticus lib.* 3. *cap.* 6. *de Jambico.*

Cujus carminis præcipui scriptores apud Græcos Archilochus, Hipponax, apud Romanos Lucilius, & *Catullus*, & Horatius, & Bibaculus.

*Terentianus Maurus in Tractatu de Litteris, Syllabis, Pedibus, & Metris, v.* 838. *ubi de Phalacio hendecasyllabo.*

Exemplis tribus hoc statim probabis,
*Doctè* carmine quæ legis *Catulli. &c.*

*Idem Tractatu eodem v.* 1031.

*Hunc lucum tibi dedico, consecroque, Triape, &c.*
Et similes plures sic conscripsisse *Catullum*
Scimus - - - - - -

*Vide Carmen* 18.



DE

# DE METRIS
# CATULLI
## ΔΙΑΤΡΙΒΗ'.

VERSUUM genera quibus in Epigrammatis ceterisque Poematis utitur CATULLUS, numero quatuordecim occurrunt. Principem locum obtinet Phalæcius hendecasyllabus, qui constat e spondæo, dactylo, ac tribus trochæis, hoc pacto:

*Quoi do -- no lepi -uu dum no -u vum li -u bellum -u*

In prima tamen sede apud antiquiores Poetas trochæum, vel jambum loco spondæi nonnumquam recepit, ut in sequentibus:

*Ari -u da modo -uu pumi -u ce expo -u litum -u*
*Meas u- esse ali -uu quid pu -u tare -u nugas -u*

In altera Poeta noster Carmine 57. versu 7. ereticum sive amphimacrum semel usurpavit:

*Uno in -- lectulo -u- eru -u ditu -u li ambo -u*

Versus autem ille initio Carminis 40.

*Quanam te mala mens, miselle Ravide,*

hypermeter est, sive unâ syllabâ redundans. quem hac ratione metimur, ut postrema syllaba per synalœphen elidatur a prima subsequentis, quæ incipit a vocali:

*Quanam -- te mala -uu mens, mi -u selle -u Ravi -u de Agit u-*

Hoc primo genere versus utitur *Catullus* tricies novies, videlicet Carmine 1. 2. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 21. 23. 24. 26. 27. 28. 32. 33. 35. 36. 38. 40. 41. 42. 43. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 53. 54. 56. 57. 58.

II. Sequitur secundo loco Jambicus trimeter, seu senarius, acatalectus. Hic sex pedibus constat, qui omnes possunt esse jambi, ut:

*Ait u- fuis u- se na u- vium u- celer u- rimus u-*

Interdum vero in locis disparibus, puta in primo, tertio, quinto spondæus admittitur, pes jambo ἰσοσύλλαβος, etsi non ἰσόχρονος: nonnumquam etiam imparisyllabi, ut anapæstus uu- dactylus, tribrachys uuu. At in locis paribus, nempe secundo, quarto, ultimo, extra Comœdiam, & fabulas Phædri Æsopias comico fere stylo scriptas, præter jambum vel tribrachyn ceteri pedes vix recipiuntur. Exempla mixti Jambici:

*Sella in -- curu u- li Stru -- ma No u- nius u- sedet u-*
*Per con -- sula u- tum pe -- jerat u- Vati u- nius u-*

Hoc genere *Catullus* utitur quater, nimirum Carmine

4. *Phaselus ille, quem videtis, hospites.*
20. *Ego hac, ego arte fabricata rusticâ.*
29. *Quis hoc potest videre, quis potest pati.*

hæc porro tria Carmina constant e Jambicis puris.

52. *Quid est, Catulle, quod moraris emori?*

E mixtis hoc Jambicis est.

III. Sue-

III. Succedit superioribus Choliambus, sive Scazon, in omnibus praecedenti conveniens, si duos ultimos pedes excipias; etenim ordine praepostero quintus pes semper est jambus, ultimus semper spondaeus; ut:

*Fulse -- re quon ∪- dam can -- didi ∪- tibi ∪- soles --*

Hoc genus a Catullo septies adhibetur:

Carmine 8. *Miser Catulle, desinas ineptire.*
22. *Suffenus iste, Vare, quem probe nôsti.*
31. *Paninsularum, Sirmio, insularumque.*
37. *Salax taberna, vosque contubernales.*
39. *Egnatius, quod candidos habet dentes.*
44. *O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs.*
59. *Bononiensis Rufa Rufulum fellat.*

IV. Quarti generis est Sapphicus hendecasyllabus, qui constat è trochaeo, spondaeo, dactylo, & rursum duobus trochaeis, ut:

*Sive in -∪ extre -- mos pene -∪∪ trârit -∪ Indos -∪*

quamquam interdum Poeta noster altera in sede trochaeum collocaverit. Exempla sunt:

*Seu Sa -∪ cas sa -∪ gittife -∪∪ rosque -∪ Parthos -∪*
*Pauca -∪ nunti -∪ ate me -∪∪ a pu -∪ ellae -∪*
*Oti -∪ um, Ca -∪ tulle ti -∪∪ bi mo -∪ lestum est -∪*

Illi autem versus abundant semipede, qui absorbetur a prima vocali subsequentis:

*Nullum amans vere, sed identidem omnium.*
*Qui illius culpa cecidit, velut prati.*

In eo autem non servatur synaloephe, sed hiatus relinquitur quarto loco:

*Galli -∪ cum Rhe -- num horribi -∪∪ lesque -∪ ulti -∪*

Hoc genere versus utitur *Catullus* bis, nimirum in duabus Odis, quarum utraque est dicolos tetrastrophos; constant enim ex duplici genere versuum, Sapphico, & Adonio, singulaeque earum strophae quaternis versibus concluduntur:

Carm. 11. *Furi, & Aureli, comites Catulli.*
51. *Ille mî par esse deo videtur.*

V. Quinti generis est Adonius, versiculus exiguus, qui constat dactylo, & spondaeo, ut:

*Illia -∪∪ rumpens --*

Utitur eo *Catullus* bis, ut paullo ante diximus.

VI. Ad sextum genus pertinet Trochaicus Stesichorius, quem Antispasticum etiam vocant, Priapejum, & Angelicum: qui versus constat sex pedibus: choreo vel spondaeo, dactylo, cretico -∪- rarius dactylo, iterum choreo vel spondaeo, iterum dactylo, postremum choreo, ut:

*Et sa -∪ lire pa -∪∪ ratum habes -∪- sed ve -∪ reris in -∪∪ epta -∪*
*Quemdam -- munici -∪∪ pem meum -∪- de tu -∪ o volo -∪∪ ponte -∪*
*Nutri -∪ o, magis -∪∪ & magis -∪∪ ut be -∪ ata quot -∪∪ annis. -∪*
*Pro queis -- omnia ho -∪∪ noribus -∪∪ hae nec -∪ esse Pri -∪∪ apo -∪*
*In fos -- sa Ligu -∪∪ rî jacet -∪- subper -- nata se -∪∪ curi. -∪*
*Tantum -- dem omnia -∪∪ sentiens -∪- quam si -- nulla sic -∪∪ usquam -∪*
*Quercus -- arida -∪∪ rusticâ -∪- confor -- mata se -∪∪ curi -∪*

 *Alter*

*Alter -- parva fe -uu rens manu -u- semper -- munera -uu largâ -u*
utitur eo versu *Catullus* ter, nimirum:
Carm. 17. *O Colonia, quæ cupis ponte ludere ligneo.*
18. *Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape.*
19. *Hunc ego, juvenes, locum, villulamque palustrem.*

VII. Septimi generis est Jambicus tetrameter catalectus, qui constat septem pedibus, & cæsurâ in fine. Ad eum porro faciendum servantur omnia quæ ad Jambicum trimetrum pertinent. Exemplum sit:
*Remit u- te pal u- lium u- mihi u- meum u- quod in u- volâ u- sti u*
In illo versu est amphibrachys u-u secundo loco, anapæstus tertio:
*Quum de -- via mu u-u lier a uu-lites u- osten -- dit ou-scitan u-tesu*
in illo autem spondæus loco septimo:
*Invi -- sa tur u- piter u- tibi u- flagel u- la con u- scribil -- lent u*
*Catullus* hunc adhibet semel Carmine 25.
*Cinæde Thalle, mollior cuniculi capillo.*

VIII. Octavi generis est Choriambicus, qui constat quinque pedibus, nimirum spondæo, tribus choriambis -uu- & pyrrhichio, ut:
*Ventos -- irrita fer -uu- & nebulas -uu- aërias -uu- finis uu*
Hoc versus genere conscripta est Horatii Ode 18. lib. 1.
*Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem.*
Utitur eo *Catullus* semel Carmine 30.
*Alphene immemor, atque unanimis false sodalibus.*

IX. Noni generis est Pseudo-phalæcius ὑπεροχόλαβος, qui fit ex duobus spondæis, ac tribus choreis, ut:
*Femel -- las o -- mnes a -u mice -u prendi -u*
*Quas vul -- tu vi -- di ta -u men se -u reno -u*
interdum spondæo, & quatuor choreis; cujusmodi:
*Te in cir -- co te in -u omni -u bus li -u bellis -u*
Tribrachys autem loco spondæi prima in sede positus, occurrit illo versu:
*Cameri uuu um mihi -uu pessi -u ma pu -u ella -u*
Utitur eo *Catullus* semel, quamvis intermisceat legitimos hendecasyllabos, Carmine 55.
*Oramus, si forte non molestum est.*

X. Decimi generis est Glyconius, qui fere constat spondæo, & duobus dactylis, ut:
*Jam ser -- vire Tha -uu lassio -uu*
At Veronensis Poeta sæpenumero trochæum usurpat in prima sede; cujusmodi sunt illi:
*Cinge -u tempora -uu floribus -uu*
*Suave o -u lentis a -uu maraci -uu*
*Flamme -u um cape -uu latus huc -uu*
*Huc ve -u ni nive -uu o gerens -uu*
aliquando jambum, ut in hoc:
*Puel u- la & pue -uu ri integri -uu*
Utitur eo *Catullus* bis, nempe in duabus Odis, quarum prima est dicolos tetrastrophos, constat enim e Glyconio versu & Pherecratio; singulæ porro ejus strophæ quaternis versibus finiuntur: altera est dicolos pentastrophos, quæ

quæ iisdem versuum generibus conscripta est, sed strophas habet e quinis versibus.

Carmine 34. *Dianæ sumus in fide.*
60. *Collis o Heliconii.*

XI. Undecimi generis est Pherecratius, qui fere constat spondæo, dactylo, atque iterum spondæo, ut:

*Exer -- cete ju -υυ ventam --*

*Catullus* tamen in prima sede frequentius trochæum collocat; cujusmodi sunt:

*Lute -υ um pede -υυ socerum --*
*Frige -υ raus Aga -υυ nippe --*
*Semper -υ ingene -υυ rari --*
*Sospi -υ tes ope -υυ gentem --*

nonnumquam & jambum, ut in illis:

*Puel υ- laque ea -υυ namus --*
*Hymen υ- e Hyme -υυ nae --*

semel secundo loco spondæum adhibuit:

*Nutri -υ unt hu -- more --*

Hoc genere versus bis utitur, nempe Carmine 34. & 60. cum Glyconio.

XII. Duodecimi generis est Hexameter; cujus notissima structura. *Catullus* non raro adhibet spondæum pro dactylo in quinta sede, veluti:

*Tempe -- qua sil -- va cin -- gunt super -υυ impen -- dentes --*
*Non prius -- ex il -- lo sla -- grantia -υυ decli -- navit --*
*Eruit -- illa pro -υυ cul ra -- dicibus -υυ extur -- bata --*

Hoc genere versus utitur Poeta noster bis perpetua serie,

Carm. 61. *Vesper adest, juvenes. consurgite. Vesper Olympo.*
63. *Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.*

alternis vero cum Pentametro, a Carmine 64. usque ad finem libri. Nonnulli porro apud nostrum occurrunt hypermetri, cujusmodi sunt exempli caussa:

*Inde pater divûm sancta cum conjuge, natisque.*
*Et qui principio nobis terram dedit, auctore.*

XIII. Decimitertii generis est Pentameter Elegiacus, æque notus. Est autem *Catullus*, more antiquiorum Poetarum, in hoc genere nonnumquam duriusculus. qualia enim sunt illa!

*Troja virûm & virtutum omnium acerba cinis.*
*Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.*
*Vere, quantum a me, Lesbia, amata, mea, es.*
*Divûm ad fallendos numine abusum homines.*
*Nec desistere amare, omnia si facias.*

Et si qua sunt alia similia.

XIV. Decimiquarti generis est Galliambicus, ita dictus, quod caneretur a Gallis, sacerdotibus Magnæ Matris. Constat sex pedibus, quorum primus frequentius est anapæstus υυ-, aliquando tamen spondæus, vel tribrachys υυυ: secundus fere jambus, rarius anapæstus, tribrachys, vel dactylus: tertius sæpe jambus, raro spondæus: quartus dactylus, vel spondæus: quintus sæpe dactylus, aliquando creticus -υ-, aut spondæus: ultimus anapæstus, & interdum jambus cretico præcedente. Exempla rem satis obscuram dilucidabunt:

*Pepulit* ∪∪– *que no* ∪– *ctis um* ∪– *bras vege* –∪∪ *tis soni* –∪∪ *pedibus* ∪∪–
*Tibi* –– *cen ubi* ∪∪– *canit* ∪– *Phryx cur* –– *vo grave* –∪∪ *calamo* ∪∪–
*Ibi ma* ∪∪∪ *ria va* ∪∪– *sta vi* ∪– *sens lacri* –∪∪ *mantibus* –∪∪ *oculis* ∪∪–
*Patria* ∪∪∪ *o mea* –∪∪ *crea* ∪– *trix, patri* –∪∪ *a o mea* –∪∪ *genetrix* ∪∪–
*Abero* ∪∪– *foro,* ∪– *pala* ∪– *stra, stadi* –∪∪ *o, & gy* –– *mnasiis* ∪∪–
*Ibi jun* ∪∪– *cta juga* ∪∪∪ *resol* ∪– *vens Cybe* –∪∪ *le leo* –∪– *nibus* ∪–
*Alie* ∪∪– *na qua* ∪– *peten* ∪– *tes velut* –∪∪ *exsules* –∪– *loca* ∪–
*Itaque ut* ∪∪– *domum* ∪– *Cybel* ∪– *les teti* –∪∪ *gere las* –∪– *sula* ∪–

De Galliambico metro consule Petrum Victorium lib. 11. Variarum Lectionum cap. 12. qui tamen vir doctissimus hujus carminis rationem non satis perspectam habuisse videtur. *Catullus* hoc genere versus utitur semel Carmine 62.

*Super alta vectus Atys celeri rate maria.*

In voce *tympanum* versu 9. exteritur littera *m*, quasi *typanum* scriptum esset, more Græcorum Poetarum. Ille autem versus, culpa librariorum & vetustatis, omnino depravatus legitur:

*Agedum, inquit, age ferox, i, * face ut hinc furoribus.*

Postremo, ut versus a Catullo adhibitos recte metiri scias, rationem te habere oportet metricarum figurarum, ac diligenter notare hiatus, ectases, synæreses, diæreses, systolas, diastolas, & alia hujusmodi vetustis poetis familiaria; quæ copiose persecutus est Chr. Wase in Senario suo, libro doctissimo, & harum elegantiarum studiosis valde profuturo.

---

### Mooitum ad Lectorem.

Pag. 374. col. 2. appellavi *Antonium Parthenium Lacisium, hominem e Veronensi nobilitate*; nunc autem re accuratius perpensa, eum non e Gente Lacisia Veronæ oobilissima fuisse statuo, sed tantum ipsi ὁμώνυμον, cum in Lacisio castello ad lacum Benacum ortus esset. Quis tameo virum eruditiooe præstaotem oobilem dicere dubitaverit? nemo certe qui sapiat, & perversis vulgi opinionibus a recto judicio non deducatur.

AD

# AD CATULLUM

*A DOCTISSIMO VIRO*

## JOANNE ANTONIO VULPIO

IN GYMNASIO PATAVINO ELOQUENTIÆ PUBLICO PROFESSORE,

COMMENTARIIS AUCTUM ET ILLUSTRATUM,

## HERCULIS FRANCISCI DANDINI,

*COMITIS, PATRICII CÆSENATIS,*

ET IN GYMNASIO PATAVINO PUBLICI PANDECTARUM PROFESSORIS,

HENDECASYLLABI.

O Qui *flosculus es venustiorum*
*Vatum, quos nitidæ probant Camenæ,*
*Seu narras Thetidem, Tonantis ignem,*
*Scandentem Æacidæ pium cubile,*
*Mortalemque hominem deæ jugatum,*
*Pubes cum Danaûm valentiorum*
*In Ponti liquidas vias adegit*
*Pinus Peliaco jugo revulsas;*
*Et pingis lacrimis graves ocellos*
*Deceptæ misero puellæ amore*
*Thesei; nec lacrimæ movent amantis,*
*Nec dulce hospitium, fidesque pacta*
*Theseum, qui mage fluctibus remotis*
*Surdus devehitur, querentis altus*
*Clamor dum revocat misellæ amantis:*
*Seu das Hendecasyllabos, venustis*
*Ut blandam numeris canas puellam:*
*Seu lectis Elegis, metrove quovis*
*Belle carmina concinis*, CATULLE:
*Si felix rutilas redire in auras*
*Posses, doctiloquum tuum lepórem,*
*Et quæ olim ad patrium Lacum solebas*
*Tecum ludere Sirmione pulchra*
*Dulci carmina melle dulciora,*
*Videres hilaris nitere luce*
*Multo, quam propria, micantiore:*

*In-*

*Immensæ siquidem eruditionis*
*Dono* VULPIUS *optimus te adauxit;*
*Potens* VULPIUS *& severiore*
*Doctrina, Aonidum simulque cantu;*
*Divesque omnigena eruditione:*
*Vel sensa ut retegat tenebricosa,*
*Quæ nobis vetus occulebat ætas;*
*Latentes itidem vel ut recludat*
*Doctrinæ egregios tuæ recessus*
*Græcis fontibus usus & Latinis.*
*Doctis carminibus tuis,* CATULLE,
*Tale nil equidem datum vel umquam,*
*Nec dare adveniens valebit ævum:*
*Munus mirificum, pretîque summi!*
*Hoc donum, scio, diceres & ipse,*
*Est doctissimus ille qui paravit;*
*Qui me divitiis honoribusque*
*Longe reddiderit venustiorem;*
*Quique tam superet quot adlaborant*
*Luce ornare nova meum libellum,*
*Quam longe superat globos micantes*
*Noctu qui rutilant sereno Olympo,*
*Nocturnas tenebras fugans Apollo.*
*Illi splendiduli: tamen manet nox:*
*Ast ubi hic oritur, statim recedit.*
*Incertus, socios obire sortis,*
*Esses, an cuperes, idem Poëtas,*
*Felicissimus omnium,* CATULLE:
*Sed si candidulus studes videri,*
*Te arcere invidiam decet superbam;*
*Optandum tibi non minus, quam & ipsi*
*Optamus, socios tuos Poëtas*
*Ut dono simili velit refertos.*



NOI

# NOI RIFORMATORI
## dello Studio di Padova.

AVENDO veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. F. Antonio Girolamo Cagnacci Inquisitore di Padova, nel Libro intitolato: *C. Valerius Catullus &c. & in eum Jo: Antonii Vulpii &c. Novus Commentarius &c.* non esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giuseppe Comino*, Stampatore in Padova, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dato li 20. Novembre 1736.

( Michele Morosini Cav. Rif.
(
( Pietro Grimani Cav. Proc. Rif.

*Agostino Gadaldini Segretario.*

Co-

*Copia del Privilegio concesso dall' Eccellentissimo*

# SENATO VENETO.


1737. 27. *Luglio. in Pregadi.*

MOLTO *compiacendosi questo Consiglio, che l' accreditato Professore di Umane Lettere Greche e Latine nell' Università di Padova* Gio: Antonio Volpi, *quanto degno di occupare la Cattedra conferitagli, altrettanto sia per rendersi fruttuoso a quelli che attendono allo studio delle Antichità, Poesia, e Lingua Greca, e Latina, mediante la stampa, qual' intraprende, del Libro intitolato:* C. Valerius Catullus Veronensis, & in eum Joannis Antonii Vulpii Novus Commentarius locupletissimus; *si annuisce, come ben lo merita la qualità dell' Opera, e dell' Autore, e come consiglia la prudenza de' Riformatori dello Studio di Padova nelle giurate informazioni ora lette, a concedere per lo spazio di anni quindici il ricercato esclusivo Privilegio allo Stampatore in Padova* Comino, *onde esequire la stampa del Libro stesso; e così parimente l' implorata proibizione della vendita in detto intervallo di tempo di quelli che per avventura si stampassero in esteri luoghi; salvo l' obbligo di valersi di ottima carta, perfetti caratteri, e diligente correzione; di presentare al Magistrato de' Riformatori medesimi, a riscontro dell' adempimento, li primi, susseguenti, ed ultimi fogli; e di consegnare le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.*

Maffio Bianchi Segretario.

C. VA-

# C. VALERIUS
# CATULLUS;
ET IN EUM
## JO. ANTONII VULPII
COMMENTARIUS.



# C. VALERII * CATULLI VERONENSIS AD CORNELIUM NEPOTEM LIBER.

## ET IN EUM JOANNIS ANTONII VULPII COMMENTARIUS.

* CATULLI ] Illud jampridem animadvertit Isaacus Casaubonus ad Suetonii Octavium cap. 69. cognomen *Catulli* diminutivum esse, atque a *Catio* derivatum; quemadmodum a Lucio fiat Lucullus, a Mario Marullus, a Tertia Tertulla, a Terentia Terentilla, a Rufa Rufilla. hunc vero ὑποκορισμὸν, amantium & blandientium esse. *Q. Catius*, ædilis plebejus fuit M. Claudio Marcello, M. Valerio Lævino Coss. anno U. C. 543. auctore Livio lib. 27. *Catii* cujusdam Epicurei meminit Horatius Sat. 4. lib. 2. Quid tamen prohibet, nostri poetæ cognomen a *Cato* potius, quam a *Catio* originem ducere? *Catus* certe militis nomen est e partibus Romanorum apud Silium Italicum lib. 4. Punicorum versu 139.

*Ictum perdiderat spatio, ni, fusus habenas,*
*Dum prima decus affectat decerpere pugna,*
*Obvia quadrupedis praceps* Catus *ora tulisset.*

Firmii *Cati* senatoris ex intima Libonis amicitia, mentio fit apud Tacitum Annalium lib. 2. cap. 27. *Catos* porro a veteribus dictos fuisse viros cordatos, qui rerum usu & prudentia vulgaribus hominibus præstarent, docemur a Plinio Nat. Hist. lib. 7. cap. 31. his verbis: *Præstitere ceteros mortales sapientia, ob id* Cati, *Corculi apud Romanos cognominati*. Sed fortasse a *Cato Catulus*, a *Catio* vero *Catullus*. Neque postremo id prætermittendum est quod



# I.

Uoi dono lepidum novum libellum,

scribit D. Augustinus lib. 4. de Civ. Dei cap. 21. *Sed si*, ait, *virtus non nisi ad ingeniosum posset venire, quid opus erat deo Catio patre, qui catos id est acutos faceret, cum hoc posset conferre Felicitas?*

Argumentum Carminis I.

Dedicat Libellum suum Cornelio Nepoti, Chronicorum scriptori.

Versu I. *Quoi* ] Ita scribendum esse, non *cui*, docent vetera Catulli exemplaria MSS. & praeterea illorum temporum consuetudo; cujus testem habemus M. Varronem lib. 7. de Lingua Latina. Lucretius pariter, qui σύγχρονος Catullo fuit, lib. 3. de Rerum Natura v. 945. ita scribit:

*--- & hoc aliquoi nostrûm sic increpet ipsa.*

pro *alicui*.

ibidem. *Dono* ] Poetae, qui plerumque rei familiaris inopia laborant, amicis & patronis carmina muneri mittunt, immo & aes alienum poematis nonnumquam se dissolvere posse arbitrantur. Audi Horatium Ode 8. lib. 4.

*Donarem pateras grataque commodus,*
*Censorine, meis aera sodalibus:*
*Donarem tripodas .........*
*Sed non haec mihi vis, nec tibi talium*
*Res est aut animus divitiarum egens.*
*Gaudes carminibus: carmina possumus*
*Donare, & pretium dicere muneri.*

Horatium porro imitatur, lepido vir ingenio, Ludovicus Areostus ipso initio pulcherrimi operis, Hippolytum Atestinum hac ratione allocutus:

*Piacciavi, generosa Ercnlea prole,*
*Ornamento e splendor del secol nostro,*
*Ippolito, aggradir questo che vuole,*
*E darvi sol può l'umil servo vostro.*
*Quel ch'io vi debbo, posso di parole*
*Pagare in parte, e d'opera d'inchiostro.*
*Nè che poco io vi dia da imputar sono;*
*Che quanto io posso dar, tutto vi dono.*

Saturnalibus autem praecipue, libri, vel proprio vel alieno Marte conscripti, dono mittebantur; quod Statius ostendit in Risu Saturnalitio ad Plotium Carm. 9. lib. 4. Silvarum: interdum etiam, joci & urbanitatis caussa, seligebantur carmina inepta & Vulcano sacranda; cujus rei exemplum insigne peti potest ab ipso Catullo Carm. 14. Praeterea, volumina domum ferenda convivis dabantur; erant enim & libri inter ἀποφόρητα; quod satis constat ex libro 14. Epigrammatum Valerii Martialis. Id factum quoque interdum Martiis Kalendis, quae quasi Saturnalia mulierum erant. Tibullus testis Elegia 1. lib. 3. cujus hoc initium:

*Martis Romani festae venere Kalendae.*

*Gaudeat*, inquit, *ut digna est, versibus illa meis.*

& paulo post:

*Ite domum, cultumque illi donate libellum*
*Sicut erit: nullus defluat inde color.*

Hoc autem loco scripsit Catullus *Quoi dono?* pro *Quoi me oportet donare?* Eodem pacto Valerius Flaccus lib. 4. Argonauticon v. 216. *Cui dona fero?* nimirum *Cui dona me ferre oportet?* Neque multum dissimile illud Virgilii Aeneidos 2. v. 322.

*Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?*

i. e. *quae arx nobis prendenda est?* Neque illud Senecae Troad. v. 973.

*Cui famula tradar? ede. quem dominum voco?*

i. e. *quem dominum vocare debeo?* Ceterum

Arida modo pumice expolitum?



rum hac figura orationis, qua utitur Catullus hoc loco, itemque carm. 98. *Cui faveam potius? Cali, tibi*; Horatium quoque usum invenio Epodo 12. v. 21.

*Muricibus Tyriis iterata vellera lana*
*Cui properabantur? tibi nempe.*

Sed hæc, & alia similia, Homero omnium elegantiarum promo condo accepta referre debent poetæ. Is enim Iliados 8. v. 273.

*Ἔνθα τίνα πρῶτον Τρώων ἕλε Τεῦκρος ἀμύμων;*
*Ὀρσίλοχον μὲν πρῶτα καὶ Ὄρμενον, ἠδ' Ὀφελέστην.*
*Tum quem primum Trojanorum interfecit Teucer eximius?*
*Orsilochum quidem primum, & Ormenum, & Ophelestem.*

Similem loquendi modum adhibuit libro ejusdem poematis 11. v. 299. & alibi sæpius. Homeri vestigia secutus est Torquatus Tassus Gothofredi lib. 20.

*Or chi fu il primo feritor Cristiano,*
*Che facesse d' onor lodati acquisti?*
*Fosti, Gildippe, tu---------*

ibidem. *Lepidum novum libellum* ] Geminum ἐπιθέτων sine conjunctione hic animadvertendum; quod non admodum frequens apud Latinos poetas. Lucretius tamen lib. 1. v. 314. -- *uncus aratri*
*Ferreus occulte decrescit vomer in arvis.*

Propertius item Elegia 7. lib. 3.

*Victor Palladia ligneus artis equus.*

Nec non Horatius Ode 4. lib. 1.

*Et domus exilis Plutonia*;

ad quem locum vide Notas Richardi Bentleji. vide sis etiam quæ attulit Christophorus Bulæus ad versum 1. libri 1. Argonauticon Valerii Flacci. Neque id aspernatus fuerat Homerus: ejus enim est, Odysseæ lib. 2. v. 430.

*Δησάμενοι δ' ἄρα ὅπλα θοὴν ἀνὰ νῆα μέλαιναν.*
*Ligantes autem arma celerem per navem nigram.*

Sed ante alios hac τῶν ἐπιθέτων iteratione gaudent Itali poetæ, in primis Petrarcha. Huic enim mos est non solum geminare, verum etiam interdum coacervare hujusmodi adjectiva, sine conjunctione. Exemplum insigne præbent versiculi sequentes:

*Quell' antiquo mio, dolce, empio Signore*
*Quel vago, caro, dolce, onesto sguardo.*
*------ e poi 'n voce gli scioglie*
*Chiara, soave, angelica, divina.*

Horum autem simile est celeberrimum illud Virgilianum Æneidos 3. v. 658.

*Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.*

Male autem (quod ἐν παρόδῳ dictum sit) Petrus Crinitus cap. 27. de Poetis Latinis: *Opus suum*, inquit, *ad Cornelium Neporem misit* (Catullus) *virum doctrina & rerum cognitione egregium. Dividitur autem in libros tres: ut primus Lyricos, secundus Elegiacos, tertius Epigrammata contineat. Ad hunc enim modum ordinem fere meliorem custodiemus.* Pace loquar viri docti, nihil hoc ordine & partitione ineptius. Quomodo enim Catulli opus in tres libros tribuamus, cum auctor ipse libellum singularem appellet? Deinde Phalæcii versus, & Jambici, qui primo loco statim occurrunt, nonne efficiunt Epigrammata? igitur ad libri calcem ablegandi essent. Sed neque in Lyricorum censum venire possunt. Postremo, quid fiet poemati elegantissimo de Nuptiis Pelei ac Thetidos, heroicis versibus conscripto, quod ceteris Veronensis poetæ lucubrationibus antecellit, neque tamen aut Lyricis, aut Elegiacis, aut Epigrammatis annumerari potest? Somnia sunt hæc mera, & oscitantem hominem in scribendo demonstrant.

v. 2. *Arida modo pumice* ] Recte animadverterunt hujus poetæ interpretes, cum Græcorum consuetudinem se-

qui

Corneli, tibi; namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas
Jam tum quum ausus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis

Do-

qui voluisse, cum Phalæcium hendecasyllabum a trochæo vel jambo exorsus est. In hoc solo carmine tam brevi jambum semel, trochæum ter in prima sede collocavit. Quod & ab Epicis ac Satyrographis vetustissimis in versu hexametro factum aliquando est. Ennius apud Priscianum lib. 10.

*Annuit sese mecum decernere ferro.*

Lucilius lib. 30. Satyr.

*Quod tuas laudes culpes, non proficis hilum.*

Vide mihi Hieronymi Columnæ, doctissimi hominis, Commentarium ad Ennii Fragmenta pag. 105. Hanc autem rationem duriusculam visam esse Plinio Secundo Præfatione Historiæ Naturalis, putavit Sigismundus Gelenius; quod scilicet Vespasiani temporibus obsolevisset. idque satis constare ajunt ex Martialis hendecasyllabis, a spondæo semper incipientibus. Ne quid tamen dissimulem, Gelenius, ut alia multa in Plinio, sic eum locum corrupit; quod luculenter ostendit vir eximius Joannes Harduinus in Emendationibus Plinianis ad librum 1. magni operis.

ibidem. *Expolitum* ] Festus Pompejus: *Depolitum, perfectum; quia omnes perfectiones antiqui politiones appellabant.*

v. 4. *Meas esse aliquid putare nugas* ] Si nugæ dictæ sunt a nihil agendo, quemadmodum suspicatur Vossius in Etymologico, leporem ἐξ ἀντιθέσεως quæsivisse Catullus videri potest, cum ait, *nugas esse aliquid*. Hæc autem locutio Latinis scriptoribus familiaris, cum rem non omnino contemnendam significare volunt. Propertius Elegia 7. lib. 4. *Sunt aliquid manes.* Ovidius Amorum lib. 1. Elegia 12. *Omina sunt aliquid.* Idem Tristium lib. 1. Elegia 2.

*Est aliquid fatove suo, ferrove cadentem*
*In solida moriens ponere corpus humo.*

Huic proximus est alius loquendi modus, *esse aliquem*, i. e. *esse aliquo numero*. Notissimi sunt Juvenalis versus e Satyra 1.

*Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,*
*Si vis esse aliquis: probitas laudatur & alget.*

v. 6. *Omne ævum tribus explicare chartis* ] Chronica scripserat Cornelius Nepos, teste Gellio lib. 17. Noct. Attic. cap. 21. quæ vetustatis injuria interciderunt. *In his*, ait Vossius lib. 1. de Historicis Latinis cap. 14. *pro triplici tempore*, ἀδήλῳ, μυθικῷ, ἱστορικῷ (obscuro videlicet, fabuloso, historico) *de quibus ex Varrone, & aliis libro de Arte Historica diximus; tres videtur scripsisse libros; ac singulis unius temporis narrationem esse complexus.* Tria tempora quorum hoc loco meminit Vossius, elegantissime describit Plutarchus initio Thesei hisce verbis: ὅπως ἐμοὶ περὶ τὴν τῶν βίων παραλλήλων συγγραφὴν, τὸν ἐφικτὸν εἰκότι λόγῳ καὶ βάσιμον ἱστορίᾳ πραγμάτων ἐχομένῃ χρόνον διελθόντι, περὶ τῶν ἀνωτέρω καλῶς εἶχεν εἰπεῖν. τὰ δ' ἐπέκεινα τερατώδη καὶ τραγικὰ, ποιηταὶ καὶ μυθογράφοι νέμονται, καὶ οὐκέτ' ἔχει πίστιν οὐδὲ σαφήνειαν. Quæ verba in Latinum sermonem Hermannus Cruserius jurisconsultus ita vertere conatus est; longe tamen infra Plutarchi vim ac venustatem subsistens, & barbara Latinis immiscens: *Id mihi, qui in vitarum comparatarum commentatione tem-*

*pus*

Doctis, Juppiter! & laboriosis.

Qua-

*pus percurri, quatenus aspirare verisimilis oratio & consequens veritati potuit historia, liceat de superioribus dicere. Ulteriora, monstrosa & tragica, poetæ & fabularum scriptores depascuntur, neque ultra fidem obtinent aut certitudinem.*

ibidem. *Tribus chartis* ] I. e. tribus voluminibus, ut contendit Josephus Scaliger, & duo Vossii, nempe Gerardus Joannes loco paullo ante allato, & Isaacus ejus filius ad Catullum. Libros enim nonnumquam chartarum nomine significabant. Ovidius Tristium lib. 3. Elegia 1.

*Nullus in hac charta versus amare docet.*

Nisi mavis numerum finitum pro infinito positum esse, ut nimirum tres chartæ significent paucos libros, aut breves: cui explicationi favet Achilles Statius Lusitanus. Profecto Catullus Epigrammate in Lesbium hanc vocem ita usurpavit:

*Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,*
*Si tria notorum suavia reppererit.*

*tria suavia*, i. e. pauca oscula. Plautus pariter Milite Glorioso Act. 4. Se. 2. MI. *Cedo te mihi sola solam.* PA. *Brevin', an longinquo sermone?* MI. *tribus verbis*. i. e. paucis. Terentius item Phormione Act. 4. Se. 3. *Ut est ille bonus vir, tria non commutabitis verba hodie inter vos.* Et aperte Ovidius Elegia 3. lib. 4. ex Ponto:

*Si mihi rebus opem nullam, factisque ferebas,*
*Venisset verbis charta notata tribus.*

Nisi dicamus, Ovidium ab amico instabili hoc saltem optare, ut epistolam ipsi mittat nihil præter illa vulgata continentem: *Quid noster Naso?* eodem pacto quo Cicero Epist. 19. lib. 9. *Ego autem tribus primis verbis: Quid noster Pætus?* & quomodo Martialis Epigrammate 124. lib. 13.

*Cæretana Nepos ponat, Setina putabis;*
*Non ponit turbæ, cum tribus illa bibit.*

nempe, cum paucis. Idem Epigram. 11. lib. 12.

*Quatuor & tantum timidumque brevemque libellum*
*Commendet verbis: Hunc tua Roma legit.*

Porro cur libri apud veteres chartæ appellarentur, docet Isaacus Vossius ad hunc locum; quem vide, si lubet.

v. 7. *Juppiter!* ] Ad hanc ἐκφώνησιν admirationi inservientem antiqui nonnumquam alias voces addebant. Ovidius lib. 11. Metamorph. v. 41. addidit *proh*.

*- - - - perque os (proh Juppiter!) illud*
*Auditum saxis, intellectumque ferarum*
*Sensibus, in ventos anima exhalata recessit.*

Idem lib. 13. ejusdem operis v. 5.

*- - - - agimus (proh Juppiter!) inquit,*
*Ante rates causam, & mecum confertur Ulixes?*

Horatius Sat. 1. lib. 1. v. 17. *maxime*, adjecit: *Maxime, quis non, Juppiter, exclamet?* M. Seneca Controversia 16. *bone*. Idem Controversia 15. *proh bone. Vestri fasces*, inquit, *vestræ secures, in quantum, proh bone Juppiter! dedecus reciderunt!* Græci pariter ὦ Ζεῦ exclamabant; φίλε interdum addentes. Id liquet vel ex Callimachi Epigrammate, quod legitur apud Sex. Empiricum cap. 2. adversus Grammaticos, de quodam libro Creophyli poetæ, Homero tributo. est autem hujusmodi:

Κρεοφύλυ πόνος εἰμὶ, δόμῳ ποτὲ θεῖον ἀοιδὸν
Δεξαμένυ, κλαίω δ' Εὔρυτον ὅσσ' ἔπαθεν,
Καὶ ξανθὴν Ἰόλειαν, Ὁμήρειος δὲ καλεῦμαι
Γράμμα. Κρεοφύλῳ, Ζεῦ φίλε, τῦτο μέγα.

*Creophyli labor iste, domo qui excepit Homerum.*

*Eury-*

Quare habe tibi quicquid hoc libelli &

Qua-

*Euryte, sed casus lugeo, mæste, tuos,*
*Formosamque Iolen. Nunc littera dicor Homeri.*
*Juppiter! auctori hac gloria magna meo est.*

Neque Jovem tantum, admirantes vel optantes in oratione appellabant, sed & deos alios, modo singillatim, modo conjunctim. Cebes Thebanus in Tabula: Ἡράκλεις, ὡς καλὰ τὰ δῶρα. *Hercules, pulchra sane dona!* Lucianus in Somnio: Ἡράκλεις ἔφη τις, ὡς μακρὸν τὸ ἐνύπνιον. *Hercules, dixerit aliquis, quam longum somnium!* Theocritus Idyllio 5. v. 79. ὦ Παιάν, ἦ στωμύλος ἴσθα Κομάτα. *O Apollo! sane dicax es, Comata.* ubi Scholiastes: ἐπὶ ἀγανακτήσεως ἐνταῦθα ἡ ἐπίκλησις. *Hic invocatio est in indignatione.* Sic *Δίμητερ, Ceres,* admirantis adverbium est apud Græcos, quod Attici dixerunt & *δάματερ*. Vide Angelum Caninium in Hellenismo littera *Alpha*. Plures deos appellat Alcinous apud Homerum Odysseæ lib. 7. v. 311.

Αἲ γὰρ Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον, &c.

*Utinam enim, o Juppiter pater, & Minerva, & Apollo,* &c.

ibid. *Doctis & laboriosis* ] Profecto maximi laboris fuit, quicquid ab orbe condito populi omnes & reges, præclari & memorandi umquam gesserant, paucis libellis comprehendere. Nisi tamen doctrinam & artem labori junxisset Cornelius Nepos, nullam sane gloriam promeritus fuisset. Huc pertinent verba Auctoris librorum ad Herennium lib. 4. cap. 4. *Quid*, inquit, *dicitis difficile? utrum laboriosum, an artificiosum? Si laboriosum, non statim præclarum. Sunt enim multa laboriosa, quæ, si faciatis, non continuo gloriemini: nisi forte etiam, si vestra manu fabulas, aut orationes totas transcripsissetis, gloriosum putaretis.* Quid proprie significent *labor*, & *laboriosus*, optime explicat Cicero Quæst. 2. Tuscul. cap. 15. *Labor*, inquit, *est functio quædam, vel animi, vel corporis, gravioris operis & muneris. Dolor autem motus asper in corpore, alienus a sensibus. Hæc duo Græci illi, quorum copiosior est lingua quam nostra, uno nomine appellant. Itaque industrios homines illi studiosos vel potius amantes doloris appellant* (nempe φιλοπόνους) *nos commodius laboriosos*. Bene autem Catullus, Nepoti blanditus, ejus historiam vocat, cum eruditam, tum laboriosam; sua vero ipse carmina non nisi nugarum nomine dignatur, quæ scilicet levioris argumenti sint, neque sibi magno steterint. Auctor pariter Carminis in Priapum Epigrammate 2.

*Ludens hæc ego teste te, Priape,*
*Horto carmina digna, non libello,*
*Scripsi non nimium laboriose.*

v. 8. *Habe tibi* ] Formula hæc & in divortiis usitata; maritus enim, quem conjugii pœnituisset, uxorem dimittens ajebat: *Res tuas tibi habe*. Erat etiam, extorqueri aliquid sibi patientium, at invite admodum concedentium. Memorabilia sunt verba Syllæ apud Suetonium in Julio cap. 1. Cæsarem, qui Marianis partibus faverat, amicorum precibus donantis: *Vincerent, ac sibi haberent: dummodo scirent, eum quem incolumem tantopere cuperent, quandoque optimatium partibus, quas secum simul defendissent, exitio futurum: nam Cæsari multos Marios inesse.*

ibid. *Quicquid hoc libelli* ] Ita Censorinus de Die Natali cap. 1. *Quodcumque hoc libri est, meis opibus comparatum, Natalitii titulo tibi misi.* Et Auctor libelli Carminis Epigrammate 2.

*Ergo quicquid id est quod otiosus*
*Templi parietibus tui notavi,*
*In partem accipias bonam rogamus.*

Quemadmodum vero Catullus *hoc libelli*, ita

Qualecumque: quod, o patroa virgo, 9
Plus uno maneat perenne sæclo. 10

II. Paſ.

ita Plautus Moſtellaria Act. 3. Sc. 3. v. 1. ſcriptum reliquit: *Quid tibi viſum eſt hoc mercimonii?* Lucretius lib. 2. v. 16.

*Qualibus in tenebris vitæ, quantiſque periclis*
*Degitur hoc ævi quodcumque eſt!* ----

Virgilius autem Lucretium imitatus Æneidos 1. v. 78.

*Tu mihi quodcumque hoc regni, tu ſceptra Jovemque*
*Concilias* -------

Ovidius denique Epiſtola Briſeidos v. 142.

*Suſtinet hoc animæ ſpes tamen una tui.*

Neque ſolum poetæ, ſed & Livius hunc loquendi modum uſurpavit lib. 5. Hiſtor. *Hoc neque reges ..... neque importunos decemviros injunxiſſe ſervitutis.*

v. 9. *Qualecumque* ] Vox hæc extenuandi atque elevandi vim habet. Ovidius lib. 2. Artis Amatoriæ v. 283.

----- *carmina lector*
*Commendet dulci qualiacumque ſono.*

i. e. vocis & pronuntiationis lenocinio gratiora & jucundiora efficiat carmina, quæ ipſa per ſe, ob artis atque elegantiæ defectum, minus auditoribus placerent.

ibid. *O patroa virgo* ] Lippis ac tonſoribus notæ ſunt eruditorum virorum de lectione ac ſententia hujus hemiſtichii controverſiæ. Ego vero Iſaaco Voſſio libenter aſſentior legenti *patroa*, quamquam ejus explicationem probare, mihi religio ſit. Contendit enim, virginem a poeta invocatam Veſtam eſſe; quod ſcilicet ei deæ rerum omnium primitiæ offerrentur, ſolerentque precantes hanc primum affari; quod teſtatur Ovidius Faſtorum lib. 6. v. 304. Antequam porro quid ipſe de hac re ſentiam, expono, qui proprie ſint apud Græcos θεοὶ πατρῷοι, auctoritate Dionyſii Halicarnaſſei ex libro 1. Antiquit. Roman. planum faciam. τοὺς δὲ, inquit, θεοὺς τούτους Ῥωμαῖοι μὲν Πενάτας καλοῦσι· οἱ δ' ἑρμηνεύοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν τοὔνομα, οἱ μὲν Πατρῴους ἀποφαίνουσιν, οἱ δὲ Γενεθλίους· εἰσὶ δ' οἱ Κτησίους, ἄλλοι δὲ Μυχίους, οἱ δὲ Ἑρκίους. *Hos deos Romani Penates vocant. qui vero hujuſmodi nomen in Græcum ſermonem vertunt, eorum alii Patroos enuntiant, alii Genethlios. Sunt qui Cteſios appellent, & qui Mychios, qui denique Hercios.* Vide & Julium Pollucem Onomaſtici libro 1. cap. 1. ſect. 23. Quos autem deos Ἕλληνες atque ἑλληνίζοντες appellant πατρῴους, Romani *patrios* vocant. Virgilius in calce 1. Georgicon:

*Dii patrii, Indigetes, & Romule, Veſtaque mater.*

ubi videtur Veſtam a diis patriis aperte diſtinguere. Mea igitur ſententia, *patroa virgo* a Catullo hic invocata, Minerva ſeu Pallas eſt, quam ex capite patris Jovis, ſine ope matris natam fabulantur, cumque ea Jovem plurimum potentiæ ſuæ communicare. Non ſolum igitur Pallas *patroa* cognomine inſignis eſt, propterea quod in diis patriis numeretur, qui Ovidio lib. 15. Metamorph. verſ. 861. *Æneæ comites* audiunt, verum etiam κατ' ἐξοχὴν, quod ſcilicet vera parentis imago ſit, & omnino patriſſet. Hujuſce noſtræ explicationis locuples fidejuſſor Callimachus Hymno in Lavacra Palladis v. 132. cujus hæc ſunt verba:

--- ἐπεὶ μόνᾳ Ζεὺς τῆνγε θυγατέρων
Δῶκεν Ἀθαναίᾳ πατρῷα πάντα φέρεσθαι.

*Quoniam ſoli Juppiter hoc ex filiabus dedit Minervæ, ut paterna omnia habeat.* Quamobrem Horatius Ode 12. lib. 1. ſecundum Jovem Palladi primas defert, ita canens:

# I.

**P**asser deliciæ meæ puellæ,

Qui-

*Proximos illi tamen occupavit*
*Pallas honores.*

Virgilius autem eidem κεραυνοβολίαν, i. e. *fulminis jactum*, tribuit Æneidos 1. v. 42.

*Ipsa*, inquit, *Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem*,
*Disjecitque rates, evertitque æquora ventis.*

Sed cur poeta noster lucubrationum suarum initio Palladem invocat? Quod nimirum ea sit ingeniorum præses, qua propitia scriptores nominis immortalitatem sperare possint; irata, contemtum atque oblivionem timere debeant. Unde illud Horatii in Arte Poetica v. 385.

*Tu nihil invita dices faciesve Minerva.*

Pallas igitur bonus est librorum Genius, de quo Martialis Epigr. 60. lib. 6.

*Victurus Genium debet habere liber.*

Porro, Minervam hoc loco a Catullo invocari, suspicati sunt olim Palladius Fuscus, & Josephus Scaliger, qui tamen ad suspicionem suam confirmandam argumenta minus idonea protulerunt. Non tamen hic dissimulaverim, fortasse invocare Palladem idem fuisse atque invocare Vestam; quod videlicet Palladium, fatale Romani imperii pignus, in æde Vestæ asservaretur. Iccirco Propertius Eleg. 4. lib. 4. sacrum ignem a Vestalibus virginibus custoditum *Pallados ignes* appellare non dubitat.

Ne mirere autem, lector, græcissare Catullum, adhibenda voce *patroa*. id enim optimis poetis familiare, venustam quamdam peregrinitatem in scribendo secutis. Plura hujus moris exempla afferri possent, quæ studiosus brevitatis prætermitto. Satis erit illud Tibulli Elegia 1. lib. 3.

*Sed primum nympham longa donate salute.*

*nympham* scilicet pro *nuptam*, quæ Græcis νύμφη. quod non refugit Ovidius Epistola Penelopes v. 27.

*Grata ferunt nymphæ pro salvis dona maritis.*

i. e. uxores ducum Græcorum a Troja excisa reversorum. Catullo igitur fidejubente vox *patroa* in Latinis Lexicis reponenda.

Arg. Carm. II. ] Hoc, & quod proxime sequitur de Passere Lesbiæ ποιήματα, lepidissima fuisse, & propter leporem atque urbanitatem permagno ab antiquis æstimata, plane constat: sed hoc tempore vix intelliguntur: tenebras enim ipsis offudit doctorum virorum discordia, dum alii scilicet quovis pignore contendunt, hunc passerem veram avem fuisse, alii contra, Jovem lapidem jurare parati sint, nequitiam sub nomine passeris latitare: si enim res aliter se habeat, nihil esse in his Epigrammatis arguti, nihil salsi, nihil Catullo digni, sed omnia statim frigere. Mihi tamen utrorumque argumenta accuratius consideranti, illud probabile admodum videtur, & verum passerem a Catullo celebrari, quo Lesbia delectaretur, & nihilominus per caussam passeris turpiculum aliquid translato vocabulo significari; cujusmodi translationes solennes videmus esse joci risusque materiam captantibus. Hac ratione igitur lites componimus, & rem expeditam damus. Enimvero, passerem istum avem fuisse proprie dictam, cum alia multa, tum præcipue distichon illud Martialis ostendit in Apophoretis, cujus titulus *Cavea eborea:*

Si

Quicum ludere, quem in sinu tenere,
Quoi primum digitum dare adpetenti,
Et acres solet incitare morsus:

Quum

*Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo*
*Lesbia ploravit, hic habitare potest.*

Turpe tamen aliquid passeris nomine obvolvi, hoc in primis Carmen declarat, quod lascivam admodum sententiam continet. Ab ea porro apertius explicanda ingenuo pudore deterremur. Si quis curiosus est in re minimi pretii, consulat Martialis Epigramma 53. lib. 3. ubi ait, *se tota Chloe carere posse*. Legat etiam quæ commentatur Gruterus allatus a Friderico Taubmanno ad illud Plauti Bacchidibus Ac. 1. sc. 1. v. 35. *Ubi ego capiam pro machara turturem*. Ait igitur Catullus hoc Carmine, gratum sibi esse mirum in modum, sicuti Lesbia passerem habeat, quîcum lusitet, cujusque consuetudine a curis & mærore interdum recreetur, eodem pacto & se, absente Lesbia, ludendo cum passere tristitiam abigere posse.

v. 1. *Passer deliciæ meæ puellæ* ] Ita Martialis Epig. 110. lib. 1.

*Issa est deliciæ catella Publî.*

Cicero pariter Tuscul. Quæst. lib 1. *Acerrime autem deliciæ meæ Dicæarchus contra hanc immortalitatem disseruit*. Idem Philippica 6. *Sed redeo ad amores deliciasque nostras L. Antonium*. His adde Propertium Eleg. 7. lib. 4. *Deliciaque mea Latris*. Eadem syntaxi non in eodem vocabulo usus Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 118.

*Octoginta annos natus, cui stragula vestis*
*Blattarum ac tinearum epulæ putrescat*
*in arca.*

Porro L. Apulejus in Apologia, singulari numero hanc blanditiarum vocem usurpavit, antiquissimos imitatus:

*Et Critias mea delicia, & Sol alme*
*Charine.*

v. 2. *Quîcum* ] i. e. cum quo ἀρχαϊκῶς. Quinctilianus lib. 11. Inst. Orat. cap. 2. *Rediit ad eum quîcum luserat*.

v. 3. *Primum digitum* ] Primam, sive extremam digiti partem. Ita *primores digitos* dixit Plautus Bacchid. Ac. 4. Sc. 4. v. 24.

*Sic hoc digitulis duobus sumebas primoribus?*

Vide eumdem Pœnulo Ac. 3. sc. 1. v. 63. Cato item de Re Rustica cap. 21. *Inter cupam dextra, sinistra pertundito late digitos primores quatuor, alte digitos primores tres*. Non enim eo Catonis loco intelligendi sunt, opinor, digiti medii, qui præ ceteris in manu prominent. Cornelius Celsus lib. 2. Medicinæ cap. 7. extremas digitorum partes vocavit *digitos summos: digiti*, inquit, *maximeque summi calent*. Eadem significatione Græci dixerunt ἄκρος δάκτυλος, & ἄκρον τοῦ δακτύλου. Homerus Batrachomyomachia v. 45.

*Ἀλλ' ἐπὶ λέκτρον ἰὼν, ἄκρον δακτύλου κατεδάκνω.*

*Sed ad lectum vadens summum digitum mordeo.*

D. autem Lucas Evangelii cap. 16. v. 24. in historia divitis & Lazari: ἵνα βάψῃ τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου αὐτοῦ ὕδατος. *ut intingat extremum digiti sui in aquam*. Quemadmodum vero Catullus *primum digitum*, ita Valerius Flaccus Argonautic. 4. v. 490. dixit *primas manus*.

*- - - - - - pallentia prima*
*Ora senis fugere manus - -*

& lib. 8. v. 44. *primas palmas*:

*Sic ait, & primis supplex dedit oscula palmis.*

Ovidius pariter Amorum lib. 3. Elegia 2. *primos pedes*.

*- - - potes* ( inquit ) *si forte juvabit,*
*Cancellis primos inseruisse pedes.*

 Quod

Quum desiderio meo nitenti
Carum nescio quid lubet jocari,
Ut solatiolum sui doloris
Credo, ut gravis acquiescat ardor:
Tecum ludere, sicut ipsa, posse,
Et tristes animi levare curas,

Tam

Quod festivissimus Anacreon ita expresserat Ode 8. Ἔδοξεν ἄκροισι ταρσοῖς Δρόμον ὠκὺν ἐκτανύειν. *Visus sum extremis pedum palmulis Cursum velocem intendere.* Itali vernaculo sermone dicerent: *correre in punta di piedi*. Eodem pacto Lucretius lib. 6. v. 1191. *nasi primoris acumen Tenue*, dicere non dubitavit; nimirum *la punta del naso*. Simile illud Plauti Trinummo Act. 4. sc. 2. v. 65.

*Atque etiam modo vorsabatur mihi in labiis primoribus.*

ἄκρα χείλη Græci dicunt; ut est in veteri proverbio notissimo, quod Ancæum quemdam Parthenien auctorem habet:

Πολὺ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

*Multa cadunt inter calicem supremaque labra.*

Hoc porro ita variavit Ovidius Epistola Phædræ v. 8. *ter in primo destitit ore sonus.* i. e. in summis labellis.

ibid. *Dare adpetenti* ] Vossius legit *ac patentis*; quod non probo. neque enim vulgata scriptura temere explodenda est, unde magis conciuna & dilucidior sententia elici potest. Digitum dabat Lesbia passerculo suo, quasi mammam infanti. Proprie autem dicebant *mammam dare*, & *mammam appetere*. Plautus Prologo Menæchmorum v. 18.

*- - - Ei sunt nati filii gemini duo,*
*Ita forma simili pueri, ut mater sua*
*Non internôsse posset, quæ mammam dabat.*

Cicero lib. 2. de Natura Deorum: *Ea quæ paullo ante nata sunt, sine magistro duce natura mammas appetunt.*

v. 5. *Quum desiderio meo nitenti* ] Id est puellæ meæ, quam iratam habeo, quæ me desiderio torquet. inferius enim versu 10. *tristes animi curas* memorat: quis autem ignorat, ex quo fonte amantium tristitia oriatur? Porro *nitens* usurpatur a poetis pro formoso, quemadmodum & *nitor* pro forma. Horatius Ode 19. lib. 1.

*Urit me Glyceræ nitor*
*Splendentis Pario marmore purius.*

v. 6. *Carum nescio quid lubet jocari* ] Ita locutus Ovidius Epist. Leandri v. 82.

*Halcyones solæ memores Ceycis amati*
*Nescio quid visæ sunt mihi dulce queri.*

v. 7. *Ut solatiolum* ] Omnino legendum *ut*, non *&*; quod ni facias, frustra inquires, quid sibi velit Catullus. Huic autem lectioni favent nonnulli codices manu exarati.

v. 8. *Credo, ut gravis* ] Recte Vossius animadvertit, Catullum synalœphen in versu non raro negligere, & hiatus affectare. Eos propterea incusat qui, se metro laboranti medicinam adhibere putantes, *tum* vel *quum* interposuerunt: quod profecto a mala manu est.

ibid. *Ardor* ] Vis, æstus, & impatientia amoris. Tibullus Carm. 12. l. 4.

*Hesterna quam te solum quod nocte reliqui,*
*Ardorem cupiens dissimulare meum.*

Ceterum Josephus Scaliger, criticorum sui sæculi facile princeps, nodum in scirpo quærens, multa hujus Carminis immutavit, partim ex membranis, partim ex ingenio: sed tantis conatibus parum admodum profecit.

v. 11. *Puel-*

Tam gratum est mihi, quam ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

III. Lu-

v. 11. *Puella pernici* ] Atalantæ videlicet Schœnei filiæ; de qua præter ceteros Ovidius lib. 10. Metamorph. Vide Indicem nostrum ad hunc poetam, verbo *puella pernix*.

v. 12. *Aureolum malum* ] Scriptores veteres interdum, loco substantivorum, nomina adjectiva diminuunt, præsertim si substantiva diminutionem vix pati posse videantur. Exempla rem planam facient. Varro lib. 3. de Re Rustica cap. 9. memorat *gallos gallinaceos collo vario aut aureolo*. Cicero autem lib. 3. de Oratore, prope finem, hæc habet: *Gracchus . . . . . . . . . eum eburneola solitus est habere fistula, qui inflaret celeriter eum sonum quo illum aut remissum excitaret, aut a contentione revocaret*. Eo Ciceronis loco *fistula eburneola* nihil aliud est quam *parva fistula eburnea: αὐλίσκος ἐλεφάντινος*. Idem Epist. 7. lib. 3. ad Quintum Fratrem: *Hæc scripsi ante lucem ad lychnuchum ligneolum*. ubi nonnulli codd. præferunt *lineolum*. Et lib. 2. de Nat. Deorum: *Aures*, inquit, *duros, & quasi corneolos habent introitus*. scilicet angustos aditus, duriore & quasi cornea materia compactos. Eodem pacto Epigramma quoddam in Catalectis veterum poetarum:

*Lacteolasque animas lactens humor alit.*

Virgilius vero Ecloga 2. v. 50.

*Mollia luteola pingit vaccinia caltha.*

Pari lepore Catullus noster Carm. 29. *Ut albulus columbus*. Porro præ ceteris insigne est illud Plauti Sticho Ac. 5. Sc. 4. v. 12.

*At nos nostro Samiolo poterio tamen vivimus.*

*Samiolum poterium* est vasculum fictile Samium ad usum bibendi comparatum. Nonnumquam utrumque nomen diminuebant, quemadmodum Cicero lib. 3. de Nat. Deorum dixit, *aureolam oratiunculam*; Plautus vero Rudente Act. 4. Sc. 4. *argenteolam sicilicular*. In nonnullis tamen ejus poetæ codicibus est *argenteam*.

v. 13. *Quod zonam soluit* ] *Soluit*, trisyllabum per diæresin, ut ratio carminis constet.

ibid. *Quod zonam soluit diu ligatam* ] I. e. Cujus operâ Atalanta, quæ diu permanserat innupra, virum tandem Hippomenen sortita est. Homerus Odysseæ lib. 11. v. 44. λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην. *Solvit autem virgineam zonam*. Ut enim recte animadvertit Samuel Pitiscus in Lexico Antiqnitatum Romanarum verbo *zona*, puellæ conjugio maturæ zonis ita cinctæ olim fuisse videntur, ut non nisi illis dissolutis atque rejectis, corpori vis inferri, aut libari virginitas ullo modo posset: assertque in hanc rem versus Nonni Panopolitæ e libro 16. Dionysiacon v. 267.

Κύρης δ' ἐγγὺς ἵκανε· καὶ ἀβρέμας ἄκρον ἐρύσσας
Δεσμὸν ἀσυλήτοιο φυλάκτορα λύσατο μίτρης
Φειδομένῃ παλάμῃ, μὴ παρθένον ὕπνος ἐάσῃ.

*Prope puellam vero venit, & sensim summum trahens*
*Vinculum nondum prædata custodem solvit zonæ*
*Parcente manu, ne virginem somnus relinqueret.*

Meminit hujus moris Plutarchus in Lycurgo verbis quæ sequuntur: ὁ δὲ νυμφίος οὐ μεθύων, οὐδὲ θρυπτόμενος, ἀλλὰ νήφων, ὥσπερ ἀεὶ δεδειπνηκὼς ἐν τοῖς φιδιτίοις, παρεισελθὼν, ἔλυε τὴν ζώνην, καὶ μετενεγκὼν ἀράμενος ἐπὶ τὴν κλίνην. *Sponsus non vino*

# III.

LUgete o Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meæ puellæ,
Passer deliciæ meæ puellæ,

Quem

*vino gravis, nec deliciis fractus, sed sobrius, ut semper in Phiditiis cœnatus, clam ingressus, sponsæ zonam solvebat, & eam tollens in lectum transferebat*. Puellæ, contra, nondum viripotentes, hujusmodi zonis non utebantur: quod videlicet immaturis virgunculis nullum, aut certe minimum, a corruptoribus periculum immineret: quas propterea vocabant *ἀμίτρους*, nempe *discinctas*. Vide, si placet, Ezechielis Spanhemii Commentarium ad versum 14. Hymni in Dianam Callimachi, ubi veterum scriptorum de hac re testimonia invenies. Ceterum similem propemodum usum præstabant fibulæ, quæ comœdorum & citharœdorum virilia obserabant, ne concubitu vocis suavitatem amitterent; quas tamen libidinosæ mulieres, oblato ingenti pretio, nonnumquam solvebant. Id testatur Juvenalis Sat. 6. v. 73.

*Solvitur his magno comœdi fibula: sunt quæ*
*Chrysogonum cantare vetent - - - -*

Ad quem locum ita Scholiastes antiquus: *Ut cum comœdis concumbant. Nam omnes pueri vocales, fibulas in naturis habent, ne coeant*. Illud porro singulare est quod narrat Pausanias in Corinthiacis cap. 33. *κατεςήσατο δὲ (Αἴθρα) καὶ ταῖς Τροιζηνίων παρθένοις ἀνατιθέναι πρὸ γάμου τὴν ζώνην τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Ἀπατουρίᾳ*. *Instituit eadem (Æthra) ut Trœzeniorum virgines ante nuptias zonam Apaturiæ Minervæ suspenderent*. i. e. ut ego quidem interpretor, se suspensuras pollicerentur postquam sponsi detraxissent.

Arg. Carm. III.] Passeris a Lesbia dilecti obitum lamentatur. Vide Argumentum Carminis superioris.

v. 1. *Lugete o Veneres*] Catulliani hujusce fletus omnino similis est lugubris illa lamentatio Francisci Petrarchæ, summi apud Etruscos poetæ, qua Cyni Pistoriensis mortem deplorat:

*Piangete, donne, e con voi pianga Amore;*
*Piangete, amanti, per ciascun paese;*
*Poi che morto è colui che tutto intese*
*In farvi, mentre visse al mondo, onore.*

Fortasse vero Petrarcha, diligentissimus veterum librorum investigator, cui plurimum debent, ac porro debebunt Latinæ litteræ, Catulli codicem aliquem in Gallia delitescentem, illorumque temporum hominibus ignotum, eruerat, studioseque perlegerat: diutius enim versatus est in Provincia, ut Lauræ puellæ pulcherrimæ, quam unice amabat, conspectu & familiaritate frui posset. Josephus autem Scaliger ad Carmen 1. Catulli testis est, antiquissimum exemplar nostri poetæ, unde reliqua omnia quæ nunc exstant sint propagata, ab homine Veronensi e Galliis in Italiam delatum.

v. 2. *Et quantum est hominum venustiorum*] Tibullus pariter Eleg. 1. l. 1.

*O quantum est auri potius, pereatque smaragdi,*
*Quam fleat ob nostras ulla puella vias.*

v. 5. *Quem*

Quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsa tam bene quam puella matrem:
Nec sese a gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum

Illuc

v. 5. *Quem plus illa oculis suis amabat* ] Amorem scilicet quo res carissimas prosequimur, oculorum caritate vulgo metiri solemus. Moschus Idyllio 2. v. 9.

*Τὸν μὲν ἐγὼ τίεσκον ἴσον φαέεσσιν ἐμοῖσιν.*
*Eum quidem in pretio habebam sicut oculos meos.*

Neque sacri scriptores hosce loquendi modos aspernati sunt. Legimus enim Psalmo 8. v. 16. *φύλαξόν με ὡς κόρην ὀφθαλμοῦ. Custodi me ut pupillam oculi.* & Zachariæ cap. 2. v. 8. *διότι ὁ ἁπτόμενος ὑμῶν ὡς ἁπτόμενος τῆς κόρης ὀφθαλμοῦ αὐτοῦ. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

v. 6. *Nam mellitus erat* ] I. e. suavis, dulcis, jucundus, quemadmodum palatò mel. Hinc *melli esse* apud Horatium Sat. 6. lib. 2. v. 32. pro *gratum & jucundum esse*.

ibidem. *Suamque norat Ipsa tam bene quam puella matrem* ] Ordo syntaxeos hoc loco paullo impeditior; sic autem concinnabis: *& norat tam bene, quam ipsa puella matrem suam*. Similes verborum *συγχύσεις*, tametsi rarius, etiam apud alios bonos poetas inveniuntur. Lucretius enim lib. 6. v. 174.

*Ventus ubi invasit nubem, & versatus ibidem,*
*Fecit, ut ante, cavam, docui, spissescere nubem.*

Horatius vero Ode 23. lib. 1.

*Tandem desine matrem*
*Tempestiva, sequi, viro.*

Idem Sat. 1. lib. 2. v. 83.

*--- esto, si quis mala; sed bona si quis,*
*Judice, condiderit, laudatur Cæsare --*

ubi *τὸ condiderit*, quam alieno loco positum sit, nemo non videt. Tibullus quoque idem peccavit; si modo peccatum dici potest; Elegia 3. lib. 2.

*Quidquid erat medicæ, vicerat, artis Amor.*

His adde Ovidium Amorum lib. 1. Elegia 6.

*Quam, face, sustineo, tecta superba petam.*

Lucanum denique lib. 1. Pharsaliæ v. 14.

*Heu quantum terræ potuit, pelagique parari*
*Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextra.*

v. 10. *Ad solam dominam* ] Ut Romani *dominas* puellas amatas appellabant, ita *κυρίας* Græci. Id, præter alios, aperte nos docet Epictetus Enchiridii cap. 37. *αἱ γυναῖκες*, inquit, *εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν, ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται. Mulieres statim a decimoquarto ætatis anno, a viris dominæ vocantur.* Eodem pacto Galli *τὰς ἐρωμένας* vocare solent *maîtresses*.

v. 11. *Qui nunc it per iter tenebricosum* ] Eo usque vani fuerunt poetæ, ut vel aviculararum umbras ad Elysios migrare docerent. Ovidius Amorum lib. 2. Elegia 6. de morte psittaci.

*Colle sub Elysio nigra nemus ilice frondet;*
*Udaque perpetuo gramine terra viret.*

Si

Illuc unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malæ tenébræ
Orci, quæ omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.

O

*Si qua fides dubiis, volucrum locus ille piarum*
*Dicitur, obscœna quo prohibentur aves.*
*Illic innocui late pascuntur olores:*
*Et vivax phœnix, unica semper avis.*
*Spectat & ipsa suas ales Junonia pennas:*
*Oscula dat cupido blanda columba mari.*
*Psittacus has inter nemorali sede receptus*
*Convertit volucres in sua verba pias.*

Martialis autem Epigr. 14. lib. 7. de Columba Ianthidos, seu Violantillæ, quam L. Aruntius Stella Patavinus, Catullum imitatus, mollissimis versibus celebraverat:

*Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ:*
*Amisit lusus, deliciasque suas.*
*Non quales teneri ploravit amica Catulli*
*Lesbia, nequitiis passeris orba sui:*
*Vel, Stellæ cantata meo, quas flevit Ianthis,*
*Cujus in Elysio nigra columba volat.*

Hanc opinionem leviter attingit suavissimus Tibullus Elegia 3. lib. 1. sedes hasce fortunatorum describens:

*Hic choreæ cantusque vigent, passimque vagantes*
*Dulce sonant tenui gutture carmen aves.*

Ceterum locutionem suam ad vulgarem popularemque sensum accommodavit poeta noster, cum ait, manes vita defunctorum *per iter tenebricosum* ad inferos proficisci. Quam vulgi persuasionem notavit Seneca Epistola 82. *Naturalis*, inquit, *præterea tenebrarum metus est, in quas adductura mors creditur.* Ejusque plena sunt veterum poetarum scripta. Pauca de plurimis testimonia satis fuerint. Homerus Iliados 23. v. 50.

Ὕλην τ' ἀξέμεναι, παρά τε σχεῖν, ὡς ἐπιεικὲς
Νεκρὸν ἔχοντα νέεσθαι ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα.

*Lignaque comportent, apponantque, uti par est*
*Mortuum habere subeuntem tenebras obscuras.*

Callimachus in Charidæ Epitaphio:

Ὦ Χαρίδα, τί τὰ νέρθε; πολὺ σκότος. αἱ δ' ἄνοδοι τί;
Ψεῦδος. ὁ δὲ Πλούτων; μῦθος. ἀπωλόμεθα.

*O Charida, quidnam est infra? Tenebræ. Reditus quid?*
*Nugæ. Quid Pluto? Fabula. Concidimus.*

Vetus poeta apud Ciceronem Quæstione 1. Tuscul. *Acheruntia templa, alta Orci, pallida leti, obnubila, obsita tenebris loca.* Plautus Pseudolo Act. 1. Sc. 1. v. 86. ----- CA. *restim volo*
*Mihi emere.* PS. *quamobrem?* CA. *quî me faciam pensilem.*
*Certum est mihi ante tenebras tenebras persequi.*

i. e. mecum ipse decrevi, antequam nox adveniat, e vita migrare. Ovidius lib. 15. Metamorph. v. 153. verbis Pythagoræ concionantis:

*O genus attonitum gelidæ formidine mortis,*
*Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis?*
*Morte carent animæ . . . . . . . . . . .*

Immo & Mortem ipsam tenebris obnubebant. Tibullus Elegia 1. lib. 1.

*Jam veniet tenebris Mors adoperta caput.*

Contra, natalem diem, vitæque tempus *lucis* nomine significabant. vide Hieronymum Columnam ad illud Ennii e primo Annali:

*Tu produxisti nos intra luminis oras.*

v. 16. *O*

O factum male! o miselle passer!
Tua nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

## I V.

PHASELUS ille, quem videtis, hospites,
Ait

v. 16. *O factum male!* ] Ita exclamabant in rebus adversis: in prosperis autem, & ex animi sententia cadentibus, *O factum bene!* Terentius Andria Ac. I. Sc. I. v. 78. *Chrysis vicina hac moritur*. SO. *o factum bene!* & Ac. 5. Sc. ultima v. 5. *Mea Glycerium suos parentes repperit*. D. *o factum bene!*

v. 17. *Tua nunc opera* ] Cornelius Nepos, Catulli amicus, hunc loquendi modum adamavit. in Lysandro enim: *Sic sibi indulsit, ut ejus operâ in maximum odium Græciæ Lacedæmonii pervenerint*: quem locum attulit Achilles Statius in suis Commentariis ad Catullum, auctorem tamen Æmilium Probum appellans; qui olim communis error fuit. Idem in Alcibiade: *Sic enim populo erat persuasum, & adversas superiores, & præsentes secundas res accidisse ejus operâ*. & infra: *Inimicum his se ostenderit quorum operâ patria pulsus fuerat*.

v. 18. *Flendo turgiduli rubent ocelli* ] Non solis diu flentibus tument oculi, sed etiam rem aliquam desideratam nimia contentione aspicientibus. Suetonius in Tiberio capite 7. *Sed Agrippinam & abegisse post divortium doluit: & semel omnino ex occursu visam, adeo contentis & tumentibus oculis prosecutus est, ut custoditum sit, ne umquam in conspectum ejus posthac veniret*. In fletu autem, ob tumorem palpebrarum, oculi minui videntur. Propterea Coluthus Thebanus libro de Raptu Helenæ v. 331.

Οὐχ ὁράας; γοεραὶ μὲν ὑπημύουσι παρειαί,
Πυκνὰ δὲ μυρομένης θαλεραὶ μινύθουσιν ὀπωπαί.

*Non vides? tum lugubres subsidunt genæ,*
*Tum frequenter flentis oculi floridi minuuntur*.

Quod accidit etiam in plagis faciem contundentibus. Theocritus Idyllio 22. v. 101. ubi pugilatum Pollucis & Amyci describit:

Ὄμματα δ' οἰδήσαντος ἀπεστείνωτο προσώπου.
*Oculi vero in tumido vultu arctiores fiebant*.

ARG. CARM. IV. ] Phaselum quemdam emeritum, quo e Ponto Bithyniaque Sirmionem revectus fuerat, ab origine, celeritate, itineribus laudat, Castorique ac Polluci navium servatoribus consecrat. Porro, si in ullo alio Catulli Carmine perspici potest, quare hunc poetam veteres *docti* nomine honestaverint, tum ex hoc præcipue apparet: cujus omnia, ut Isaacus Vossius animadvertit, antiquissimorum Græciæ scriptorum imitationem præferunt: omnia culta, candida, erudita, numeris denique omnibus absoluta sunt. Iniquus ergo censor Julius Scaliger; qui in Hypercritico cap. 7. hanc de Catullo sententiam pronuntiavit: *Catullo docti nomen quare sit ab antiquis attributum, neque apud alios comperi, nequedum in mentem venit mihi. nihil enim*

C nim

Ait fuiſſe navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequiſſe præterire, ſive palmulis

Opus

*nim non vulgare eſt in ejus libris*. Quæ poſt alios interpretes ad hoc ποιημάτιον explicandum congeſſit Voſſius modo laudatus, lectu ſane digniſſima ſunt: multa enim continent quæ antiquorum navigationem illuſtrent, eamque a nonnullorum calumniis vindicent. Id unum probare non poſſum, quod *locum ubi Catullus phaſelum conſecravit*, affirmat, *fuiſſe ipſum Caſtorum ſeu templum ſeu nemus, cujus mentionem faciunt Tacitus aliique, e quibus ſatis colligi poſſit, iſtud haud procul a Padi fluminis abfuiſſe ripa, inter Bedriacum nempe & Placentiam*. Nam profecto veriſimillimum eſt, Sirmione potius, ubi domum habebat, hoc ἀνάθημα Caſtori & Polluci poetam ſuſpendiſſe: cum & *hoſpitum* plane meminerit, & *limpidi lacus*, nimirum Benaci, ad quem ſita Sirmio peninſula.

v. 1. *Phaſelus ille* ] Contendit Achilles Statius, hanc vocem ſcribendam gemina *ll*; auctoribus libris nonnullis miræ vetuſtatis. Nicodemus vero Friſchlinus Quæſtionum Grammaticarum lib. 1. pag. 18. mavult ſcribere *Faſelus*; docet enim, non Græcum, ſed barbarum eſſe vocabulum.

ibid. *Quem videtis* ] Intento digito hoc pronuntiandum, &, ut Græci loquuntur, δεικτικῶς. Infra Carm. 20.

*Agellulum hunc, ſiniſtra tute quem vides*.

Plautus Prologo Captivorum:

*Hi quos videtis ſtare hic captivos duos*.

Cicero Oratione frumentaria in C. Verrem: *Eorum omnium qui decumani vocabantur, princeps erat Q. ille Apronius, quem videtis*. Nec aliter locutus Virgilius Ecloga 1. v. 9.

*Ille meas errare boves, ut cernis, & ipſum*

*Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti*.

v. 2. *Ait fuiſſe navium celerrimus* ] ἑλληνισμὸς, pro *ait ſe fuiſſe celerrimum*. Ita locutus Homerus Iliados 18. v. 364.

- - ἔγωγ' ἥ φημὶ θεάων ἔμμεν' ἀρίστη·

*Ego, quæ ajo dearum eſſe præſtantiſſima*.

Idem Odyſſeæ lib. 21. v. 35.

Ἀνδρὸς δ' ἐξ ἀγαθοῦ γένος εὔχεται ἔμμεναι υἱός.

*Virique ex boni genere gloriatur eſſe filius*.

Lucianus pariter in Oratione inſcripta: *Prometheus es in verbis*: καὶ φημὶ ὅμοιος εἶναι αὐτῷ. *& ajo ſimilis eſſe ipſi*. Eodem pacto Heliodorus lib. 1. Hiſtoriæ Æthiopicæ: καὶ θεὸς εἶναι αἰνιττόμενα. *& quæ perſuaderet dea eſſe*; nempe *ſe eſſe deam*. Græcorum licentiam imitati Latini. Horatius Epiſt. 7. l. 1. v. 22.

*Vir bonus, & ſapiens dignis ait eſſe paratus*;

ut Cariſius quidem legit. Propertius Elegia 4. lib. 3.

*Me quoque conſimili impoſitum torquerier igni*

*Jurabo, & bis ſex integer eſſe dies*.

Idem Elegia 7. lib. 2.

*Viſura & quamvis numquam ſperaret Ulixem*.

Ovidius Elegia 4. lib. 2. Amorum:

*Spemque dat in molli mobilis eſſe toro*.

i. e. *ſe mobilem eſſe, aut futuram*. Idem lib. 13. Metamorph. v. 141.

- - - - *Sed enim quia rettulit Ajax*
*Eſſe Jovis pronepos* - - - - - -

Idem lib. 2. Triſtium v. 10.

*Acceptum refero verſibus, eſſe nocens*.

Vide Lambini Commentarium ad illud Horatii Ode 2. lib. 1.

- - *patiens vocari Cæſaris ultor*.

v. 4. *Sive palmulis Opus foret volare, ſive linteo* ] Quid proprie palmulæ ſint, docet Julius Pollux Onomaſtici li-

Opus foret volare, sive linteo.
Et hoc negat minacis Hadriatici
Negare litus, insulasve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,

Pro-

libro 1. cap. 9. τῆς κώπης, inquit, τὸ τελευταῖον, πτερὰ, καὶ ταρσοὶ κωπῶν. *remi partem extremam, alas, aut remorum palmulas vocant.* πτερὰ Græcorum docte expressit Propertius Eleg. 6. lib. 4.

*Nec te, quod classis centenis remiget alis,*
*Terreat* - - - - - - - - - - -

Porro naves dicebantur volare & remis, & velo. Hinc Virgilius 1. Æneidos v. 224. mare *velivolum* appellat, *per quod* nimirum *velis volatur*. Memorabile est quod animadvertit Minucius Felix, scriptor Christianus disertissimus, in Octavio: *Signum sane crucis naturaliter visimus in navi, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur*.

v. 5. *Sive linteo* ] Carbaso, velo, quod ex lino contextum est. Catullus ipse de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 225.

*Inde infecta vago suspendam lintea malo.*

v. 6. *Et hoc negat min. Hadr. Negare litus* ] Vossius pro *negat* legit *nec ant:* quæ lectio minus arridet; videtur enim Catullus quæsivisse leporem ex his vocibus *ait*, *negat*, quæ contrariæ sunt inter se. Notum illud Terentii Eunucho Ac. 2. Sc. 2. v. 21. *Negat quis? nego: ait? ajo*. Porro ita dictum est *negat negare*, quemadmodum paullo ante *neque nequisse*. Vide, mi lector, quam multa consideranda sint, priusquam aliquid vel minimum in bonis auctoribus mutetur.

v. 6. *Minacis Hadriatici litus* ] Cur poeta hoc loco litoris potissimum mentionem facit? nempe quod ejusmodi essent navigationes antiquorum, ut plerumque legerent litora, neque se profundo mari fere committerent. Virgilius Ecl. 8. v. 6. ad Augustum Cæsarem:

- - *seu magni superas jam saxa Timavi,*
*Sive oram Illyrici legis æquoris* - - - -

Et lib. 7. Æneidos v. 10.

*Proxima Circeæ raduntur litora terræ.*

Hujus rei argumento sunt promontoria illa navigantibus periculosa, quæ sinuosis longissimisque modo excurrentium, modo recedentium litorum spatiis naves prætereuntes morabantur; in quibus erat Malea, promontorium Laconiæ in Peloponneso, de qua Seneca Medeæ v. 149.

*Malea, longas puppibus flectens moras.*

Hos utique amfractus facile evitare potuissent, si se in altum conjecissent.

v. 7. *Insulasve Cycladas* ] Descriptiones locorum, oppidorum, montium, fluminum; fabulas item atque historias pete ex Indice nostro.

v. 8. *Rhodumve nobilem* ] Legibus videlicet, institutis, disciplinis, mercatura, egregiis artificum operibus, præcipue Solis colosso spectatissimam. Auctor liberi carminis Epigrammate 77. *beatam* vocat:

*Est tutela Rhodos beata Solis.*

nomen scilicet vetus indicare voluit: *Macaria* enim prius appellata fuerat, teste Plinio lib. 5. Nat. Historiæ cap. 21. Ceterum, ut Catullus Rhodum, ita Cretam Horatius *nobilem* dixit Epod. 9. v. 29.

*Aut ille centum nobilem Cretam urbibus*
*Ventis iturus non suis.*

ibid. *Horridamve Thraciam* ] Fortasse ob Aquilonem ventum e Thracia flantem, frigusque afferentem. Horatius Ode 25. lib. 1.

*Thracio bacchante magis sub interlunia*
*vento.*

Propontida, trucemve Ponticum sinum:
Ubi iste post phaselus antea fuit
Comata silva. nam Cytorio in jugo
Loquente sæpe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, & Cytore buxifer,
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima
Ait phaselus. ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine:

Tuo

v. 9. *Trucemve Ponticum sinum* ] Importuosum, nebulosum, &, quod minime sit profundus, ferventem atque agitatum. Sinum Ponticum olim e mari lacum aut paludem effectum iri, navigantibus omnino inviam; fluminibus limum assidue aggerentibus, disputat Polybius Histor. lib. 4. quem si quis legerit, operæ pretium faciet.

v. 10. *Ubi iste post phaselus antea fuit Comata silva* ] Ita locuti contubernales poetæ. Tibullus Eleg. 4. lib. 1.

*Vidi ego jam juvenem, premeret quum serior ætas.*

i. e. modo ætate florentem, deinde vero ad senectutem delapsum. Propertius Elegia 21. lib. 2. edit. Scalig.

*Redde etiam excubias divæ nunc, ante juvencæ.*

i. e. Isidi, nunc in deorum concilium cooptatæ, quæ tamen olim vaccæ figuram præ se tulerat. Quibus accedit Ovidius Epistola Penelopes v. 47.

*Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis*
*Ilios? &, murus quod fuit ante, solum?*

Ceterum Ponti regio silvis frequens erat, unde materies navibus compingendis. Horatius Ode 14. lib. 1.

*Quamvis Pontica pinus*
*Silvæ filia nobilis*
*Jactes & genus, & nomen inutile.*

v. 12. *Loquente coma* ] Quemadmodum Catullus arboribus, ita fontis aquæ Horatius loquelam tribuit Ode 13. lib. 3. *unde loquaces Lymphæ desiliunt tuæ.* ad quem locum vide Bentlejum. Scholiastes porro Theocriti ad Idyllium primum: ψιθύρισμα τῶν πιτύων πρὸς τὰς πνοὰς τῶν ἀνέμων τῶν σχιζομένων, *susurrum pinuum a flatibus ventorum discissarum*, exponit λάλημα, *sermonem*.

v. 13. *Cytore buxifer* ] E buxo autem Cytori pectines fiebant. Ovidius lib. 4. Metamorph. v. 311. de Nympha Salmacide cultui corporis indulgente:

*Sæpe Cytoriaco deducit pectine crines.*

Hoc viderat Joannes Livinejus.

v. 15. *Ultima ex origine* ] I. e. prima, remotissima. *Ultimum* enim, & in sermone familiari, & apud scriptores, pro *primo* accipi solet. Cornelius Nepos in Attico: *Pomponius Atticus ab origine ultima stirpis Romanæ generatus.* i. e. *vetustissima*. Cicero lib. 2. de Inventione: *Nobis omnium quicumque fuerunt ab ultimo principio hujus præceptionis usque ad hoc tempus, expositis copiis, quodcumque placuerit, eligendi potestas fuit.* Auctor Rhetoric. ad Herennium lib. 1. cap. 9. *Etsi non ab ultimo initio repetere volemus.* quamquam ibi τὸ *initio* suspicatur Gruterus glossema esse. Rursum Cicero lib. 1. de Legibus: *QU. Sed est quadam inter nos parva dissensio. AT. Quæ tandem? QU. A quibus temporibus scribendi capiatur exordium. ego*

enim

Tuo imbuisse palmulas in æquore:
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse: læva, sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Juppiter
Simul secundus incidisset in pedem.
Neque ulla vota litoralibus diis
Sibi esse facta, quum veniret a mare

No-

*enim ab ultimis censeo*. Contra Propertius Eleg. 4. lib. 3.

*Nunc mihi si qua tenes, ab origine dicere prima*
*Incipe - - - - -*

v. 17. *Tuo imbuisse palmulas in æquore* ] Remos navigandi rudes tuo mari primum expertum fuisse. Ut autem hoc loco novi remi dicuntur *æquore imbui*, eodem pacto in Carm. de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 11. dicitur *mare imbui cursu* a prima navi.

*Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.*

v. 18. *Tot per impotentia freta* ] i. e. procellosa, quæ vix navibus temperent. *Impotens* enim, peculiari significatione est *incontinens*, qui animum regere non potest. Hujusmodi *æquor*, *imperiosius* vocat Horatius Ode 14. lib. 1.

v. 19. *Læva, sive dextera Vocaret aura* ] Sic apud Virgilium legimus: *Aura vela vocant: lenis crepitans vocat Auster in altum:* & plura similia.

v. 20. *Sive utrumque Juppiter s. s. incidisset in pedem* ] Sive æquabili & propitio vento (hîc enim *Juppiter* ventus est) impleretur velum, ita ut rudentes quibus extremæ veli partes dextra lævaque navi colligantur, æque distenderentur. Hi autem rudentes a Græcis πόδες, a Latinis *pedes*, ab Italis *poggia*, ed *orza* vocari consueverunt. Huc pertinent verba Senecæ lib. 2. de Beneficiis cap. 34. *Ingens*, inquit, *copia est rerum sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed alienis commodatisque. Pedem & nostrum dicimus, & lecti, & veli, & carminis: canem & venaticum, & marinum, & sidus*. Hanc porro hujus vocabuli significationem antiquissimam esse, Homeri testimonio satis manifestum est, qui Odysseæ lib. 5. v. 260. ubi de navi ab Ulixe confecta:

Ἐν δ' ὑπέρας τε κάλως τε πόδας τ' ἐνέδησεν ἐν αὐτῇ.

*Illigavit quoque funesque rudentesque pedesque in ipsa.*

Commodissimæ hujusce navigationis ita meminit Ovidius lib. 3. Fastorum v. 565. in Annæ Perennæ historia:

*Nacta ratem, comitemque fugæ pede labitur æquo,*
*Mœnia respiciens dulce sororis opus.*

i. e. Carthaginem, quam Dido soror ejus condiderat.

v. 22. *Neque ulla vota litoralibus diis Sibi esse facta* ] Non quod contemtor deorum fuerit Catullus; sed quod prospero vento usus fuerit, & secundum cursum tenuerit: maxime enim vota suscipiebant tempestate laborantes. Ceterum *dii litorales* non sunt *dii marini*, sed potius quicumque fana in litoribus habebant: ut recte admonet Vossius.

v. 23. *Quum veniret a mare* ] Ita legendum, non *a mari*, libris MSS. auctoribus. Hinc jocum petivit Plautus Milite Glorioso Ac. 4. Sc. 7. v. 23.

PY. *Quid istuc, quæso, quid oculo factum est tuo?*

PL. *Ha-*

Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.
Sed hæc prius fuere: nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, & gemelle Castoris.

V. Vi-

PL. *Habeo quidem hercle oculum*. PY. *at lævum dico*. PL. *eloquar*.
*Maris caussa hercle istoc ego oculo utor minus*.
*Nam si abstinuissem amare, tamquam hoc uterer*.

Eo etenim Plauti loco, ut Mureto quidem videtur lib. 3. cap. 17. Var. Lectionum, ludit Pleusides Pyrgopolinicem ambiguitate vocabuli: cum enim dicere videatur duabus vocibus *Si a mare abstinuissem*; i. e. a navigando; non id dicit: sed conjunctim, *Si amare abstinuissem*. re vera enim *amor* ipsi caussa fuerat, ut eo oculo uteretur minus. *Mare* autem auferendi casu, præter Lucretium, & Ovidium, scripsit etiam Lactantius, antiquiorum diligens imitator, libro de Mortibus Persecutorum cap. 21. *Corpore jam cremato lecta ossa, & in pulverem comminuta, jactabantur in flumine ac mare*.

ibid. *A mare novissimo*] Novissimum mare appellat Pontum Euxinum; quod sit recessus ultimus Mediterranei maris, si unam tantummodo excipias Mæotidem, quæ paludis nomine gaudet. Incipit porro Mediterraneum a freto Gaditano, & ad Tanais usque fluminis ἐκβολὰς protenditur. Accuratius Ovidius locutus est Tristium lib. 3. Elegia 14.

*Dum me terrarum pars pæne novissima Pontus,*
*Euxinus falso nomine dictus, habet*.

Sed ibi Ponti nomine non sinus Ponticus, sed regio ad eum sita intelligenda est. Valerius Flaccus *novissimum* appellat mare Erythræum Argonauticon lib. 5. v. 77. - - - *rubrique novissima claustra Æquoris*. Cornelius vero Tacitus Annalium lib. 2. cap. 24. *novissimum, ac sine terris mare, Oceanum* vocat. Idem in Agricola cap. 10. memorat *oram novissimi maris*; nempe Britannici. His omnibus adde D. Ambrosium lib. 1. de Fide cap. 4. & 8. *Complens omnia, nusquam ipse confusus: penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus: ubique totus, eodemque tempore vel in cælo, vel in terris, vel in novissimo mari præsens*.

v. 24. *Hunc ad usque limpidum lacum*] Benaci nitorem ita nos olim describere conati sumus Elegia quadam:

*Hic ubi cymba levis Benaci ludit in unda,*
*Consuetasque parat piscibus insidias:*
*Et mihi miranti prodit pellucidus humor*
*Candida nudarum corpora Naiadum*.

v. 25. *Sed hæc prius fuere*] Simile est illud Aristophanis in Vespis v. 1360. Πρὶν ποτ' ἦν πρὶν ταῦτα· νῦν δ' οἴχεται γε. *Prius erant prius hæc: nunc abierunt*. Nec non Tibulli Elegia 5. lib. 2. *Hæc fuerunt olim*.

v. 26. *Seque dedicat tibi*] Non solum Castori & Polluci, verum etiam diis Samothracibus seu Cabeiris naviculas dedicabant e maris periculis, aut naufragio servati: cujus moris exemplum vide apud Callimachum Epigr. 51.

v. 27. *Gemelle Castor, & gemelle Castoris*] Veteres Castoris nomen sæpius exprimebant, Pollucis reticebant. Hinc urbanæ illæ Bibuli querelæ de Cæsare, cui datus fuerat in consulatu collega; apud Suetonium in Julio cap. 10. *Nec dissimularet collega ejus M. Bibulus evenisse sibi quod Polluci. Ut enim geminis fratribus ædes in foro constituta,*

tan-

## V.

VIVAMUS, mea Lesbia, atque amemus,
Ru-

*tantum Castoris vocaretur: ita suam Caesarisque munificentiam unius Caesaris dici.* Castores etiam ambo dicebantur. vide Plinium Hist. Natur. lib. 36. cap. 6. Porro Valerius Flaccus Argonaut. lib. 2. v. 426. *geminum Castorem* dixit:

*Nec minus Orphéa tristis cervice, tuaque,*
*Aeacide, & gemino conjunx a Castore pendet.*

quo pacto Juvenalis Sat. 11. v. 105. *geminos Quirinos* appellavit Romulum & Remum: quamquam Quirini nomen solius Romuli proprium esset. Hoc autem loco, silentio praetermittere non possum, quod M. Varro tradit lib. 2. de Re Rust. cap. 1. nimirum Geminos in Zodiaco non esse Castorem & Pollucem, verum Apollinem & Herculem.

Postremo, id te scire volo, lector candide, me, dum poetae hujus interpretes evolvo, atque attentius perlego, ne forte in eorum cogitata imprudens incidam, remque actam agere videar, aut etiam (quod nostri saeculi fastidium est) plagii crimine accuser; me, inquam, animadvertisse, illos saepenumero aliena scrinia compilare, dissimulantes quorum operâ profecerint: hujusque culpae affines esse etiam Muretum, & Statium, & Scaligerum, magnos illos heroas, litterarumque sine provocatione dictatores: quos videlicet ex Antonii Parthenii Lacisii Veronensis fontibus, hominis, quantum illa ferebant tempora, non vulgari doctrina, hortulos suos clam irrigare non puduit. Id si nos interdum faceremus, non data opera quidem, sed vel humanae naturae vitio, vel negligentia lapsi; dii boni! quantae continuo tragoediae excitarentur! clamarent scilicet, *fieri in civitate facinora capitalia, frontem de rebus perisse.* At non tam severe nobiscum agendum esse de litteris bene mereri studentibus, satis docent exempla magnorum virorum, qui pravo metu, vel pudore se deterreri passi non sunt, quominus in hac palaestra desudarent. Laudo equidem sententiam Petri Burmanni V. C. cujus haec sunt verba in Praefatione ad novam editionem C. Valerii Flacci a se procuratam: *Plura ........ nunc scire cogimur, & per immensam illam editionum multiplicatarum copiam, vix vita, etiam laboriosissimi litteratoris, sufficit tribus quatuorve Auctoribus, si in eos commentarios scribere velit, ita excutiendis, ut nihil praeteriisse jure dici possit. Adde molem illam observationum, emendationum, variarum lectionum, & infinitam Criticorum & Philologorum turbam, qui & hic & illic loca veterum Auctorum tractant, quae omnis tamen perlustranda est, nisi quis plagii & furti crimine se traduci velit.* Laudo illorum duritiem qui nullis laboribus parcunt, ut nihil nisi indictum proferant: sed neque aliorum animi magnitudinem contemnere possum qui minore temporis dispendio in litteris versati, si quid aliunde scientes acceperint, se sumsisse, ingenue profitentur: neque si in aliquo interdum nescientes offenderint, statim dignitatem, existimationem, salutem denique suam agi arbitrantur.

ARGUM. CARM. V.] Admonitu mortis puellam ad fruendas secum voluptates cohortatur. *M. Antonius Muretus*. Plurimum sane interest ad morum institutionem, quid sentiant homi-

Rumoresque senum severiorum
Omnes unius æstimemus assis.
Soles occidere & redire possunt:

No-

mines de morte, ac de his quæ uniuscujusque mortem consecutura sunt. Etenim quibus animum simul cum corpore exstingui persuasum est, nullumque fore de rebus quas in vita gesserimus disceptatorem ac judicem, unde & virtutum præmia, & flagitiorum pœnas exspectare debeamus; eos, si modo sibi constare velint, neque aliquando naturæ bonitate vincantur, necesse est unam voluptatem, tamquam summum bonum propositam habere, in eamque vel suæ mortaliratis commonitos avidissime ferri: vitæ enim brevitate atque incertis casibus, sibi consulere quodammodo coguntur, ne forte jucunda in aliud tempus differendo genium fraudent. Propterea veteres illi, quibus anima, ut suibus, pro sale fuit, μὴ ἔχοντες ἐλπίδα, ut loquitur D. Paullus ad Thessalonicenses cap. 4. v. 12. si quando in mortis mentionem incidissent, tum vero, quasi repagulis fractis, acrius atque incitatius in omne libidinum genus ruebant. Nos contra, qui maximo Dei beneficio Christiani sumus, tantum abest ut mortis cogitatione pro vitiorum illecebra abutamur, ut ea potissimum effrenatas cupiditates coercere, atque in nostram potestatem redigere soliti simus: æterna scilicet bona spectantes, quæ pie atque honeste vitam agentibus summus ille actionum humanarum arbiter pollicetur.

v. 1. *Atque amemus* ] Hoc loco verbum *amare* nullum casum regit, & *ἀπέρατον* est. Eodem pacto usurparunt Plautus Mostellaria Ac. 1. Sc. 1. v. 35.

*Lubet potare, amare, scorta ducere.*

Tibullus Elegia 3. lib. 2.

*Glans aluit veteres, & passim semper amarunt.*

Sallustius Bello Jugurthino in Oratione Marii ad Quirites: *Quin ergo, quod juvat, quod earum æstumant, id semper faciant: ament, poteut: ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, dediti ventri, & turpissimæ parti corporis.*

v. 2. *Rumoresque senum severiorum O. v. æ. a.* ] Huc, opinor, animum adhibuit Seneca, qui verbis hominis voluptatibus dediti sic ait Epist. 123. *Istos tristes & superciliosos alienæ vitæ censores, suæ hostes, publicos pædagogos, assis ne feceris: nec dubitaveris bonam vitam, quam opinionem bonam malle. bonam vitam*, i. e. jucundam, & luxu affluentem.

v. 3. *Unius* ] Secundâ syllabâ correptâ κατὰ συστολὴν, ut ratio carminis constet.

v. 4. *Soles occidere & redire possunt, &c.* ] Ex eodem argumento contrariam omnino conclusionem colligit Minucius Felix in Octavio m. pag. 39. *Vide adeo*, inquit, *quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit, & nascitur; astra labuntur, & redeunt; flores occidunt, & reviviscunt; post senium arbusta frondescunt; semina non nisi corrupta revirescunt. ita corpus in sæculo, ut arbores in hiberno, occultat virorem ariditate mentita.* Horum simillima sunt quæ scribit D. Gregorius Magnus libro 14. Commentariorum in Job cap. 28. *Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Per quotidiana quippe momenta lux ipsa temporalis quasi moritur, dum supervenientibus noctis tenebris, ea quæ aspiciebatur, subera-*

*bi-*

Nobis, quum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,
Deinde usque altera mille, deinde centum.
Dein quum millia multa fecerîmus,

Con-

*bitur: & quasi quotidie resurgit, dum lux ablata oculis, suppressa iterum nocte reparatur. Per momenta quoque temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere, a fructuum prolatione cessare: & ecce subito quasi ex arescenti ligno velut quadam resurrectione veniente videmus folia erumpere, fructus grandescere, & totam arborem redivivo decore vestiri.* Sequuntur plura in eamdem sententiam.

v. 6. *Nox est perpetua una dormienda*] Noctem perpetuam vocat tempus illud æternum quod statim a morte incipit. Plato in Apologia Socratis: καὶ γὰρ οὐδὲν πλείων ὁ πᾶς χρόνος φαίνεται οὕτω δὴ εἶναι ἢ μία νύξ. *Nam nihil aliud amplius videtur esse universum tempus quam unica nox.* Ovidius *noctem perennem* dixit Epistola Hypermnestræ v. 74.

*Nox tibi, ni properas, ista perennis erit.*

Idem lib. 1. Metamorph. v. 721. de Argo pastore a Mercurio occiso:

*----centumque oculos nox occupat una;*

videlicet *mors*. *Perpetua nox* eidem poetæ cæcitas est lib. 7. Metamorph. v. 2.

*Perpetuaque trahens inopem sub nocte senectam*
*Phineus visus erat.* - - - - -

Vide quæ superius attulimus ad Carmen 3. v. 11.

v. 7. *Da mî basia mille*] Ovidium hac voce *basia* numquam usum fuisse notat Burmannus ad Epistolam Phyllidis v. 94.

v. 9. *Usque*] I. e. continenter, sine ulla intermissione. Sæpius allatus Ovidius Epistola Penelopes v. 81.

*Me pater Icarius viduo discedere lecto*
*Cogit, & immensas increpat usque moras.*
*Increpet usque licet: tua sim, tua dicar oportet.*

v. 10. *Quum millia multa fecerîmus*] Hunc loquendi modum non temere invenias, *facere multa millia basiorum*. id autem est *subducere summam illorum* tamquam pecuniæ: nam & ipsa *summa fieri* dicitur, quod pluribus Ciceronis exemplis facile ostendi potest. Lepide Janus Broukhusius poeta Batavus Elegia 3. lib. 1.

*Hesperus innocuæ dulcissima cura Diones,*
*Virgineis semper latus in exuviis.*
*Ille tuos lusus narrabit, & oscula diva,*
*Oscula quæ teneris supputat articulis.*

Digitis enim antiqui rationem pecuniæ interdum conficiebant. *Facere* igitur hoc loco significat *congerere, acervo addere:* quemadmodum *facere sanguinem* apud Ovidium Epistola Hypermnestræ v. 79.

*Mane erat: & Danaus generos ex cæde jacentes*
*Dinumerat. Summæ criminis unus abes.*
*Fert male cognatæ jacturam cædis in uno;*
*Et queritur facti sanguinis esse parum.*

Eodem pacto Itali dicimus *far acqua, far legna;* hoc est *aquari, lignari*. item *far erba;* nempe *fœnum secare*. *far la barba;* i. e. *genas tondere,* seu *novacula radere:* dum enim barba demitur, pili coacervantur. Porro *fecerîmus* posuit Catullus, pænultima producta κατὰ διαστολὴν, metri gratia.

Conturbabimus illa, ne ſciamus,
Aut ne quis malus invidere poſſit,
Quum tantum ſciat eſſe baſiorum.

## V I.

FLAVI, delicias tuas Catullo,
Ni ſint illepidæ, atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere poſſes.

Ve-

v. 11. *Conturbabimus illa* ] Recte animadvertit Achilles Statius, vir exquiſita eruditione, ac multis Catulli interpretibus merito præferendus, poetam hoc loco, verbo maxime proprio uſum fuiſſe. Rationes enim conturbari proprie dicuntur, cum æs alienum contrahitur, & paterfamilias decoquere incipit, nec amplius ſolvendo eſt. Vide Hadrianum Turnebum lib. 22. Adverſariorum cap. 23. *Conturbabimus* igitur *oſcula*, ait poeta, ut ſummæ prioris obliti, novam de integro rationem ineamus.

v. 12. *Aut ne quis malus invidere poſſit* ] Putabant enim, faſcinum atque invidiam iis tantum rebus nocere poſſe quarum numerus certus erat. Id viderunt priores interpretes.

v. 13. *Quum tantum ſciat eſſe baſiorum.* ] Vide hujus verſiculi παρῳδίαν apud Auctorem obſcœni carminis Epigr. 52. *Tantum librorum* dixit Cicero lib. 3. de Finibus, non procul ab initio.

ARGUM. CARM. VI. ] Amorem Flavii turpem atque ineptum eſſe, ex eo conjicit, quod ille occulte amaret, neque poetæ, quamquam familiariſſimo, rem prodere auderet. Deinde, ſi amicæ nomen profiteri voluerit, quæcumque tandem illa ſit, pollicetur ſe operam daturum, ut id carminibus ſuis illuſtre fiat.

v. 3. *Velles dicere, nec tacere poſſes* ] Hoc enim omnibus fere amatoribus vitium eſt, ut ſodalibus & amicis voluptates ſuas enarrent, citiuſque accenſos ore carbones, quam quod ſibi læti proſperique in amore evenerit, tacitum apud ſe continere poſſint. Sceleroſus ille adoleſcens Terentianus, qui virgini ſtuprum obtulerat, ſibi aliquem obvium fieri cupit, quem præclari facinoris a ſe commiſſi certiorem faciat. Ejus verba ſunt, Eunucho Ac. 3. Se. 3. v. 5.

*Sed neminémne curioſum intervenire nunc mihi,*
*Qui me ſequatur, quique jam rogitando obtundat, enecet:*
*Quid geſtiam, aut quid lætus ſim, quo pergam, unde emergam, ubi ſiem*
*Veſtitum hunc nactus, quid mihi quæram, ſanus ſim, anne inſaniam?*

Ovidius autem Artis Amat. lib. 2. v. 625. morem hunc peſſimum ita deſcribit:

*At nunc nocturnis titulos imponimus actis:*
*Atque emitur magno nil, niſi poſſe loqui.*
*Scilicet excuties omnes ubicumque puellas,*
*Cuilibet ut dicas: Hæc quoque noſtra fuit.*
*Ne deſint quas tu digitis oſtendere poſſis.*

Ut

Verum nescio quid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.
Nam te non viduas jacere noctes
Nequicquam tacitum cubile clamat,
Sertis ac Syrio fragrans olivo;

Pul-

*Ut quamque attigeris, fabula turpis erit.*
*Parva queror: fingunt quidam qua vera negarent,*
*Et nulli non se concubuisse ferunt.*
*Corpora si nequeunt, qua possunt nomina tractant:*
*Famaque, non tacto corpore, crimen habet.*

v. 4. *Nescio quid febriculosi Scorti* ] Cujusmodi est illud quod καθ' ὑπερβολὴν nobis ob oculos ponit Auctor Carminis in Priapum Epigr. 32. his versibus:

*Uvis aridior puella passis,*
*Buxo pallidior, novaque cera:*
*Collatas sibi qua, suisque membris*
*Formicas facit altiles videri:*
*Cujus viscera non aperta Tuscus*
*Per pellem poterit videre haruspex &c.*

*Nescio quid*, hoc loco, elevantis & contemnentis est, ut apud Ciceronem Epist. 1. lib. 13. *Nescio quid illud Epicuri parietinarum*. ad quæ verba consulendus Manutii Commentarius.

v. 7. *Nequicquam tacitum cubile clamat* ] Tò *Nequicquam* aut significat *frustra*, ut sententia sit: *Lectus quamquam taceat*, odore tamen unguenti & corollarum quo imbutus est, nequitiam tuam satis manifestat: vel accipiendum est pro *non*, quomodo interdum ab optimis Latinitatis auctoribus usurpatur. Sic vero intelligemus cubile *garrulum*, *argutum*, *loquax*. Hanc porro alteram explicationem priori prætulerim, quum infra mentio fiat *argutationis lecti*.

v. 8. *Sertis, ac Syrio fragrans olivo* ] Corollis floreis, & oleo maxime odorato, quod veteres e malobathro exprimebant capillis ungendis, & foliatum vocabant. Malobathrum porro folium est odore nardi. Sed & unguentum ex ipsa nardo commode intelligere possumus: hæc enim duo, serta nimirum & nardum conjungit etiam Tibullus Elegia 6. lib. 3.

*Jamdudum Syrio madefactus tempora nardo*
*Debueram sertis implicuisse comas.*

Hoc autem olei odorati genus idem Tibullus Elegia 4. lib. 3. *Syrium rorem* appellavit:

*Stillabat Syrio myrtea rore coma.*

Propertius vero Elegia 12. lib. 2. *Syrium munus*, i. e. munus e Syria vel Assyria (etenim hæ duæ regiones interdum apud poetas confunduntur) advectum:

*Quum dabitur Syrio munere plenus onyx.*

His porro muneribus peregrinis puellæ Romanæ sæpius pudicitiam vendebant, eodem Propertio teste Elegia 2. lib. 1. Vasculis ex onyche nardum, sive unguentum nardinum servari solitum fuisse, auctor est Horatius Ode 12. lib. 4.

Sed cur qui puellis operam dabant, oleo perungebantur? Nimirum, quod oleum, tenax humor, tamquam glutine quodam angustiis cutis meatibus occlusis, nimium vaporum effluxum e corpore prohibeat, quo sensim corpus attenuatur & solvitur: odorato autem eo potissimum utebantur; quod halitu odorum cerebrum recreetur, animusque ad lasciviam provocetur.

D 2 v. 9.

Pulvinusque peræque & hic & illic
Attritus, tremulique quassa lecti
Argutatio, inambulatioque.
Nam ni istapte, valet nihil tacere.
Cui non jam latera exfututa pandant
Noctu quid facias ineptiarum?
Quare quicquid habes boni, malique,

Die

v. 9. *Pulvinus & hic & illic Attritus* ] Ut ex æquo omnium partium pulvini attritu facile colligi possit, Flavium non dormire solum, sed lateri amicæ adhærentem. Pulvinus hoc loco significare videtur id quod Itali dicunt *il capezzale*. Propertius contra Elegia 22. lib. 2. E. B.

*Apparent non ulla toro vestigia presso*
*Signa voluptatis, nec jacuisse duos.*

v. 10. *Tremulique quassa lecti Argutatio, inambulatioque* ] *Lecti argutationem* Italice vertas licet: *Il cigolare del letto*. *Inambulationem* Ludovicus Areostus lib. 28. Rolandi Furentis vertit *il calpestio*.

*Avea Giocondo, ed avea il Re sentito*
*Il calpestio, che sempre il letto scosse.*

Id Latini poetæ non uno modo expressere. Ovidius Amorum lib. 3. Eleg. 14.

*Spondaque lasciva mobilitate tremat.*

Juvenalis Satyra 6. v. 21.

*Antiquum & vetus est alienum, Postume, lectum*
*Concutere - - -*

Idem Satyra 9. v. 67.

*- - - testis mihi lectulus, & tu*
*Ad quem pervenit lecti sonus, & domina vox.*

Alii aliter.

v 12. *Nam ni istapte* ] Ita corruptissimum, & pæne desperatum locum e vestigiis antiquæ scripturæ Vossius refinxit. Sic autem explicabis: Nisi ista vera sint quæ adhuc memoravi, *nihil valet tacere*, i. e. silentii nullam caussam habes: qui enim formosas amant, amorem suum omnibus notum esse volunt, & de illo gloriantur: te igitur invenustæ puellæ mancipium esse, silentium tuum satis ostendit. Fuit olim cum legerem,

*Nam nil prævalet ista, nil tacere*;

quod excudi curaverat in sua Catulli editione vir celeberrimus Joannes Georgius Grævius: quæ lectio sententiam hujusmodi continebat: Nihil agis, o Flavi, amores tuos me celando, nihil profecto agis. Repetitio ista τῶ *nil* efficacem habet significationem, ut *non non* apud eumdem Catullum Carm. 14. & apud Propertium. Additur autem verbo *valet* particula *præ*; comparatur enim silentium Flavii cum apertis libidinis ejus indiciis, adversus quæ inutile est omnino tacere.

v. 13. *Latera exfututa* ] Emuncta, & viribus defecta. Id Joannes Boccatius, Italorum scriptorum disertissimus, eleganter expressit his verbis: (Giorn. 2. Nov. 10.) *Io non intendo perciò, di mai tornare a voi, di cui tutto premendovi non si farebbe uno scodellin di salsa*. Ita vero (Giorn. 3. Nov. 10.) *Si la bambagia del farsetto tratta gli avea, che egli a tal' ora sentiva freddo, che un altro sarebbe sudato*. Verecundius Ovidius quam Catullus, Amorum lib. 3. Elegia 11.

*Vidi, cum foribus lassus prodiret amator,*
*Invalidum referens emeritumque latus.*

ibid. *pandant* ] Declarent, manifestent.

v. 17.

Dic nobis. volo te ac tuos amores
Ad cælum lepido vocare versu.

## VII.

QUÆRIS, quot mihi basiationes
Tuæ, Lesbia, sint satis superque?
Quam magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpiciferis jacet Cyrenis

Ora-

v. 17. *Ad cælum vocare* ] Immodice laudare, immortalitati commendare. Quemadmodum vero Catullus *vocare ad cælum*, ita Cicero dixit *vocare ad vitam*, *ad salutem*, *ad utilitatem*, *ad exitium & vastitatem*; & alia plura horum similia.

ARGUM. CARM. VII. ] Innumeram osculorum segetem a Lesbia petit.

v. 1. *Quæris, quot mihi b. T. L. s. s. s.* ] Eadem orationis figura utitur Propertius Elegia 18. lib. 2. edit. Broukusii.

*Quæris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes?*

rursus Elegia 23. ejusdem libri:

*Quæris, cur veniam tibi tardior?*

Idem Elegia 1. lib. 2.

*Quæritis, unde mihi toties scribantur amores?*

denique Elegia 11. lib. 3.

*Quæritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis?*

Hunc vero imitatus Ovidius initio lib. 5. Fastorum:

*Quæritis, unde putem Majo data nomina mensi?*

v. 3. *Libyssa arena* ] I. e. *Libyca*. Docuit Muretus, ita *Libyssam* feminco genere declinari a *Libs*, quemadmodum *Thressa*, *Phœnissa* deriventur a *Thrax*, *Phœnix*. Addo ego, simili ratione fieri *Cressam* a *Cres*. Virgilius 5. Æneid. v. 285. *Cressa genus Pholoë*. Palladius Fuscus perperam existimavit, masculino genere *Libyssus* dici posse.

v. 4. *Laserpiciferis jacet Cyrenis* ] Laserpicium, quod Græci σίλφιον vocant, summo in honore fuit apud antiquos, & valde a medicis commendatum. Copiose describitur a Theophrasto lib. 6. Historiæ Plantarum cap. 3. ubi docet, pecus folio ejus purgari, & vehementer pinguescere, tum carnes mirum saporem contrahere. Caulem, hominum cibo idoneum esse, elixum perinde atque assum: corporibus quoque purgandis adhiberi. Succum præbere duplicem, ex radice alterum, alterum e scapo. Locum Africæ quatuor stadiorum millibus ampliorem ab hac planta occupari, in hortis Hesperidum: maximam tamen partem colligi apud Syrtes. Locis desertis gaudere, cultum omnem aspernari: quod si solum mitescat, vel manu colatur, non provenire. Dioscorides vero lib. 3. περὶ ὕλης ἰατρικῆς cap. 94. tradit, laserpicium circa Syriam, Armeniam, Mediam, & Libyam nasci. Cyrenaicum porro ceteris præfert, laudatque potissimum ab odoris suavitate. Vide & Plinium lib. 19. cap. 3.

Immensos arenæ cumulos Cyrenis, sive in Cyrenaica regione jacuisse; ut reliquorum testimonia omittam; memorat Sallustius Belli Jugurthini cap. 81.

Oraclum Jovis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulcrum :

Aut

81. *Qua tempestate*, inquit, *Carthaginienses pleraque Africa imperitabant, Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere. Ager in medio arenosus, una specie: neque flumen, neque mons erat, qui fines eorum discerneret: qua res eos in magno diuturnoque bello inter se habuit*. & pluribus interjectis: *Ceterum solet in illis locis tempestas haud secus atque in mari, retinere. Nam ubi per loca aqualia & nuda gignentium ventus coortus arenam humo excitavit, ea magna vi agitata, ora, oculosque implere solet: ita prospectu impedito, morari iter*. His porro tempestatibus & arenarum molibus, ad Hammonis templum nobilissimum, de quo mox Catullus, oppressum interiisse Cambysæ Persarum regis exercitum, qui id expugnatum venerat, narrat Justinus lib. 1. Historiarum Trogi cap. 9.

v. 5. *Oraclum Jovis inter æstuosi* ] *Jovem æstuosum* appellat poeta noster Jovem Hammonem, cujus in Libya templum atque oraculum fama celeberrimum, in septem orbis miraculis numeratum est. Fingebatur Hammon capite arietino: a Græcis propterea dictus κεραοφόρος, nempe *corniger*, *cornutus*. Q. Curtius tamen de rebus gestis Alexandri Magni lib. 4. cap. 7. de forma simulacri ejus numinis videtur a reliquis scriptoribus dissentire. Ipsius enim verba sunt: *Id quod pro deo colitur, non eamdem effigiem habet quam vulgo diis artifices adcommodaverunt: umbilico maxime similis est habitus, zmaragdo & gemmis coagmentatus*. Quem locum Modius & Palmerius ita restituendum putant: *Umbilico tenus arieti similis est*. Porro cur *æstuosus* Hammon vocetur, ejusdem scriptoris verba quæ sequuntur, declarabunt: *Adire* ( Alexander ) *Jovis Hammonis oraculum statuit. Iter expeditis quoque & paucis vix tolerabile ingrediendum erat: terra cæloque aquarum penuria est: steriles arena jacent; quas ubi vapor Solis accendit, fervido solo exurente vestigia, intolerabilis æstus exsistit. luctandumque est non tantum cum ardore & siccitate regionis, sed etiam cum tenacissimo sabulo, quod præaltum, & vestigio cedens, ægre moliuntur pedes*. Nec dissimilia tradit Arrianus de Expeditione Alexandri lib. 3. ὁ δὲ χῶρος, ait, ἵναπερ τοῦ Ἄμμωνος τὸ ἱερόν ἐστι, τὰ μὲν κύκλῳ πάντα ἔρημα, καὶ ψάμμος τὸ πᾶν ἔχει, καὶ ἄνυδρος. *Locus autem in quo Hammonis templum est, omni ex parte vastas solitudines, & densas ac siticulosas arenas habet*.

v. 6. *Et Batti veteris sacrum sepulcrum* ] Battus Theræus, primus Cyrenarum conditor, proprio nomine Aristoteles vocabatur. vide Spanhemium ad Hymnum Callimachi in Apollinem v. 76. Videtur autem Batti cognomen ex eo invenisse, quod tenui admodum voce, & lingua esset impeditiore. id enim vitium Græci dicunt βαττολογίαν. Narrat Pausanias in Phocicis cap. 15. Cyreneos Delphis Batti statuam posuisse in curru, quod is ex insula Thera eos in Africam classe deduxisset in coloniam. Aurigam ejus currus fuisse matrem ipsius Cyrenen. In curru Libyen Nympham Batto coronam imposuisse. Opus fecisse Amphionem Acestoris filium Gnossium. His porro subjicit, eumdem Battum deducta jam Cyrene colonia, vocis medelam ita invenisse: dum Cyrenæi in extrema Africæ deserta excurrunt, leonem ab eo conspectum tantum homini terrorem subito occursu intulisse, ut is necessitate cogente magnum & clarum clamorem sustulerit. Jucunda item

ac

Aut quam sidera multa, quum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores:

Tam

ac lectu digna sunt quæ de Batto monumentis litterarum tradidit Justinus lib. 13. cap. 7. Historiarum Trogi; quæ tamen a prioribus Catulli interpretibus occupata fuerunt. Meminit quoque Silius Italicus lib. 8. Punicorum v. 57.

*Battus Cyrenen molli tum forte fovebat*
*Imperio, mitis Battus, lacrimasque dedisse*
*Casibus humanis facilis - - - -*

ad quem Silii locum vide Danielis Heinsii, ut ipse appellat, Crepundia. Ludovicus Areostus, poeta ingeniosissimus, &, si quis alius, felix antiquorum æmulator, hos Catulli versus ante oculos habuit, eum ita scriberet lib. 33. magni operis:

*Rimase addietro il cimiter di Batto,*
*E'l gran tempio d' Ammon, ch' oggi è disfatto.*

Ceterum, eorum qui urbes condiderant, sepulcra insignia olim fuisse, vel ex illo Virgilii colligi potest Ecloga 9. v. 59. - - - *namque sepulcrum Incipit apparere Bianoris.* Bianor autem, sive Ocnus, Mantuam condidit.

ibid. *Et B. veteris sacrum sepulcrum*] Quamquam sepulcra proprie *religiosa* dicerentur, ut docent jurisconsulti; sepulcrum tamen Batti, utpote herois, vel semidei, *sacrum* appellat poeta. Cicero Philippica 9. *Sepulcra fiunt sanctiora vetustate.*

v. 7. *Quum tacet nox*] Vel nocte intempesta, cum omnia silent: vel serena potius ac tranquilla, ventis interquiescentibus. Huic explicationi favet Achilles Statius; cui pæne assentior: sidera enim puro ac sereno cælo maxime fulgent. Tibullus Carmine in Priapum: *Silente nocte.* Horatius Ode 8. lib. 2.

*Expedit matris cineres opertos*
*Fallere, & toto taciturna noctis*
*Signa cum cælo - - - -*

v. 8. *Furtivos hominum vident amores*] Tribuit sideribus visum, quasi ea sint cæli oculi. Scholiastes Theocriti ad versum 12. Pharmaceutriæ: *τὴν Ἑκάτην δὲ καὶ τὴν Σελήνην ἐπικαλεῖται ὡς νυκτερινὰς θεὰς, καὶ τὰ κατὰ τὴν νύκτα πραττόμενα ἐφορώσας. Hecaten & Lunam invocat, utpote nocturnas deas, & quæ noctu aguntur, inspicientes.* Propertius pariter Elegia 7. lib. 2. E. B.

*Sidera sunt testes, & matutina pruina,*
*Et furtim misero janua aperta mihi.*

Et Horatius Satyra 8. lib. 1. quamquam in re dissimili:

*- - - - - Lunamque rubentem,*
*Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.*

Latinos poetas imitati sunt Itali recentiores. Franciscus Petrarca (*p. 1. Canz.* 3.)

*Con lei fos' io da che si parte il Sole;*
*E non ci vedess' altri che le stelle*
*Sol' una notte, e mai non fosse l' alba.*

Et hunc fortasse locum poetæ nostri spectans Areostus lib. 14. divini poematis:

*E per quanti occhi il Ciel le furtive opre*
*Degli amatori a mezza notte scopre.*

qui verba Catulli *quum tacet nox*, Italice interpretatus est, *a mezza notte.* conticinium enim noctis intellexit, quod Græcis est *μεσονύκτιον*. Dixerat Plinius, floridæ orationis amator, Histor. Nat. lib. 2. cap. 5. *Inde tot stellarum collucentium illos oculos.* Propterea mirum non est, hunc loquendi modum Sanazario placuisse, magni judicii viro, in Lamentatione de Morte Christi Domini v. 5.

Æter-

Tam te basia multa basiare
Vesano satis & super Catullo est;
Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

## VIII.

Miser Catulle, desinas ineptire,
Et quod vides perisse, perditum ducas.

Ful-

*Æternosque astrorum ignes, cæliique micantes*
*Scintillare oculos.* - - - - - -

Nec non Torquato Tasso, qui Gothofredi lib. 12. ita cecinit:

*Che da ogni uom la nasconde, e in chiuso loco*
*Vorria celarla a i tanti occhi del cielo.*

Huc pertinet etymologia vocis οὐρανὸς, qua *cælum* Græci significant, a Phurnuto allata cap. 1. Commentarii de Natura Deorum: Ἔνιοι δέ φασιν ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν αὐτὸν, ἢ ὀρίγειν τὰ πάντα, ὅ ἐστι φυλάττειν, οὐρανὸν καλεῖσθαι. *Quidam volunt*, οὐρανὸν, *nempe cælum, esse dictum* ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν αὐτὸν, ἢ ὀρίγειν, *id est ab eo quod videat & custodiat omnia.*

v. 9. *Basia multa basiare* ] Hujusmodi σύνταξιν Latini a Græcis accepere, qui ea sæpenumero usi sunt. Hesiodus ἐν ἔργοις v. 82. δῶρον ἐδώρησαν. Aristophanes Pluto v. 10. μέμψιν δικαίαν μέμφομαι ταύτην. Simile Homericum illud Odysseæ lib. 9. v. 108. φυτεύειν φυτόν. & illa Platonis: πάσχειν πάθος, βλασφημεῖν βλασφημίαν, ἀδικεῖν ἀδικίαν, φοβεῖσθαι φόβον. Occurrunt non raro & apud alios scriptores, πολεμεῖν πόλεμον, παρανομίαν παρανομεῖν, ὑβρίζειν ὑβρισμὸν, ἐργασίαν ἐργάζεσθαι, κινδυνεύειν κίνδυνον, θρίαμβον θριαμβεύειν, δειπνεῖν δεῖπνον: & sexcenta eadem facie. Ita Latini dixerunt *facere facinus, gaudere gaudium, metere messem, ludere ludum, pugnare pugnam*; quo locutionis genere in primis delectatus est Plautus. Exempla ex ejus Comœdiis collecta suppeditat Lexicon Plautinum Joannis Philippi Parei, verbo *Atticismos*, & verbo *Parallela*.

v. 11. *Pernumerare* ] I. e. numerum absolvere, integram summam colligere; particula enim *per* verbis simplicibus addita, eorum significationem plerumque intendit.

v. 12. *Fascinare* ] Fascino lædere, quod erat veneficii ac delinimenti genus. vide quæ diximus ad versum 12. Carm. 5.

Argum. Carm. VIII. ] Cum animadvertat, se ab amica contemni, & ipse parem illi gratiam referre statuit.

v. 1. *Desinas ineptire* ] Ineptiunt nimirum qui muliercularum levitate præter modum offenduntur, & ab iis virilem constantiam postulant: qui rerum naturas mutari volunt. Hujusmodi homines licentiæ puellarum infensos, & rivalis impatientes idem poeta Elegia ad Manlium v. 136. nomine stultorum donavit: id enim expetunt quod vix obtineri potest.

*Rara verecundæ furta feremus heræ,*
*Ne nimium simus stultorum more molesti.*

v. 2. *Et quod vides perisse, perditum ducas* ] Si enim spem deposueris, metu quoque solutus eris. A Plauto sum-

tum

Fulsere quondam candidi tibi soles,
Quum ventitabas quo puella ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tam jocosa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.
Fulsere vere candidi tibi soles.
Nunc jam illa non vult, tu quoque impotens ne sis:

Nec

tum videtur, qui Trinummo Ac. 4. Sc. 3. v. 19.

*Quin tu, quod periit, periisse ducis?* opinor tamen, loquendi formulam fuisse vulgo jactatam.

v. 3. *Candidi soles* ] Fausti dies, albo lapillo notandi. Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

*At tu, Natalis, multos celebrande per annos,*
*Candidior semper candidiorque veni.*

v. 4. *Ventitabas* ] Idemtidem veniebas. est enim frequentativum, ut Grammatici appellant. Cicero Philippica 2. *Domum meam ventitaras.*

ibid. *Quo puella ducebat* ] Janus Broukhusius ad Propertium Elegia 22. lib. 3. levi opera Catullum emendat, legitque hoc loco *dicebat*. nempe *jubebat*, *condicebat*, *constituebat*. Quam tamen lectionem longe antea proposuerat Janus Douza filius in suis ad Catullum Notis. Addam ego, id Horatio Ode 9. lib. 1. esse *componere horam*, id est præstituere tempus, *accordare l' ora*, *il tempo*.

*- - - nunc & campus, & areæ,*
*Lenesque sub noctem susurri*
*Composita repetantur hora.*

Sed & vulgata lectio proba est, nec temere mutanda.

v. 5. *Amata nobis* ] Idem poeta Venusinus Epodo 17. v. 20.

*Amata nautis multum, & institoribus.*

v. 6. *Illa multa tam jocosa fiebant* ] τὴν συνουσίαν verecunde significat. Cicero pariter libro 2. de Finibus, ubi Thorii Balbi Lanuvini vitam voluptati deditam describit: *Cetera illa adhibebat, quibus demtis negat se Epicurus intelligere quid sit bonum. Omnia facere*, Ovidio & Petronio est res Veneris perficere, concubitu defungi, quod Itali dicunt *compire*. Prior Epistola Sapphûs v. 133.

*Ulteriora pudet narrare: sed omnia fiunt.*

Alter in Satyrico, non procul ab initio: *Fruor votis usque ad invidiam felicibus. Nec adhuc quidem omnia erant facta, quum Ascyltos furtim se foribus admovit.*

v. 7. *Nec puella nolebat* ] Pudori simul & amatori obsecuta, neque libidinem suam fatebatur, neque alienæ repugnabat. Hi sunt mores mulierum. Ita Cicero aliquoties locutus. Libro 2. de Oratore: *Qunmque is se non nolle dixisset*. Et Oratione 4. in C. Verrem: *Sciebam enim, hanc magistrorum, qui tabulas haberent, consuetudinem esse, ut, quum tabulas novo magistro traderent, exempla litterarum ipsi habere non nollent*. Rursum Oratione 3. in Catilinam: *Homines Galli ex civitate male pacata; quæ gens una restat quæ populo Romano bellum facere, & non nolle videatur.*

v. 9. *Impotens ne sis* ] Locus fœde corruptus. Hanc autem Scaligeri emendationem, tamquam aptiorem & dilucidiorem, ceteris antepono. *Impotens*

Nec quæ fugit, sectare, nec miser vive:
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale, puella. jam Catullus obdurat.
Nec te requiret, nec rogabit invitam.
At tu dolebis, quum rogaberis nullam,

Sce-

*ne sis*, i. e. *rege animum tuum, ne sinas te abripi amoris violentia*.

v. 10. *Nec quæ fugit, sectare* ] Venatorum similes esse amatores videas. Id animadvertit Horatius Sat. 2. lib. 1. v. 105.

*- - - - Leporem venator ut alta*
*In nive sectatur, positum sic tangere nolit:*
*Cantat, & adponit, Meus est amor huic similis: nam*
*Transvolat in medio posita, & fugientia captat*.

Quem Horatii locum pulchre imitatus est Arcostus lib. 10.

*Come segue la lepre il cacciatore*
*Al freddo, al caldo, alla montagna, al lito;*
*Nè più la stima poichè presa vede,*
*E sol dietro a chi fugge, affretta il piede:*
*Così fan questi gioveni - - - - -*

lege reliqua; sunt enim plura. Ausonius in eamdem sententiam Epigr. 39.

*Hanc volo, quæ non volt: illam, quæ volt, ego nolo.*
*Vincere volt animos, non satiare Venus.*

v. 11. *Obstinata mente* ] Ex hujusmodi Latinis locutionibus originem duxere Italica adverbia, *Ostinatamente*, *amaramente*, *lietamente*, & sexcenta similia.

v. 12. *Vale, puella* ] Hic τὸ *vale* indignantis est, nihilque sibi posthac cum amica negotii fore denuntiantis. Eodem pacto inferius Carm. 11.

*Pauca nuntiate meæ puellæ*
*Non bona dicta:*
*Cum suis vivat valeatque mœchis*.

Cotta pariter apud Ciceronem in calce lib. 1. de Nat. Deorum, cum Vellejum Epicureum refellendum suscepisset, deosque ab Epicuro inductos irrideret, ita locutus est: *Deinde si maxime talis est Deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat. quid enim dicam, propitius sit? Esse enim propitius potest nemini: quoniam, ut dicitis, omnis in imbecillitate est gratia, & caritas*. His autem vocibus κατ' εὐφημίαν veteres utebantur, cum irati essent quidem, at nihilominus apertis conviciis abstinere vellent. Quod genus loquendi etiam in sacris litteris nonnumquam occurrit.

v. 13. *Nec te requiret* ] I. e. neque ullo tui desiderio torquebitur. Tibullus Elegia 1. lib. 1.

*Non ego divitias patrum, fructusque requiro*
*Quos tulit antiquo condita messis avo*.

v. 14. *At tu dolebis* ] οἰμώξεις, ut Græci loquuntur. Solennes amantibus minæ. Horatius Epodo 15.

*O dolitura mea multum virtute, Neæra.*
*Nam si quid in Flacco viri est,*
*Non feret assiduas potiori te dare noctes;*
*Et quæret iratus parem*.

Propertius Elegia 6. lib. 3.

*Gaude, quod nulla est æque formosa: doleres,*
*Si qua foret: nunc sis jure superba licet*.

ibid. *Quum rogaberis nullam, Scelesta, noctem* ] Assentior Isaaco Vossio ita emendanti ex vestigiis vett. codd. Scelestam porro vocat puellam quæ fidem

vio-

Scelesta, noctem. Quæ tibi manet vita?
Quis nunc te adibit? quoi videberis bella?
Quem nunc amabis? quojus esse dicéris?
Quem basiabis? quoi labella mordebis?
At tu, Catulle, obstinatus obdura.

## IX.

VERANNI, omnibus e meis amicis

An-

violaverat, vel quæ poetam pretium pro concubitu poposcerat. Nam, ut ait Propertius Elegia 13. lib. 2. E. B.

*Mentiri noctem, promissis ducere amantem,*
*Hoc erit infectas sanguine habere manus.*

Et illud Ovidii celebre est lib. 3. Artis Amatoriæ v. 551.

*A doctis pretium scelus est sperare poetis. Me miserum! scelus hoc nulla puella timet.*

v. 15. *Quæ tibi manet vita?* ] *Manere* cum tertio casu etiam Virgilius usurpavit Ecloga 4. v. 53.

*O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ.*

Hoc debemus Caspari Scioppio ad Priapeja Epigr. 12.

v. 16. *Quis nunc te adibit?* ] Quis domum tuam ventitabit? quis tecum consuescet? Tibullus Elegia 6. lib. 1.

*Sæpe aliam tenui: sed jam quum gaudia adirem,*
*Admonuit dominæ, deseruitque Venus.*

v. 17. *Quojus esse dicéris?* ] Eodem pacto Propertius Eleg. 7. lib. 2.

*Nec mea dicetur quæ modo dicta mea est?*

Ovidius item Artis Amat. lib. 2. v. 627.

*Scilicet excuties omnes ubicumque puellas, Cuilibet ut dicas: Hac quoque nostra fuit.*

v. 18. *Cui labella mordebis?* ] Ut solent amantes libidinis æstu & furore concitati. Hoc loco Livinejus Mureti scholia exscribit, quod sæpius facere consuevit.

v. 19. *At tu, Catulle, obstinatus obdura.* ] Ita cum Vossio legendum: etenim, ut ille recte monet, poeta noster in carmine synalœphen haud raro negligit, & hiatus amat.

ibid. *Obdura* ] Ovidius pariter Amorum lib. 3. Eleg. 11.

*Perfer, & obdura: dolor hic tibi proderit olim.*

Et 2. Artis v. 178.

*Perfer, & obdura: postmodo mitis erit.*

Cornelius Tacitus Annal. lib. 1. cap. 6. eadem fere significatione usurpavit *durare: Ceterum* (Augustus) *in nullius umquam suorum necem duravit.*

ARGUM. CARM. IX. ] Lætatur, Verannium amicum suum salvum ex Hispania rediisse. Confer, si placet, hanc lepidissimam Veronensis poetæ gratulationem cum Horatiana, super amici Plotii Numidæ reditu ex Hispania, Ode 13. lib. 1.

v. 1. *Veranni* ] Verannii, seu Veranii cujusdam Flacci mentio fit ab Augusto Cæsare in Epistola quadam ad Tiberium; cujus Epistolæ nonnulla recitat Suetonius in Octavio cap. 86. *Tuque dubitas*, inquit, *Cimbérne Annius, an Veranius Flaccus imitandi sint*

E 2

Antiſtans mihi millibus trecentis:
Veniſtíne domum ad tuos penates,
Fratreſque unanimos, tuamque matrem?
Veniſti? o mihi nuntii beati!
Viſam te incolumem, audiamque Hiberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos eſt tuus: applicanſque collum,
Jucundum os, oculoſque ſuaviabor.
O, quantum eſt hominum beatiorum,
Quid me lætius eſt, beatiuſve?

X. Va-

*ſint tibi? ita ut verbis quæ Criſpus Salluſtius excerpſit ex Originibus Catonis, utaris? an potius Aſiaticorum oratorum inanibus ſententiis verborum volubilitas in noſtrum ſermonem transferenda?* Utrum ille fuerit Verannius de quo Catullus, necne, doctioribus diſpiciendum relinquo.

v. 2. *Antiſtans mihi* ] Quem unum præ ceteris amicis omnibus facio plurimi. *Antiſtare*, pro *antecellere*, *præcellere*, dixit Cato libello de Re Ruſtica cap. 156. *Braſſica eſt quæ omnibus oleribus antiſtat*. Fulgentius vero Grammaticus in Expoſitione ſermonis antiqui: *Antiſtare dicimus præcellere. Criſpinus Heraclea: Divinis virtutibus antiſtans Alcides*. Occurrit & *anteſtare* apud Ciceronem lib. 2. de Inventione: *Quodam tempore Crotoniatæ multum omnibus, corporum viribus & dignitatibus anteſteterunt*. Hoc loco Voſſium ſecuti ſumus, ita ſcribentem: *Non dubitavi, lectionem hanc omnium antiquorum librorum auctoritate munitam admittere*. Ceterum, quod mirere, Achilles Statius olim teſtatus fuerat, in MSS. omnibus *Antiſtes* legi. itaque vehementer animi pendeo, utri fidem adjungam, utri derogem. Si quis auctoritate Achillis moveatur magis, poterit ſententiam ſuam hoc Ovidii verſu ſtabilire ex Elegia 14. lib. 3. Triſtium:

*Cultor, & antiſtes doctorum ſancte virorum.*

i. e. qui doctos viros præcedis, tamquam προστάτης, ſive ordinum ductor: translatione facta a re militari.

ibid. *Millibus trecentis* ] Catullus amicos vocat homines de facie ipſi notos, in quos venerabile illud amicitiæ nomen vix convenire poſſe videtur. Amici enim, ſi proprie loqui velimus, magno numero eſſe nequeunt. Scite Phædrus Auguſti libertus Fabula 9. lib. 3.

*Vulgare amici nomen; ſed rara eſt fides.*
*Cum parvas ædes ſibi fundâſſet Socrates*
- -- - -- -- -- -- -
*E populo, ſic, neſcio quis, ut fieri ſolet:*
*Quæſo tam anguſtam, talis vir, ponis domum?*
*Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam.*

v. 4. *Tuamque matrem* ] Voſſius: *anumque matrem*; quod tamen longe antea placuerat Gabrieli Faerno, præſtantis judicii viro, teſte Achille Statio.

v. 9. *Oculoſque ſuaviabor* ] Idem Catullus infra Carm. 48.

*Mellitos oculos tuos, Juventi,*
*Si quis me finat uſque baſiare,*
*Uſque ad millia baſiem trecenta.*

Ar-

# X.

VARUS me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum:
Scortillum, ut mihi tum repente visum est,
Non sane illepidum, nec invenustum.

Huc

ARGUM. CARM. X.] Narrat, qua ratione scortilli Variani calliditatem eluserit; cum puella nequissima servos lecticarios, quos pecunia in Bithynia parta se emisse poeta per gloriolam & imprudentiam dixerat, sibi depoposcisset ut ad Serapin deferretur.

v. 1. *Varus*] Miror, doctos homines qui Catullo explicando manum admoverunt, si unum Vossium excipias, cum diligenter inquirerent, quis iste Varus fuerit, nullam fecisse mentionem Alfeni Vari, ex tonsore vel sutore jurisconsulti, iis temporibus maxime celebris: quem tamen sodalem poetæ nostri fuisse, vel ejus Carmen 31. satis docere potest, quod incipit:

*Alfene immemor, atque unanimis false sodalibus;*

ut iccirco verisimillimum sit, eum potissimum hoc loco intelligi debere. Hujus Alfeni Vari meminit Horatius Sat. 3. lib. 1. v. 130.

- - - - - *ut Alfenus vafer, omni*
*Abjecto instrumento artis, clausaque taberna*
*Sutor erat.* - - - - - -

ad quem Horatii locum ita vetus interpres Acron: *Urbane satis Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui abjecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam venit: magistroque usus Sulpitio jurisconsulto, ad tantum pervenit scientiæ, ut & consulatum gereret.* Legum vero peritos in foro ipso amori operam dare solitos, testatur Ovidius lib. 1. Artis v. 79.

*Et fora conveniunt (quis credere possit?) amori,*
*Flammaque in arguto sæpe reperta foro.*
*Subdita qua Veneris facto de marmore templo*
*Appias expressis aera pulsat aquis.*
*Illo sæpe loco capitur consultus Amori:*
*Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.*

ibid. *Ad suos amores Visum duxerat*] τὸ ad παρέλκει. Veteres tamen dixerunt *Visere ad aliquem*, pro *visere aliquem*. Plautus Bacchid. Ac. 3. Sc. 5. v. 4.

*Ibo, & visam huc ad eum, si forte est domi.*

Terentius Hecyra Ac. 1. Sc. 2. v. 113.

*Nostra ilico it visere ad eam: admisit nemo.*

Ovidius lib. 2. Amorum Elegia 2.

*Ibit ad affectam, quæ non languebit, amicam*
*Visere; judiciis ægra sit illa tuis.*

Eodem pacto, *ad aliquem orare*, pro *aliquem orare*, invenitur apud Plautum prologo Amphitruonis v. 20.

*Pater huc me misit ad vos oratum meus.*

nisi dicere velimus, hanc esse τμῆσιν pro *adoratum*, quod idem est atque *oratum*. Propertius Elegia 4. lib. 1.

- - - *maneat sic semper, adoro.* i. e. *precor, veneror deos, ut sic semper maneat.*

v. 3. *Scortillum, ut mihi tum repente visum est*] *Scortillum*, Italice *puttanella*. *Ut mihi* &c. i. e. *quantum ex primo illo aspectu judicare potui*, explicat Muretus. Statius autem contendit, *ut* a

Ca-

Huc ut venimus, incidere nobis
Sermones varii: in quibus, quid esset
Jam Bithynia, quomodo se haberet,
Et quantum mihi profuisset ære.
Respondi, id quod erat: nihilmet ipsis
Nec prætoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret:
Præsertim quibus esset irrumator
Prætor, non faceret pili cohortem.

At

Catullo usurpatum pro *ubi*. Mihi Mureti explicatio magis arridet.

v. 6. *Quid esset Jam Bithynia* ] I. e. quod provinciæ genus: lucrone, an damno prætores atque eorum asseclas afficeret.

v. 8. *Profuisset ære* ] Vossius legit *e re*: i. e. *quantum attinet ad rem faciendam*. quæ lectio non displicet.

v. 10. *Nec prætoribus* ] Libenter assentior Vossio affirmanti, nonnumquam unam tantum provinciam a pluribus prætoribus administratam: quot nimirum in ea μητροπόλεις, tot fuisse proconsules, vel prætores. Hic tamen Catulli locus commodius explicari potest, si accipiamus plures prætores deinceps abeuntes, & advenientes, ut unus alii succederet.

ibid. *Nec cohorti* ] Prætoriæ scilicet: hominibus qui circum prætorem erant, comitibus prætorum; quos Itali appellamus *la corte*.

v. 11. *Cur quisquam caput unctius referret* ] Quibus enim bene erat, unguento capillum saturabant. Hinc jocum quæsivit Cicero Oratione 4. in C. Verrem: *Numquam vos*, inquit, *prætorem ita palæstritam vidistis. verum ita palæstritas defendebat, ut ab illis ipse unctior discederet*. Nemo nescit, qui in palæstra luctabantur, oleo corpus unxisse, sive ad vires augendas, sive ut facilius ex adversarii manibus elaberentur. Virgilius Æneid. 3. v. 281.

*Exercent patrias oleo labente palæstras*
*Nudati socii* - - - - -

C. autem Verres horum hominum defensione suscepta, eos probe argento emungebat. Male igitur Palladius Fuscus existimavit, Catullum hoc loco posuisse *caput* pro sorte, quam dicimus *il capitale*; ut *caput unctius* nihil aliud sit quam census ditior: quamquam poeta noster Carm. 29. *uncta patrimonia* dicere non dubitaverit. Horatius, contra, Sat. 2. lib. 2. v. 127. *parcius nitere* dixit: - - *quanto aut ego parcius aut vos*,
*O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?*

v. 12. *Irrumator Prætor* ] Optime animadvertit Scaliger, verbum obscœnum nihil turpe in hoc versu significare; sed ideo usurpatum a poeta, ut ante oculos poneret prætorem avaritia hiante, sibi uni commodum, homines vero quos in provinciam secum adduxerat, non hominum, sed pecudum loco habentem; quemadmodum qui turpitudinem illam exercent, eos omnino contemnunt quorum capitibus illudunt. Pari significatione adhibuit Catullus verbum *irrumare* Carm. 37.

*An, continenter quod sedetis insulsi*
*Centum, aut ducenti, non putatis ausurum*
*Me una ducentos irrumare sessores?*

v. 14.

At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur esse, comparasti
Ad lecticam homines: ego, ut puellæ
Unum me facerem beatiorum,
Non, inquam, mihi tam fuit maligne,

Ut,

v. 14. *Quod illic Natum dicitur* ] Existimabant veteres, ait Vossius, lecticam, ejusque usum, rem esse natam in Bithynia, seu Bithynorum inventum: affertque M. Tullii testimonium ex Oratione 7. in C. Verrem: *Nam, ut mos fuit Bithyniæ regibus, lectica octophoro ferebatur*. Si tibi cordi est, lector candide, scire unde hoc sumserit Vossius, lege Titum Popmam de Operis Servorum pag. 49. editionis Amstelod. 1672. apud Andream Frisium; cujus tamen scriptoris apud Vossium οὐδεὶς λόγος. Dabunt igitur & mihi veniam eruditi, si aliquando imprudens aliorum cogitata in medium protulero; *numquam enim homini satis cautum est*. Vossius hic legit *Natum esse:* sive tamen legas *esse*, sive *are*, sententia eodem recidit: nam si legas *are*, subaudiendum tamen *esse*. Porro non solum Bithyni, verum etiam Syri, Liburni, Cappadoces, Medi, atque Mœsi adhibiti olim gestandæ lecticæ. Id Juvenalis potissimum & Martialis auctoritate facile ostendi potest. Juvenalis Satyra 6. v. 359.

*Nec melior, silicem pedibus quæ contexit atrum,*
*Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.*

Idem Satyra 3. v. 239.

*Si vocat officium, turba cedente vehetur*
*Dives, & ingenti curret super ora Liburno.*

Idem Satyra 7. v. 132. de quodam Tongillo qui se divitem simulabat:

*Perque forum juvenes longo premit assere Medos.*

Postremo Sat. 9. v. 142. -- *duo fortes*
*De grege Mæsorum, qui me cervice locata*
*Securum jubeant clamoso insistere Circo.*

Martialis pariter Epigrammate 3. lib. 9.

*Octo Syris suffulta datur lectica puellæ.*

Idem Epigrammate 77. lib. 6.

*Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?*

v. 16. *Ad lecticam homines* ] I. e. servos lecticarios, seu lecticæ ferendæ idoneos.

v. 17. *Unum me facerem beatiorum* ] Locupletem videlicet me fingerem, ac præ ceteris prætoris comitibus fortunatum; id quod non eram. *Facere*, pro *fingere*, *simulare*, usurpavit etiam Plautus Asinaria Ac. 2. Sc. 2. v. 84.

*Extemplo facio facetum me atque magnificum virum,*
*Dico med esse atriensem* - - - - -

Nec non Cicero pro Flacco: *Cum vero se locupletem faceret, haberet nihil præter illam impudentiam quam videtis*. quod testimonium attulit Pareus in Lexico Plautino.

v. 18. *N. i. mihi tam fuit maligne* ] Non tam parum compendii feci. *Maligne* pro *parce*, *restricte*, *sordide*, occurrit non semel apud bonos Latinitatis auctores. Horatius Epistola 1. lib. 2. v. 208.

*At ne forte putes me, quæ facere ipse recusem,*
*Quum recte tractent alii, laudare maligne.*

T. Livius lib. 8. Hist. ab V. C. *Materiam autem præbebat criminibus ager in Latino Falernoque agro maligne plebi divisus*. Idem lib. 39. *Maligne omnia præbentibus suis, meretricula munificentia susti-*

ti-

Ut, provincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos.
At mi nullus erat nec hic, nec illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, ut decuit cinædiorem,
Quæso, inquit, mihi, mi Catulle, paullum
Istos commoda, nam volo ad Serapin

De-

*tinebatur*. L. Seneca de Providentia cap. 4. *Perpetua illos* ( Germanos ) *hiems, triste cælum premit, maligne solum sterile sustentat*. Eamdem significationem habet interdum *malignus*. Virgilius lib. 6. Æneid. v. 270.

*Quale sub incertam Lunam sub luce maligna*
*Est iter in silvis, ubi cælum condidit umbra*
*Juppiter, & rebus nox abstulit atra colorem.*

Ovidius Amorum lib. 1. Elegia 4.

*Blanditiæ taceant, sitque maligna Venus.*

Et apud Plautum Bacchid. Ac. 3. Sc. 2. v. 17. *malignus* opponitur *largo*.

*Justus, injustus; malignus, largus; commodus, incommodus.*

v. 19. *Incidisset* ] Evenisset, contigisset. Propertius Elegia 15. lib. 1.

*Si quid forte tibi durius inciderit.*

v. 20. *Octo homines parare rectos* ] I. e. octo servos procero & recto corpore. Græci dicerent ἀκάμπτας τ αὐχένα, *cervice non flexa*. *Potius diligentia quam pretio parare servos*, locutio est Cornelii Nepotis in Attico. *Argento parata mancipia* memorat Livius lib. 41.

v. 21. *At mî nullus erat* ] Paupertatem suam profitetur poeta, ad lectores conversus. Vide tamen quæ notamus inferius ad versum 1. Carm. 31.

v. 22. *Pedem grabati* ] Simile illud Apuleji lib. 1. Asini aurei: *Grabatulus alioqui breviculus, & uno pede mutilus, ac putris, impetus tanti violentia prosternitur*. Grabatus erat lectus humilis, in quo mendici cubabant, & meretrices diobolares. Martialis Epigrammate 53. lib. 4.

*Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,*
*Cui dat latratos obvia turba cibos;*
*Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa.*
*Non est hic Cynicus, Cosme: quid ergo? canis.*

Idem Epigrammate 39. lib. 6.

*Sed in grabatis tegetibusque concepti*
*Materna produnt capitibus suis furta.*

Porro *candidum lecti pedem* memorat Catullus noster in Epithalamio Juliæ & Manlii v. 115. Vide quæ superius attulimus ad Carmen 4. v. 20.

v. 23. *In collo sibi collocare* ] Hoc loquendi modo prior usus est Plautus Asinaria Ac. 3. Sc. 3. v. 67. *Hic istam colloca cruminam in collo plane*. & Epidico Ac. 3. Sc. 2. v. 24. *Ipse in meo collo tuus pater cruminam collocavit*. Vidit Douza Pater in Præcidaneis pro Catullo cap. 1.

v. 24. *Ut decuit cinædiorem* ] I. e. magis impudentem, & procacem. cinædi enim, turpissimum genus hominum, loquaces & perfricta fronte solent esse.

v. 26. *Commoda* ] Poeta hoc loco ultimam syllabam hujus vocis corripit. Vide hic mihi Josephi Scaligeri Notas.

ibid.

Deferri. Mane me, inquii puellæ:
Iſtud, quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio. meus ſodalis
Cinna eſt Caïus, is ſibi paravit.
Verúmne illius, an mei, quid ad me?

Utor

ibid. *Volo ad Serapin Deferri* ] Ad templum Serapidis, extra urbis pomœrium, quo conveniebant mulierculæ ſuperſtitioſæ, & viri mulierculatum ſimillimi; fortaſſe ad captanda ſomnia, quæ deus ille credebatur immittere. Teſtem produco M. Tullium lib. 2. de Divinatione. *An Æſculapius*, inquit, *an Serapis poteſt nobis præſcribere per ſomnium curationem valetudinis, Neptunus gubernantibus non poteſt?* Quis porro Serapis fuerit, docet Lactantius Firmianus lib. 1. Divin. Inſtit. cap. 21. his verbis: *Hic eſt Oſiris, quem Serapim vel Serapidem vulgus appellat. Solent enim mortuis conſecratis nomina immutari; credo, ne quis putet eos homines fuiſse. Nam & Romulus poſt mortem Quirinus factus eſt; & Leda Nemeſis; & Circe Marica; & Ino, poſtquam ſe præcipitavit, Leucothea, materque Matuta; & Melicertes filius ejus, Palæmon atque Portunus.* Sed præcipue memorabilia ſunt quæ ſcribit de illo D. Auguſtinus l. 18. de Civ. Dei cap. 5. *His temporibus rex Argivorum Apis navibus tranſvectus in Ægyptum, cum ibi mortuus fuiſset, factus eſt Serapis omnium maximus Ægyptiorum deus. Nominis autem hujus, cur non Apis etiam poſt mortem, ſed Serapis appellatus ſit, facillimam rationem Varro reddidit. Quia enim arca in qua mortuus ponitur, quod omnes jam σαρκοφάγον vocant, σορὸς dicitur Græce; & ibi eum venerari ſepultum cœperant, prius quam templum ejus eſset exſtructum: velut Soros & Apis, Sorapis primo, deinde una littera, ut fieri adſolet, commutata, Serapis dictus eſt.*

v. 27. *Mane me* ] Poſtrema ſyllaba verbi *mane* hic brevis eſt. Italice autem verteres: *fermatevi, pian piano, bel bello, a bell' agio.*

v. 28. *Iſtud, quod modo &c.* ] Syntaxis hæc impeditior, & ἀνακόλουθον orationem imitatur hominis in manifeſto mendacio deprehenſi, & quid reſpondere debeat, neſcientis. Eſt autem ita componenda: *Cajus Cinna, ſodalis meus eſt: is ſibi paravit iſtud quod modo dixeram me habere*, nempe, *homines ad lecticam. Fugit* vero *me ratio:* i. e. mens me deſtituit, cum dixi me poſſidere id quod ſodalis mei eſt.

v. 29. *Fugit me ratio* ] Quid hoc rei ſit, ſatis explicat Auctor Rhetoricorum ad Herennium lib. 2. *Nam qui ſe propter vinum, aut amorem, aut iracundiam fugiſse rationem dicet, is animi vitio videbitur neſciſse, non imprudentia.* Quod Scaliger vidit.

v. 30. *Caius* ] Prænomen hoc plerumque diſſyllabum eſt: hic tamen metri gratia, unâ ſyllabâ auctius pronuntiari debet, κατὰ διαίρεσιν. Sic Martialis quoque Epigr. 36. lib. 11.

*Caius hanc lucem gemma mihi Julius alba*
*Signat.* - - - - - -

Eadem prorſus ratione nomen Laïus tres continet ſyllabas apud Senecam Oedipo v. 218.

*Et interemtum Laïum ulciſci jubet.*

verſu autem 774.

*Quæ ſpatia moriens Laïus vitæ tulit?*

Vide eumdem Thebaide v. 41. Ita vocem *reliquas* quatuor ſyllabarum protulit Phædrus Fabula 4. lib. 3.

Utor tam bene, quam mihi pararim.
Sed tu insulsa male, & molesta vivis,
Per quam non licet esse negligentem.

## X I.

# FURI, & Aureli, comites Catulli:

Sive

*Inter relicuas merces atque opsonia*, ut videlicet tribrachys esset pro pyrrichio, deinde cæsura.

v. 32. *Utor tam bene, quam mihi pararim* ] Subaudi *si*. Cicero in eamdem sententiam Epistola 9. lib. 1. *Itaque ejus* ( Cæsaris ) *omni & gratia, qua summa est, & opibus, quas intelligis esse maximas, sic fruor ut meis*. Idem Epistola 17. lib. 13. *Domus ejus tota mihi patuit, qua si opus fuisset, tam essem usus quam mea*. Et Epistola 69. ejusdem libri: *Consuevi cum ejus opera & fide, tum domo & re uti, tamquam mea*. Plinius quoque Epistola 19. lib. 3. *Accipiam a socru, cujus arca non secus ac mea utor*.

v. 33. *Insulsa* ] Non quod fatua & blitea esset puella, ut loquitur Plautus; quæ certe nimis ad rem suam sapiebat: sed quod ea loqueretur quæ minus Catullo placebant.

ibid. *Et molesta vivis* ] *Molestus* aliquando accipitur pro callido, cum quo nihil tibi velis negotii esse: callidi enim molesti atque incommodi sunt rudioribus. Ovidius Artis Amat. lib. 1. v. 767.

*Si doctus videare rudi, petulansve pudenti;*
*Diffidet misera protinus illa sibi*.

Eadem fere significatione Græci scriptores interdum accipiunt suum δεινός. Lucianus Dialogo Veneris & Cupidinis: *ὡς δεινὸς εἶ, ϗ κρατεῖς ἁπάντων*. *Ut callidus es, & omnia superas! Vivis* autem pro *es* Catullus posuit: quod frequens apud bonos poetas. Plautus Milite Glorioso Ac. 4. Sc. 8. v. 10.

*Si non mecum ætatem egisset, hodie stulta viveret*.

Idem Trinummo Ac. 2. Sc. 2. v. 109. *lepidus vivis*. Horatius Sat. 6. lib. 2. v. 93. *terrestria quando Mortales animas vivunt sortita*. Idem Epistola 17. lib. 1. v. 32. *refer, & sine vivat ineptus*. Idem Epist. 2. lib. 2. v. 156.

*- - - - - - - - - - nempe ruberes,*
*Viveret in terris te si quis avarior uno*.

Male Vossius, meo judicio, *vivis* dictum putat a Catullo pro *vivas*, *ἀρχαϊκῶς*.

v. 34. *Per quam non licet esse negligentem*. ] Ad quam accedere non debent homines dormitantes, & consilii egentes.

Argum. Carm. XI. ] Furio, & Aurelio sodalibus suis mandat, ut verbis ipsius, puellæ infideli vale dicant.

v. 1. *Furi, & Aureli* ] Antonius Parthenius, Achilles Statius, & Isaacus Vossius opinantur, hunc Furium Catulli sodalem, fuisse Furium Bibaculum, elegantis ingenii poetam, consulari familia ortum, qui a veteribus haud raro laudatur. Idem Statius, L. Aurelium Cottam prætorem suspicatur a poeta hic appellari, qui legem promulgaverat de restituendis judiciis equestri ordini. Hæc tamen incerta sunt; cum plures omnino fuerint iis temporibus Furii & Aurelii.

ibid.

Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda:
Sive in Hircanos, Arabasque molles,
Seu Sacas, sagittiferosque Parthos,
Sive qua septemgeminus colorat
Æquora Nilus:

Sive

ibid. *Comites Catulli* ] Subaudi *futuri*. Ea enim amicitia Furio & Aurelio cum Catullo intercedebat, ut, si res ita ferret, usque ad extremas orbis regiones ipsum prosequi parati essent. Vide Horatium Ode 6. lib. 2.

v. 2. *In extremos Indos* ] Qui populi sunt ad Orientem, ab urbe Roma longissime distantes. *Extremas* & *ultimas* vocabant nationes quibus ulteriores nullæ ad eam cæli plagam innotuerant. Ita Livius de Carthaginiensibus lib. 22. Histor. *Pœnus advena, ab extremis orbis terrarum terminis, nostra cunctatione & socordia jam huc progressus.* i. e. a freto Gaditano, ultra quod nihil, nisi Oceanum nullis finibus circumscriptum, esse putabant. Idem in calce lib. 24. *Syphax cum paucis equitibus in Maurusios ex acie Numidas (extremi prope Oceanum adversus Gades colunt) refugit.* Audi M. Senecam Suasoria 1. *Finitam cuique rei magnitudinem natura dederat, dedit & modum: nihil infinitum est, nisi Oceanus. Fertiles in Oceano jacere terras, ultraque Oceanum rursus alia litora, alium nasci orbem, nec usquam naturam rerum desinere, sed semper inde ubi desisse videatur, novam exsurgere: facile ista finguntur, quia Oceanus navigari non potest.* Propterea gentes ad Oceanum, tamquam in limbo ac margine terrarum sitæ, *extremæ* dictæ sunt. Virgilius 8. Æneid. v. 727. *Extremique hominum Morini.* ad quem locum ita Servius: *Populi in Gallia finibus, qui Britanniam spectant, proximi Oceano.* Eodem pacto Homerus Odysseæ lib. 1. v. 223. appellat Æthiopas *ἐσχάτους ἀνδρῶν*, *ultimos hominum*. Sed & Hispanias, Ciliciam, Syriam in ultimis regionibus propterea censebant Romani, quod ad imperii fines pertinerent. Vide Paulli Manutii Commentarium ad Epistolam 9. lib. 1. Ciceronis, pag. 82. edition. Amstelodam.

v. 3. *Litus ut longe* ] *Ut* pro *ubi*. Sic infra Carm. 17.

*Verum totius ut lacus, putidaque paludis*
*Lividissima, maximeque est profunda*
*vorago.*

ibid. *Longe resonante* ] A quo maris fremitu strepituque, *litus fluentisonum* dixit poeta noster de Nupt. Pelei ac Thetidos v. 52. Homerus autem θάλασσαν, i. e. *mare*, πολύφλοισβον, i. e. *valde strepens*.

v. 5. *Arabasque molles* ] Luxu perditos, deliciis fractos, imbelles, ob soli fertilitatem, cælique clementiam.

v. 7. *Septemgeminus Nilus* ] I. e. septem ostiis in mare se se effundens. Strabo lib. 17. Geographiæ: Δύο μὲν οὖν ταῦτα τοῦ Νείλου στόματα, ὧν τὸ μὲν Πηλουσιακὸν καλεῖται, τὸ δὲ Κανωβικὸν, καὶ Ἡρακλεωτικόν· μεταξὺ δὲ τούτων ἄλλαι πέντε εἰσὶν ἐκβολαὶ αἵγε ἀξιόλογοι, λεπτότεραι δὲ πλείους. i. e. *Duo jam retulimus Nili ostia, alterum Pelusiacum, alterum Canopicum, & Heracleoticum. Inter hæc alia quinque ostia sunt: digna quidem quorum mentio fiat: multa alia tenuiora.* Nili

Sive trans altas gradietur Alpes,
Cæsaris visens monumenta magni
Gallicum Rhenum, horribilesque ulti-
mosque Britannos:
Omnia hæc, quæcumque feret voluntas
Cælitum, tentare simul parati,
Pauca nuntiate meæ puellæ
Non bona dicta;

Cum

septem ostiorum, præter alios innumeros, meminit Manilius Astronomicon lib. 3. v. 271.

*Atque hac est illas demum mensura per oras,*
*Quas rigat æstivis gravidus torrentibus amnis*
*Nilus, & erumpens imitatur sidera mundi*
*Per septem fauces, atque ora fugantia pontum.*

ibid. *Colorat æquora* ] Nigro & fertili limo inficit. Eodem pacto *coloratum* poetæ nonnumquam usurpant pro *fusco*. Hæc omnia plana faciet locus Virgilii ex 4. Georgicon v. 287.

*Nam qua Pellai gens fortunata Canopi*
*Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,*
*Et circum pictis vehitur sua rura phaselis:*
*Quaque pharetratæ vicinia Persidis urget,*
*Et viridem Ægyptum nigra fæcundat arena,*
*Et diversa ruens septem discurrit in ora*
*Usque coloratis amnis devexus ab Indis;*
*Omnis in hac certam regio jacit arte salutem.*

*Æquorum* porro appellatione vel mare ipsum significat poeta noster, quod Nili aquarum colore inficiatur, vel camporum planitiem, cui Nilus exundans fertilitatem præstat: quemadmodum a Propertio dictum est Elegia 6. lib. 1.

*Lydia Pactoli tingit arata liquor.*

v. 11. *Horribiles Britannos* ] Quid hoc rei sit, explicat Cæsar lib. 5. de Bello Gallico cap. 14. *Omnes vero*, inquit, *se Britanni vitro inficiunt, quod cæruleum efficit colorem. atque hoc horribiliore sunt in pugna adspectu.*

v. 13. *Omnia hæc* &c. ] Quasi diceret: Mox videbo, quo tandem recasura sint promissa vestra magnifica; utrum scilicet rem adeo facilem minimique laboris, a me vobis mandatam, suscepturi sitis, nec ne. Est autem insignis lepos in hac sententia.

v. 14. *Tentare* ] Ea tentamus quæ nondum experti sumus. Id autem est *periculum facere*. Horatius Ode 4. lib. 3.

*- - - - - - - - - libens*
*Insanientem navita Bosporum*
*Tentabo, & arentes arenas*
*Litoris Assyrii viator.*

Idem Ode 28. lib. 1.

*- - - nec quicquam tibi prodest*
*Aerias tentâsse domos, animoque rotundum*
*Percurrisse polum - - -*

v. 16. *Non bona dicta* ] Amara nimirum ac tristia, non jocosa aut salsa. Nam proprie *bona dicta* veteribus erant quæ nos Itali appellamus *motti piacevoli*. Ciceronem testem produco lib. 2. de Oratore: *Dicere enim ajunt Ennium, flammam facilius a sapiente ore inardente opprimi, quam bona dicta teneat. hæc scilicet bona dicta quæ salsa sint. nam ea dicta appellantur proprio jam*

no-

Cum suis vivat, valeatque mœchis,
Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, sed idemtidem omnium
Ilia rumpens.
Nec meum respectet, ut ante, amorem;
Qui

*nomine*. Non dissimulabo tamen, apud Plautum prologo Amphitruonis v. 25. *bona dicta* esse *imperata mollia*, precibus similia. Catullum imitatur Virgilius lib. 12. Æneidos v. 75.

*Nuntius hæc, Idmon, Phrygio mea dicta tyranno*
*Haud placitura refer - - - -*

quæ nostri poetæ mentem unice aperiunt. Utrique autem præiverat Homerus Iliados 17. v. 701.

Πηλείδῃ Ἀχιλῆϊ κακὸν ἔπος ἀγγελίοντα.
*Pelida Achilli malum dictum nuntiaturam.*

v. 17. *Vivat, valeatque* ] Idem Virgilius in Pharmaceutria v. 58. ex persona pastoris jam jam morituri, *vivite silvæ*. quod Itali sermone vernaculo sic efferrent: *Addio selve, rimanetevi in pace*. Hæc duo *vivere* & *valere* conjungit etiam Horatius Epistola 6. lib. 1. v. 67.

*Vive, vale: si quid novisti rectius istis,*
*Candidus imperti: si non, his utere mecum.*

Et Satyra 5. lib. 2: v. 109. ----*sed me*
*Imperiosa trahit Proserpina. vive, valeque.*

Terentius pariter Andria Ac. 5. Sc. 3. v. 18.

*Immo habeat, valeat, vivat cum illa.*

v. 19. *Nullum amans vere* ] Celeberrimi sunt apud nos in hanc fere sententiam versiculi Baptistæ Guarini, Pastoris Fidi Ac. 1. Sc. 3.

*Corisca, mi dicea, si vuole appunto*
*Far degli amanti quel che delle vesti:*
*Molti averne, un goderne, e cangiar spesso.*

& post pauca: - - - - *amo d' averne*
*Gran copia, e li trattengo, ed honne sempre*
*Un per mano, un per occhio: ma di tutti*
*Il migliore, e 'l più comodo nel seno;*
*E, quanto posso più, nel cor nessuno.*

ibid. *Sed idemtidem omnium* ] Versus hypermeter, sive unâ syllabâ redundans, quæ absorbetur a prima vocali sequentis versus.

v. 20. *Ilia rumpens* ] Pæne risum mihi excitavit Achillis interpretatio, qui ait, hoc loco *rumpere ilia* esse *agere aliquem rabie ac furore:* affertque perperam illud Maronis ex Ecloga 7. *rumpantur ut ilia Codro*; quod quam sit dissimile, nemo non videt. Hic autem *rumpere ilia* obscœnum est, salvaque verecundia explicari non potest. Vide Carmen 79. infra. Sententia est: Nullum sincero amore prosecuta, qui mos meretricum est; singulos tamen libidine sua defatigans atque enervans. Dicebant & *rumpere latus*, eadem significatione. Carmen ad Priapum, quod aliqui Tibullo tribuunt:

- - - - *usque dum mihi*
*Venus jocosa molle ruperit latus.*

Martialis Epigrammate 104. lib. 11.

*Et juvat admissa rumpere luce latus.*

Quod Auctor liberi Carminis Epigrammate 25. ita variavit:

*Defecit latus, & periculosam*
*Cum tussi miser exspuo salivam.*

v. 21. *Respectet* ] Pro *exspectet*, tamquam sibi debitum. Cicero pro Plancio: *Neque hoc interdicendum liberis nostris, ne observent tribules suos, ne diligant,*
*ne*

Qui illius culpa cecidit, velut prati
Ultimi flos, prætereunte postquam
Tactus aratro est.

## XII.

Marrucine Asini, manu sinistra

Non

*ne par ab iis munus in sua petitione respectent.*

v. 22. *Velut prati* ] Et hic versus hypermeter est.

v. 23. *Prætereunte postquam Tactus aratro est* ] Exemplo flosculi, qui nullo negotio decutitur, ostendit Catullus, quam sit rivalium impatiens, & quam fastidiosus in amore. Muretus male: *Ultimos prati flores vocamus qui sunt proxime viam: ii autem fere aut viatorum pedibus, aut curruum prætereuntium rotis obteri solent.* Ut concedam, ita rem habere, Catullum id significare nego: hic enim audimus aratri mentionem fieri: & ideo necesse est, pratum arvo proximum, non viæ publicæ intelligere. Ceterum hac poetæ nostri similitudine usus est Ludovicus Areostus lib. 18.

*Come purpureo fior languendo more,*
*Che 'l vomere al passar tagliato lassa.*

Argum. Carm. XII. ] Asinium furem ad raptum sudarium sibi remittendum satis minaciter hortatur.

v. 1. *Marrucine Asini* ] Italiæ populi fuerunt Marrucini, inter Vestinos atque Pelignos: quorum caput, seu μητρόπολις, Teate, hodie *Chieti*. Nomen a Marsis derivatum, si Catoni credimus, cujus verba sunt ex libro 2. Originum apud Priscianum lib. 9. *Marsus hostem occidit priusquam Pelignus: propterea Marrucini vocantur, de Marso detortum nomen.* Eorum fides erga populum Romanum spectata. Optima porro sunt quæ ad hunc Catulli locum illustrandum contulit Isaacus Vossius.

ibid. *Manu sinistra* ] Lævam furto infamem fuisse, ex pluribus veterum auctorum locis cognoscimus. Quapropter Ajax ille Ovidianus lib. 13. Metam. ceteris maledictis quæ in Ulixem ingerit, hoc etiam addit v. 110.

*Nec clypeus vasti cælatus imagine mundi*
*Conveniet timidæ, nataque ad furta sinistræ.*

Ex quo more lux affulget Plauto Epidici Ac. 1. Sc. 1. v. 8. ubi duo conservi scurriles jocos inter se miscent:

EP. *Corpulentior videre atque habitior.*
TH. *huic gratia.*
EP. *Quam quidem te jamdiu deperdidisse oportuit.*

*huic gratia* pronuntiandum est δεικτικῶς, & simul ostendenda sinistra manus, cui scilicet furcifer ille bonam corporis habitudinem debebat. Huc pertinent verba Asconii Pediani apud If. Vossium p. 144. Commentarii in Catullum. *Difficile autem*, inquit, *quod Aspendius citharista faciebat, ut non uteretur cantu utraque manu, sed omnia id est universam cantionem intus & sinistra tantum manu complecteretur. Unde omnes quotquot fures erant, a Græcis tamquam Aspendii citharistæ in proverbio dicebantur, quod ut ille carminis, ita isti furtorum occultatores erant.* Motus igitur sinistræ manus minus conspicui erant quam dextræ, fortasse quod ea sub veste plerumque lateret. Vide tamen infra Carmen 33. v. 3.

v. 2.

Non belle uteris in joco atque vino.
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc falsum esse putas? fugit te, inepte;
Quamvis sordida res, & invenusta est.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento

Mu-

v. 2. *Non belle* ] Quia nec ingenuum, nec Marrucinum furari decebat: quorum populorum fides laudabatur.

ibid. *In joco atque vino* ] In comissatione. Eodem pacto locutus Terentius Heautontim. Ac. 3. Sc. 3. v. 7.
*Vel heri in vino quam immodestus fuisti!*
Catullus infra Carm. 50.
*Reddens mutua per jocum atque vinum.*

v. 3. *Tollis lintea* ] Erant enim qui hoc potissimum furtorum genere mirum in modum delectarentur. Vide Martialem Epigram. 59. lib. 8. & Epigram. 29. lib. 12.

v. 4. *Hoc falsum esse putas?* ] Urbano & faceto homine dignum? Tanta enim est quorumdam perversitas, ut ex pessimis artibus, ingenii ac sollertiæ laudem sibi comparare studeant. Sed & nonnullos invenias qui non ideo furantur ut furtis rem augeant, verum joci & hilaritatis caussa, ut simplicioribus amicis illudant. Horum princeps Mercurius; quem Horatius Ode 10. lib. 1. ait fuisse
*Callidum, quicquid placuit, jocoso*
*Condere furto.*
Multa ejus dei furta recenset Homerus Hymno in Mercurium.

ibid. *Fugit te* ] Ignoras, nescis, te latet. fugit te ratio. *Inepte:* qui videlicet res bonas & malas internoscere nequis: apud quem nullum est recti pravique judicium. Hujusmodi hominem Græci vocant ἀπειρόκαλον. Vide Lucianum Dialogo Junonis & Jovis, de Ixione.

v. 5. *Quamvis* ] Hæc particula hoc loco significat *multum*, *valde*, *admodum*, *quantumvis*. Ita dicebant *quantivis pretii* pro *maximi pretii*. Plautus Epidico Ac. 3. Sc. 3. v. 29.
*Na tu habes servum graphicum, &*
*quantivis pretii.*
Idem Persa Ac. 4. Sc. 4. v. 73.
- - - *Nomen atque omen quantivis est*
*pretii.*
Terentius Andria Ac. 5. Sc. 2. v. 15.
*Quum faciem videas, videtur esse quantivis pretii.*

v. 6. *Crede Pollioni Fratri* ] Hic est ille Asinius Pollio, Augusti Cæsaris amicus, Virgilii & Horatii familiaritate insignis, imperator, consul, atque orator egregius, non minus eloquentia quam eloquentium virorum inimicitiis clarus: Ciceronis enim scripta flocci fecit, & *in T. Livio, mira facundia viro, putavit inesse quamdam Patavinitatem*; quod testatur Quintilianus Institutionum Orator. lib. 8. cap. 1. Ab his porro Asinii opinionibus Virgilius haud plane abhorruisse videtur: Græcos enim oratores Latinis præfert, iisque palmam eloquentiæ tribuit Æneid. lib. 6. v. 850. *Orabunt*, inquit, *caussas melius*. Pollionis tamen dictionem improbat Seneca Epistola 100.

v. 7. *Tua furta vel talento Mutari velit* ] I. e. qui vel ingentem pecuniæ summam expendere sit paratus, ne fratrem habeat furem. vel: qui tuam innocentiam, & ab alieno abstinentiam vel talento libenter permutaverit, ac

red-

Mutari velit: eſt enim leporum
Diſertus puer, & facetiarum.
Quare aut hendecaſyllabos trecentos
Exſpecta, aut mihi linteum remitte:
Quod me non movet æſtimatione;
Verum eſt μνημόσυνον mei ſodalis.

Nam

redemerit. Voſſius pro *mutari* legit *multari:* quæ lectio mihi non probatur; frigidam enim ſententiam efficit.

v. 8. *Leporum Diſertus puer* ] Recte monuerunt viri docti, hoc loco τὸ *puer* eſſe vocem blanditiarum, neque puerilem ætatem proprie ſignificare. Vide Fridericum Taubmannum ad Virgilii Eclogam 1. Sermo autem inſolens videtur Paſſeratio, *Diſertus leporum*: propterea legendum conjicit *difertus*, pro *differtus*; antiqui enim conſonantes non geminabant. Paſſeratium exſcribit Iſaacus Voſſius, nulla ejus mentione facta. Ego nihil mutandum cenſeo: mihi enim hoc ſimile videtur illius Horatiani Ode 17. lib. 3.

*Cum famulis operum ſolutis.*

v. 9. *Facetiarum* ] Facetus proprie ille eſt qui novit ea loqui atque agere quæ ad rem faciunt: qui perſonarum, temporum, locorumque habita ratione jocatur. Italice diceres: *nom di propoſito, nom di garbo*. Plautus Aſinaria Ac. 2. Sc. 2. v. 84.

*Extemplo facio facetum me atque magnificum virum.*

Horatius Sat. 10. lib. 1. v. 44.

*- - - molle atque facetum*
*Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.*

i. e, orationis genus lene, & rebus ruſticis quas tractandas ſuſceperat, omnino conveniens. Cum igitur Pollio facetus & lepidus eſſet adoleſcens, mirum non eſt ſi fratris ineptiis offendebatur.

v. 10. *Hendecaſyllabos trecentos Exſpecta* ] Quibus te differam, & flagitia tua. Infra Carm. 42.

*Adeſte, hendecaſyllabi, quot eſtis*
*Omnes undique, quotquot eſtis omnes.*
*Jocum me putat eſse mœcha turpis. &c.*

v. 12. *Quod me non movet æſtimatione* ] Non enim ad id mendicitatis perveni, ut ſudarii jactura magnopere mihi dolenda ſit. Propertius pariter Elegia 18. lib. 2. E. B.

*Ah peream ſi me iſta movent diſpendia: verum*
*Fallaci dominæ jam pudet eſſe jocum.*

Ovidius Epiſtola Phyllidis v. 55.

*Nec moveor quod te juvi portuque, locoque.*

Auctor liberi Carminis Epigram. 55.

*Nec movet amiſſi tam me jactura, pudorque,*
*Quam prabent juſtos altera tela metus.*

Denique Arbiter in Satyrico: *Non tam jactura me movet, quam negligentia nequiſſimi ſervi.*

v. 13. μνημόσυνον ] Amicitiæ pignus, a quo amici abſentis, vel mortui ſæpius admonemur. Id Latini *monumentum* vocant. Virgilius lib. 5. Æneidos v. 536.

*Cratera impreſſum ſignis: quem Thracius olim*
*Anchiſæ genitori in magno munere Ciſſeus*
*Ferre ſui dederat monumentum & pignus amoris.*

Cicero pro Sex. Roſcio Amerino: *Nec ſibi quicquam paternum, ne monumenti quidem cauſſa, reſervavit.*

v. 14.

Nam sudaria Sætabe ex Hibera
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Verannius: hæc amem necesse est
Ut Veranniolum meum & Fabullum.

## XIII.

COENABIS bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi dii favent, diebus:

Si

v. 14. *Satabe ex Hibera* ] Ita Vossius legendum conjicit, ex corrupta veterum librorum scriptura *Sataba exhibere:* quem sequor. Editiones præferunt *Sataba ex Hiberis*. Fuit autem Sætabis oppidum Hispaniæ prope Sucronem amnem: unde linum laudatissimum. Plinius lib. 19. Natur. Hist. cap. 1. *A Satabi tertia in Europa lino palma*. Justinus quoque lib. 44. cap. 1. *lini spartique vim ingentem* in Hispania provenire testatur.

v. 15. *Miserunt mihi muneri* ] Cornelius Nepos in Pausania: *Pausanias dux Sparta, quos Byzantii ceperat, postquam propinquos tuos cognovit, tibi muneri misit*. Idem in Pomponio Attico: *Abjecto Bruto, Italiaque cedenti LLS. centum millia muneri misit*.

ibid. *Fabullus* ] Cognomen a Fabio derivatum. Vide quæ attulimus superius de *Catulli* cognomine.

ARGUM. CARM. XIII. ] Fabullum ad cœnam invitat, ea lege, ut Fabullus quidem cœnam secum afferat, ipse autem nihil suppeditet præter unguentum. *M. Antonius Muretus*.

v. 1. *Cœnabis bene* ] I. e. laute, copiose, opipare. Horatius Epistola 6. lib. 1. v. 56.

*Si bene qui cœnat, bene vivit; lucet: eamus*
*Quo ducit gula: piscemur, venemur --*

Omnes porro qui bene cœnent, libenter etiam cœnare, affirmat Cicero lib. 2. de Finibus: qui autem libenter, non continuo bene. Postquam enim Lucilii versus de Gallonio quodam retulisset, homine gulæ ac ventri dedito, hæc subjungit: *Recte ergo is negat, umquam bene cœnâsse Gallonium, recte miserum: quum præsertim in eo omne studium consumeret: quem libenter cœnâsse nemo negat. Cur igitur non bene? quia quod bene, id recte, frugaliter, honeste. ille porro male, prave, nequiter, turpiter cœnabat*. Martialis Catullum secutus Epigrammate 53. lib. 11. ita scribit:

*Cœnabis belle, Juli Cerealis, apud me.*

v. 2. *Paucis diebus* ] Intra paucos dies: εἴσω ὀλίγων ἡμερῶν, ut Græci loquuntur. Eodem pacto Plautus Pœnulo Ac. 5. Sc. 4. v. 37.

*Nos fore invito domino nostro diebus paucis liberas.*

Sallustius Bello Jugurthino cap. 13. *Itaque paucis diebus, cum argento & auro multo Romam legatos mittit*. Addebant & particulam *in*. Terentius Andria Ac. 1. Sc. 1. v. 77.

*Fere in diebus paucis, quibus hæc acta sunt,*
*Chrysis vicina hæc moritur -- --*

Simile est illud Ciceronis pro Archia poeta: *Si sexaginta diebus apud prætorem*

G es-

Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Cœnam, non ſine candida puella,
Et vino, & ſale, & omnibus cachinnis.
Hæc ſi, inquam, attuleris, venuſte noſter,
Cœnabis bene; nam tui Catulli
Plenus ſacculus eſt aranearum.
Sed contra accipies meros amores:
Seu quid ſuavius, elegantiuſve eſt.

Nam

*eſseus profeſſi*. i. e. intra ſpatium ſexaginta dierum, ut Paſſeratius interpretatur. Neque diſſimiliter Plancus ad Ciceronem Epiſtola 18. lib. 10. *Ipſe, ut ſpero, diebus octo, quibus has litteras dabam, cum Lepidi copiis me conjungam*. i. e. poſt dies octo ab his litteris datis. Eodem pacto dixit Ovidius Epiſt. Briſeidos v. 23. *parvo tempore* pro intra *parvum* ſeu *breve tempus*.

*Ipſe Menœtiades, tunc cum tradebar, in aurem,*
*Quid fles? hic parvo tempore, dixit, eris.*

nempe in Achillis tentorio, unde nunc invita diſcedis.

ibid. *Si tibi dii favent* ] Hæc lectio nullo modo ſollicitanda; nam quod Voſſius putat legendum *favint* pro *faverint*, ἀῤχαϊκῶς, in eo hallucinatur: prima enim ſyllaba longa eſſet, adverſus leges hendecaſyllabi.

v. 4. *Non ſine candida puella* ] Quæ ſcilicet voluptariis hominibus longe gratiſſimum futura eſſet cœnæ condimentum. Horatius Epiſt. 5. l. 1. v. 27.

*Et niſi cœna prior, potiorque puella Sabinum*
*Detinet, adſumam - - - - - - - - -*

Tibullus Elegia 6. lib. 3.

*Non ego, ſi fugiat noſtra convivia menſa*
*Ignotum cupiens vana puella torum,*
*Sollicitus repetam tota ſuſpiria nocte.*

Quam conſuetudinem convivio puellas adhibendi, Heliogabalo, bipedum teterrimo, potiſſimum placuiſſe, teſtatur Ælius Lampridius in ejus vita. *Sic*, ait, *unum convivium vix toto die finitum eſt, cum & lavarent per ſingula fercula, & mulieribus uterentur*.

v. 5. *Et omnibus cachinnis* ] Ita locutus poeta noſter & infra Carm. 31.

*Ridete quicquid eſt domi cachinnorum.*

v. 8. *Plenus ſacculus eſt aranearum* ] Diu enim pecunia caret. Res autem obſoletas, deſertas, vacuas, & quod continere deberent, eo carentes, araneis oppletas eleganter vocabant; nam hujuſmodi animalcula ſuis telis texendis loca humano cultu vacantia eligere ſolent, ne quis interturbet.

v. 9. *Meros amores* ] Unguentum quod Fabullo ad cœnam vocato daturus erat, *meros amores* appellat; i. e. meram ſuavitatem, ἁπαλὴν βροτοῖσι φίλτρον, ut de vino cecinit elegantiſſimus Anacreon Ode 50. Quemadmodum vero Catullus hoc loco *meros amores*, ita *meros honores* dixit Horatius Epiſtola 2. lib. 2. v. 88.

*Frater erat Romæ conſulti rhetor, ut alter*
*Alterius ſermone meros audiret honores.*

v. 12. *Donarunt Veneres, Cupidineſque* ] I. e. cujus odor ea jucunditate præditus eſt, ut ex Venerum & Cupidinum myropolio profectus videatur. Ita Propertius Elegia 22. lib. 2. E. B.

*Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,*
*Sed quos ipſe ſuis fecit Amor manibus.*

quod vidit Theodorus Marcilius.

v. 14.

Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidinesque:
Quod tu quum olfacies, deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

## X I V.

NI te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.

Nam

v. 14. *Totum ut te faciant, F. nasum.* ] Intemperantis hominis votum, cujusmodi est illud in celeberrimo Platonis disticho ad puerum Asterem; quod legitur cap. 6. lib. 3. Anthologiæ, & apud L. Apulejum in Apologia:

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς Ἀστὴρ ἐμός· εἴθε γενοίμην
Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σε βλέπω.

*Suspicis astra: utinam fiam, care Aster, Olympus,*
*Ut multis sic te luminibus videam.*

Neque illud Hecubæ dissimile apud Euripidem in Tragœdia cognomine v. 836.

Εἴ μοι γένοιτο φθόγγος ἐν βραχίοσι,
Καὶ χερσὶ, καὶ κόμαισι, καὶ ποδῶν βάσει,
Ἢ Δαιδάλου τέχναισιν, ἢ θεῶν τινος,
Ὡς πάνθ' ὁμαρτῇ σῶν ἔχοιτο γουνάτων,
Κλαίοντ', ἐπισκήπτοντα παντοίους λόγους.
*Utinam mihi fieret vox in brachiis,*
*Et manibus, & coma, & pedum ingressu,*
*Vel Dædali arte, vel deorum alicujus;*
*Ut omnia simul tuis adhærescerent genibus*
*Plorantia, exprimentia omnis generis sermones.*

ARGUM. CARM. XIV. ] Licinio Calvo, sodali suo, quod sibi Saturnalibus malorum poetarum carmina dono misisset, per jocum irascitur.

v. 2. *Jucundissime Calve* ] Calvus hic, ad quem scribit Catullus, orator vehemens, & poeta elegans fuit; quod cum ex antiquorum testimoniis, tum ex reliquiis carminum ejus, quæ ad nostram ætatem pervenerunt, facile colligi potest. Erat autem poetæ nostro summa familiaritate conjunctus. Quamobrem Ovidius Amorum lib. 3. Elegia 9. qua Tibulli mortem deflet, ita canit:

*Obvius huic venias hedera juvenilia cinctus*
*Tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo.*

ibid. *Munere isto* ] Ob munus istud. διὰ τοῦτο τὸ δῶρον.

v. 3. *Odissem te odio Vatiniano* ] Vel eo odio quo boni omnes Vatinium prosequebantur, impurum hominem, & flagitiosum; vel eo quo Vatinius ipse oderat C. Licinium Calvum, oratorem acerrimum, qui eum de ambitu accusaverat, quod comitia prætoria corrupisset. Vide Catullum infra Carm. 53. Alterum verius existimo; eodem enim pacto locutus est Livius lib. 2. Histor. *Odisse plebem* ( Appius Claudius ) *plus quam paterno odio*. i. e. odio majore quam illo quo pater ejus Appius Romanam plebem oderat. Ceterum *odisse odio* ita dicitur, quemadmodum *occidione occidere*, *frigore frige-*

Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes poetis?
Isti dii mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.

Quod

*scere*, & similia plurima. Cicero Philippica 14. *Ejusque copias occidione occiderit*. Cœlius ad Ciceronem Epistola 6. lib. 8. *Si Parthi vos nihil calfaciunt, nos hic frigore frigescimus*. Græci pariter hisce loquendi modis utuntur, χαρᾷ χαίρειν, *gaudio gaudere*; ἁμαρτάνειν ἁμαρτήματι, *peccato peccare*; πόθῳ ποθεῖν, *desiderio desiderare*. Coluthus Thebanus libro de raptu Helenæ v. 269.

Τοῖα πόθῳ ποθέουσα λιγύθροος ἔννεπε νύμφη.

*Talia desiderio desiderans vocalis Nympha dicebat.*

Cujusmodi sæpius occurrunt etiam apud divinorum librorum scriptores. Vide, si lubet, quæ attulimus ad Carmen 7. v. 9.

v. 4. *Nam quid feci ego?* ] Caussas infortunii quod sibi accidisset, hoc pacto investigat etiam Tibullus Elegia 5. lib. 1. edit. Scaligeri.

*Num Veneris magna violavi numina verbo,*
*Et mea nunc pœnas impia lingua luit?*

Lege reliqua in eamdem sententiam.

v. 5. *Tot male perderes poetis* ] Non placet explicatio Josephi Scaligeri, qui putat dictum a Catullo *malepoetis* uno verbo pro *malis poetis*. Ego vero accipiendum censeo *male perderes*, pro *misere*, & *malis exemplis perderes*; ut ait Terentius Phormione Ac. 4. Sc. 4. v. 6.

*Ut te quidem omnes dii deæque, superi, inferi*
*Malis exemplis perdant* - - - -

In Euangelio Matthæi cap. 21. v. 41. hanc φράσιν invenio: Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτούς. *malos male perdet*.

v. 6. *Clienti* ] Calvus enim acceperat a cliente, cui forensem operam navaverat, scripta malorum poetarum loco munusculi; quæ ipse postea, joci caussa, ad Catullum misit.

v. 7. *Tantum impiorum* ] Eodem pacto Carm. 5.

*Quum tantum sciat esse basiorum.*

*Tantum vulnerum*, *equitum*, *peditum*, *copiarum*, memini me legisse alicubi apud Livium. Ceterum bene monuerunt Critici, *pium* & *impium* poetam Catullo *doctum* & *indoctum* esse: hujus autem rei caussam nullam afferunt, ii saltem quos vidi. Animadvertendum est, poetarum studia *sacra* passim appellari, poetas vero ipsos, *sacerdotes*. Virgilius 2. Georgic. v. 465.

*Me vero primum dulces ante omnia Musæ,*
*Quarum sacra fero ingenti percussus amore,*
*Accipiant* - - - - -

Persius Prologo Satyr. v. 6.

- - - - *ipse semipaganus*
*Ad sacra vatum carmen affero nostrum.*

Propertius Eleg. 1. lib. 3.

*Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos*
*Itala per Grajos orgia ferre choros.*

Ovidius Amorum lib. 3. Elegia 8.

*Ille ego Musarum purus Phœbique sacerdos*
*Ad rigidas canto carmen inane fores.*

Quos igitur nascentes, Musæ placidis oculis non vidissent, nec sacer ille spiritus afflaret, sine quo nihil cedro dignum paginis committi potest, ac nihilominus invito Apolline carmina effutientes, *impios* merito appellat Catul-

Quod si, ut suspicor, hoc novum, ac repertum
Munus dat tibi Sulla litterator;
Non est mi male, sed bene, ac beate,
Quod non dispereunt tui labores.
Dii magni, horribilem & sacrum libellum!
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Mîsti, continuo ut die periret

Sa-

tullus. Explicationem hanc nostram unice firmat Virgilius Æneid. lib. 6. v. 662.

*Quique pii vates, & Phœbo digna locuti.*

v. 8. *Repertum munus* ] Cave auscultes Isaaco Vossio legenti *refertum*, i. e. *opimum*. Hoc loco *repertum*, est exquisitum, excogitatum, magnaque cura inventum. Quam porro vim habeat verbum *reperire*, satis docet illud Plauti Pseudolo Ac. 1. Sc. 4. v. 8.

*- - - Poeta tabulas quum cepit sibi,*
*Quærit quod nusquam est gentium, reperit tamen.*

& illud Propertii lib. 3. Elegia 22.

*Et quæcumque volens reperit non stulta puella.*

v. 9. *Sulla litterator* ] Hunc eruditi suspicantur esse L. Cornelium Epicadum L. Syllæ libertum, grammaticum iis temporibus non contemnendum, qui a patrono manumissus, ejus cognomen sumserit: quod liberti solebant, ut e veteribus Inscriptionibus satis constat.

v. 10. *Non est mi male* ] Queri desino, ac tibi laborum tuorum præmium gratulor. Est autem *εἰρωνία*.

v. 11. *Tui labores* ] Quos nimirum sustinuisti Sulla defendendo, ejusque agenda caussa. *Forensis laboris* mentio haud semel fit in scriptis M. Tullii.

v. 12. *Dii magni, horribilem & sacrum libellum!* ] Ἐκφώνησις cum admiratione; qualis est illa Ovidiana Epistolâ Leandri v. 102.

*Oscula, dii magni, trans mare digna peti!*

Nos quoque, antiquorum vestigia secuti, nostrorum Carminum lib. 1. Elegia 8. ita formosam puellam celebravimus:

*Dii magni, raram faciem, moresque pudicos!*

Ab hoc loquendi genere non abit Plautus Captivis Ac. 2. Sc. 3. v. 58. *Dii vostram fidem, hominum ingenium liberale!* Et Mostellaria Ac. 1. Sc. 3. v. 48. *Proh dii immortales! mulierem lepidam & pudico ingenio!* item Pœnulo Ac. 1. Sc. 2. v. 44. deorum nomine non adjecto: *Diem pulchrum & celebrem & venustatis plenum!* Porro *libellus* qui malorum poetarum carmina contineret, Catullo *sacer* est, i. e. exsecrandus, detestabilis, devotus. Eadem significatione hanc vocem accepit Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 181.

*- - - - uter ædilis fueritve*
*Vestrûm prætor, is intestabilis & sacer esto.*

Quod sumtum ex XII. Tabulis, in quibus legebatur: PATRONVS SI CLIENTI FRAVDEM FECERIT, SACER ESTO.

v. 14. *Mîsti* ] Misisti. κατὰ συγκοπήν. Terentius Eunucho Ac. 2. Sc. 2. v. 10. *Simul consilium cum re amîsti?*

ibid. *Continuo ut die periret Saturnalibus* ] Ut acceptus a Catullo, statim periret. i. e. vel in ignem mitteretur, vel fieret piperi cucullus; *die Saturnalibus*, nimirum eo die quem Romani

ap-

Saturnalibus, optimo dierum.

Non

appellabant Saturnalia. Ita locutus Plautus Pœnulo Ac. 2. v. 49.

*- - - tum tu igitur die bono Aphrodisiis*
*Addice tuam mihi meretricem minusculam.*

quod alii viderunt. Et Propertius Elegia 4. lib. 4.

*Urbi festus erat, dixere Parilia patres.*
*Hic primus cæpit mœnibus esse dies.*

v. 15. *Saturnalibus, optimo dierum*] Nemo qui vel primoribus labiis eruditionem deguſtaverit, ignorat, Saturnalia, feſta fuiſſe apud veteres, in honorem Saturni, ceſſatione, operis gravioris intermiſſione, conviviis, ludis, hilaritate celebrari ſolita. Hæc porro quamquam in Italia, & in Græcia ante Romam conditam viguiſſent, Romæ tamen inſtituta ſunt primum anno ab U. C. 257. quod Livius aperte declarat lib. 2. Hiſtor. his verbis: *Consules Q. Clælius, & T. Lartius. his consulibus ades Saturno dedicata: Saturnalia institutus festus dies.* Ea poſtea in desuetudinem abiiſſe, qua de cauſſa incertum, temporibus autem belli Punici ſecundi, paullo ante cladem ab Hannibale ad Thraſimenum lacum Romanis allatam, de integro inſtaurata fuiſſe, ex eodem Livio colligere mihi videor lib. 22. *Postremo*, inquit, *ex libris Decembri jam mense in ædem Saturni Romæ immolatum est, lectisterniumque imperatum (& eum lectum senatores straverunt) & convivium publicum, at per urbem Saturnalia die ac nocte clamatum, populusque eum diem festum habere ac servare in perpetuum jussus.* De tempore anni quo hujuſmodi feſta celebrari mos erat, operæ pretium eſt audire Macrobium cap. 10. lib. 1. Saturnaliorum. *Apud majores nostros*, ait, *Saturnalia die uno finiebantur; qui erat ad diem XIV. Kal. Januarias. sed postquam C. Cæsar huic mensi duos addidit dies, sextodecimo cæpta celebrari. ea re factum est ut, cum vulgus ignoraret certum Saturnaliorum diem, nonnullique a C. Cæsare inserto die, & alii vetere more celebrarent, plures dies Saturnalia numerarentur. licet & apud veteres opinio fuerit, septem diebus peragi Saturnalia; si opinio vocanda est qua idoneis firmatur auctoribus.* Deinde auctorum teſtimonia profert. Sub finem vero capitis hæc ſubjungit: *Abunde jam probâsse nos æstimo, Saturnalia uno tantum die, id est XIV. Kalendarum solita celebrari: sed post in triduum propagata primum ex adjectis a Cæsare huic mensi diebus; deinde ex edicto Augusti, quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit. a sextodecimo igitur cæpta in quartumdecimum desinunt; quo solo fieri ante consueverant. Sed Sigillariorum adjecta celebritas, in septem dies discursum publicum & lætitiam religionis extendit.* Quæ quamquam ita ſint, totus tamen December Saturno dicatus erat, eoque toto Saturnalia aut parabant, aut celebrabant. Vide, ſi placet, quæ attulerunt viri docti ad Carmen 6. lib. 1. Silvarum Statii Papinii. Ceterum primus Saturnaliorum dies duobus, aut quatuor ſequentibus dignitate præſtabat; quod ſcilicet antiquiores eum unum diem ſolennem habuiſſent. Id autem vel ex Declamatione in Catilinam, quæ tametſi falſo tribuatur Porcio Latroni, priſci tamen Rhetoris eſt, facile diſci poteſt. Ait enim quiſquis eſt auctor num. 16. *Præsto sunt Saturnalia nobis otiosis atque oscitantibus: quem unum diem nuncupare solitus es eversorem superbissimi ordinis.* & n. 17. *Præterea Saturnalibus proxime futuris rem adoriri placuit: quo die civitas omnis feriata publico edicto, conferre se se in montem Aventinum, at rusticari quodammodo solita est.* Eum porro diem primum Saturnaliorum, *bonum*, *optimumque dierum* appellabant, ut Catullus hoc loco. Quamobrem ſuſpicor, feſti hujus hilarita-

Non non hoc tibi, salse, sic abibit.

Nam ritatem significari ab Horatio cum Ode 21. lib. 3. ita vini veteris testam alloquitur:

*Quocumque lectum nomine Massicum*
*Servas, moveri digna bono die.*

Sed id quod maxime pertinet ad Catullum illustrandum, silentio præterire nullo modo possum, nimirum in iis munusculis quæ pauperes divitibus, clientes patronis per hosce dies mittere solebant, & libros numeratos fuisse. Testis Martialis Epigrammate 18. lib. 5. ad Quinctianum:

*Quod tibi Decembri mense, quo volant mappæ,*
*Gracilesque ligulæ, cereique, chartæque,*
*Et acuta senibus testa cum damascenis,*
*Præter libellos vernulas nihil misi;*
*Fortasse avarus videar, aut inhumanus.*
*Odi dolosas munerum & malas artes.*
*Imitantur hamos dona: namque quis nescit*
*Avidum vorata decipi scarum musca?*
*Quoties amico diviti nihil donat,*
*O Quinctiane, liberalis est pauper.*

Martiali omnino addendus Lucianus in Cronosolone, sive Saturnalium legum latore. Ἀντιπεμπέτω δὲ, inquit, ὁ πένης τῷ πλουσίῳ, ὁ μὲν πεπαιδευμένος, βιβλίον τῶν παλαιῶν, ὅ τι εὔφημον, καὶ συμποτικὸν ᾖ, ἢ αὐτοῦ σύγγραμμα, ὁποῖον ἂν δύνηται· καὶ τοῦτο λαμβανέτω ὁ πλούσιος πάνυ φαιδρῷ τῷ προσώπῳ· καὶ λαβὼν, ἀναγιγνωσκέτω εὐθύς. i. e. *Pauper diviti vicissim mittito: si doctus est, veterem aliquem libellum, aut si quid ipse conscripsit quod fausti sit ominis, aut conviviis accommodum, qualecumque potuerit: atque id dives læto admodum hilarique vultu accipito, acceptum protinus legito.*

v. 16. *Non non hoc tibi, salse, sic abibit*] Non te inultum dimittam: non impune feres. Ita locutus M. Tullius lib. 5. de Finibus: *Tum Piso, Etsi hoc, inquit, fortasse non poteris sic abire, cum hic adsit (me autem dicebat) tamen audebo te ab hac Academia nova ad veterem illam vocare.* Vindex nimirum Academiæ novæ ipse Cicero præsto futurus erat. Antiquiores imitatur Seneca Hercule Furente v. 27. verbis Junonis: *Non sic abibunt odia.* i. e. non eo fine continebuntur, sed ulterius excurrent. Dicebant & *abire impune*. Varro de Re Rustica lib. 1. cap. 16. *Si quis contra exierit, ne impune abeat: si abierit, ut in villicum animadvertatur.* Lactantius de mortibus Persecutorum cap. 30. *Quia semel abiit impune.* Idem fere est *inultum auferre*. Terentius Andriæ Ac. 3. Sc. 5. v. 4.

*Ergo pretium ob stultitiam fero: sed inultum id numquam auferet.*

Tibullus, seu quisquis est auctor, ad Priapum:

*Licebit hoc inultus auferas semel.*

ibid. *Non non*] Cum duplicem negandi particulam adhiberent veteres, aliquando priorem inter ac sequentem alia verba collocabant. M. Varro de Re Rustica lib. 3. cap. 2. *Spero non tibi decoquet non ornithon.* Brutus in Epistola ad Atticum: *Ut jam ista quæ facit (Cicero) non dominationem non, sed dominum Antonium timentis sint.* Victorius tamen aliter hunc locum legit. Seneca de Beneficiis lib. 7. cap. 25. *Non est ista admonitio non: convicium est.* Virgilius in Ceiri v. 18. addidit *equidem*:

*Non ego te talem venerarer munere tali,*
*Non equidem - - - - -*

Neque Homerus ipse, omnium elegantiarum pater, ab hoc loquendi modo abhorruit Odysseæ lib. 20. v. 339.

Οὐ μὰ Ζῆν', Ἀγέλαε, καὶ ἄλγεα πατρὸς ἐμοῖο,
- - - - - - -
Οὔτι διατρίβω μητρὸς γάμον· - - -
*Non per Jovem, Agelae, & dolores patris mei,*
- - - - -
*Non remoror matris nuptias - - -*

Hæc

Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Cæsios, Aquinios,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite

Illuc

Hæc porro particula tergemina invenitur apud Terentium Phormione Ac. 2. Sc. 1. v. 73. *Non non sic futurum est: non potest*.

v. 17. *Si luxerit* ] I. e. prima luce; primo diluculo, simul ac dies ortus fuerit, ἅμα ἡμέρας, ἅμα τῇ ἡμέρᾳ, ut Græci loquuntur. *Lucere* enim pro *diem esse* veteres haud raro usurpabant. Cicero de Divinatione lib. 1. *Qua nocte templum Ephesiæ Dianæ deflagravit, eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum, atque ubi lucere cœpisset, clamitasse magos, pestem ac perniciem Asiæ proxima nocte natam*. Horatius Epistola 6. lib. 1. v. 56.

*Si bene qui cœnat, bene vivit; lucet; eamus*
*Quo ducit gula, piscemur, venemur --*

Eadem interdum significatio verbi *illucere*. Cæsar lib. 1. de Bello Civili cap. 23. *Cæsar ubi illuxit, omnes senatores senatorumque liberos, tribunos militum equitesque Romanos ad se produci jubet*. ἐπειδὴ φῶς γένοιτο dixit Plato in Critia: *postquam illuxisset*. Apparet autem ex his Catulli verbis, libellum ineptum a Calvo ad eum missum fuisse sub horam cœnæ: propterea dicit, se crastinum exspectare, ut amicum remunerari possit. Ceterum, *si* hoc loco positum est pro *ubi*, *quum primum*. Italice diceres cum Joanne Boccatio: *se farà dì chiaro*. Simillimum porro est illud Dantis Etrusci poetæ, Purgat. cantu 18.

*Questi, che vive (e certo io non vi bugio)*
*Vuole andar su, pur che 'l Sol ne riluca*.

Plurima exempla hujus particulæ hac significatione acceptæ suppeditat lectio veterum auctorum: sed afferre pauca satis fuerit. Plautus Sticho Ac. 5. Sc. 5. v. 17.

*- - - - - - - possidea loci*
*Si hoc eduxeris, proinde ut consuetus antehac, celeriter*
*Lepidam & suavem cantationem aliquam occipito cinædicam*.

i. e. *postquam hoc eduxeris*. Livius lib. 7. Histor. *Commoti patres vice fortunarum humanarum, si ille præpotens opibus populus* (Campanus nempe, qui omnia sua in populi Romani ditionem dederat) *- - - adeo infractos gereret animos, ut se ipse suaque omnia potestatis alienæ faceret*. Horatius Ode 27. lib. 3.

*Rumpat & serpens iter institutum,*
*Si per obliquum similis sagitta*
*Terruit mannos - - - -*

ibid. *Ad librariorum Curram scrinia* ] Forulos, capsulas, in quibus bibliopolæ libros venales asservabant.

v. 18. *Aquinios* ] Ita legit Vossius, non *Aquinos*, ut duæ syllabæ in unam coalescant, κατὰ συναίρεσιν. recte, meo judicio.

v. 19. *Omnia colligam venena* ] Appellat *venena*, mala carmina; quod scilicet eruditorum atque elegantium hominum aures perdant. Similiter locutus infra Carm. 44.

*Orationem in Sextium petitorem*
*Plenam veneni & pestilentiæ legit*.

v. 20. *Te his suppliciis remunerabor* ] Nimirum, *quam simillimo munere*, ut loquitur Cicero Epistola 8. lib. 9. ad M. Varronem.

v. 21. *Valete* ] Vide quæ scripsimus ad Carmen 8. v. 12.

V. 22.

Illuc unde malum pedem tulistis,
Sæcli incommoda, pessimi poetæ.

* *

Si qui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis, manusque vostras
Non horrebitis admovere nobis,
Pædicabo ego vos, & irrumabo.

## X V.

Commendo tibi me, ac meos amores,
Aureli. veniam peto pudentem,

Ut,

v. 22. *Pedem tulistis* ] Tibullus pariter Elegia 8. lib. 1.

*Te canet agricola, e magna quum venerit urbe*
*Servus, inoffensum rettuleritque pedem.*

v. 23. *Sæcli incommoda* ] Hujus ætatis labes, & cacoemata.

* * Hos versiculos, qui Carmine 16. loco non suo in plerisque editionibus legebantur, huc revocandos esse docuit Isaacus Vossius, fretus auctoritate veterum codd. MSS. Videntur autem ἀποσπασμάτια longioris Epigrammatis, cujus prima quæque, temporis longinquitate deleta sint.

v. 1. Existimabam olim, *si qui* usurpatum a Catullo pro *qui*, ut nimirum particula *si* abundet in oratione. Nam & Cicero aliquoties ita locutus est. Academicarum enim Quæstionum l. 1. *Oratores quidem laudari video, si qui e nostris Hyperidem sint aut Demosthenem imitati*. neque ita multo post: *Iis rebus si quas dignas laude gessimus, hoc in primis consentaneum*. Et Propertius lib. 2.

*Nec si qua Arabio lucet bombyce puella.*
*Nec si qua illustres femina jactat avos.*
*Viderit hac si quam jam peperisse pudet.*
*Si qua venit sero, magna ruina venit.*

Postremo Albinovanus Elegia de morte Mæcenatis v. 116.

*Vivacesque magis cervos decet esse paventes,*
*Si quorum in torva cornua fronte rigent.*

Nunc vero hac de re meo ipsius judicio diffidere incipio, & omnino ampliandum censeo.

Argum. Carm. XV. ] Petit ab Aurelio, ut manus a puero suo seorsum habeat: si secus fecerit, mulctam indicit.

v. 1. *Commendo tibi me* ] Dimicat enim de capite, ac de fortunis omnibus amator, quoties ei quem amat, periculum infertur. Hoc eodem Carmine v. 16.

*Ut nostrum insidiis caput lacessas.*

v. 2. *Veniam peto* ] Latinis *veniam petere* nonnumquam idem est, ac Ita-

H lis

Ut, si quicquam animo tuo cupisti,
Quod castum expeteres, & integellum,
Conserves puerum mihi pudice:
Non dico a populo. nihil veremur
Istos qui in platea modo huc, modo illuc
In re prætereunt sua occupati:
Verum a te metuo, tuoque pene
Infesto pueris bonis, malisque.
Quem tu qualubet, ut lubet, moveto

Quan-

lis *dimandare una grazia, un favore, un servigio*. Contra *veniam dare*, nobis est *fare una grazia*, vel *conceder licenza*. Exempla rem planam facient. Horatius Arte Poetica v. 11.

*Scimus, & hanc veniam petimusque, damusque vicissim.*

Cicero lib. 1. de Oratore: *Date nobis hanc veniam, ut ea quæ sentitis de omni genere dicendi, subtiliter prosequamini.* Livius lib. 30. Histor. verbis Sophonisbæ ad Masanissam: *Hanc veniam supplici des, ut ipse quodcumque fert animus, de captiva statuas, neque in cujusquam Romani superbum ac crudele arbitrium venire sinas*. Quemadmodum vero Catullus hoc loco *veniam pudentem* dixit, modestam nimirum atque impetrabilem, ita Horatius in Arte Poetica v. 51. *dabiturque licentia sumta pudenter*.

v. 4. *Integellum* ] Purum, intactum. Cicero Epistola 10. lib. 9. *Suavissimum συμβιώτην nostrum præstabo integellum*. Porro Catullus optimam adhibet petendi rationem, cum amicum a quo petit, carissimorum pignorum admonet. Virgilius lib. 12. Æneid. v. 933. Turnum inducit eodem ferme pacto letum deprecantem:

*- - - - oro ( fuit & tibi talis*
*Anchises genitor ) Danai miserere senectæ.*

v. 7. *Modo huc, modo illuc* ] Livius pariter lib. 6. *Vidit* ( Camillus ) ....... *repletas semitas inter vulgus aliud puerorum ac mulierum huc atque illuc euntium, quæ quemque suorum usuum caussæ ferrent*.

v. 8. *In re prætereunt sua occupati* ] Homines negotiis familiaribus impediti, amori minus vacare solent; qui otiosos & nihil agentes plerumque invadit: est enim πάθος ψυχῆς σχολαζούσης. Ovidius in Remediis v. 144.

*Cedit Amor rebus: res age, tutus eris.*

v. 9. *Verum a te metuo* ] Tu mihi timorem incutis. Terentius Andria Ac. 1. Sc. 1. v. 79. *Metui a Chryside*.

v. 10. *Bonis, malisque* ] Formosis nimirum atque deformibus. modo enim libidinem expleret Aurelius, nihil pensi habebat. *Bonum* pro *pulchro* usurpavit Horatius Ode 1. lib. 4.

*Non sum qualis eram bonæ*
*Sub regno Cinaræ - - - -*

Propertius quoque Elegia 24. l. 2. E.B.

*An si cæruleo quædam sua tempora fuco*
*Tinxerit, iccirco cærula forma bona est?*

His adde Ovidium Amorum lib. 3. Elegia 2.

*Invida vestis eras, quæ tam bona crura tegebas.*

*Malum* pro *deformi* apud Plautum invenias Bacchid. Ac. 5. Sc. 2. v. 42.

PH. *Viden' hanc?* NI. *video*. PH. *haud mala est mulier*.

v. 11. *Qua lubet* ] Alios in deliciis

ha-

Quantumvis, ubi erit foris, paratum.
Hunc unum excipio, ut puto, pudenter.
Quod si te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit, scelesta, culpam,
Ut nostrum insidiis caput lacessas:
Ah tum te miserum, malique fati,
Quem attractis pedibus, patente porta

Per-

habe, quorum consuetudo neque leges, neque pietatem, neque amicitiam lædat. Erant enim apud veteres quidam liciti amores, teste Plauto in Curculione Ac. 1. Sc. 1. v. 35.

*Nemo ire quemquam publica prohibet via.*
*Dum ne per fundum septum facias semitam,*
*Dum te te abstineas nupta, vidua, virgine,*
*Juventute & pueris liberis, ama* QUID LUBET.

ibid. *Moveto* ] Hoc quoque verbum aliquando inter obscœna locum obtinet. Ovidius Amorum lib. 1. Elegia 10. ἀλληγορικῶς:

*Sæpe maritorum somnis utuntur amantes,*
*Et sua sopitis hostibus arma movent.*

Eo plane modo Græci utuntur interdum suo κινεῖν. hinc *cinædi* ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὰ αἰδοῖα.

v. 12. *Ubi erit foris* ] Ubi scilicet e domo Catulli exierit, in qua puer sancte ac pudice asservari & custodiri debebat. Huc pertinet Horatii præceptum Epistola 18. lib. 1. v. 72.

*Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve*
*Intra marmoreum venerandi limen amici.*

ibid. *Paratum* ] Expeditum ad rem Veneris, tamquam militem in procinctu. Auctor liberi Carminis Epigrammate 46.

*Nam quamvis videar satis paratus,*
*Erucarum opus est decem maniplis.*

Ovidius Fastorum lib. 1. v. 437.

*At deus, obscœna nimium quoque parte paratus,*
*Omnibus ad Lunæ lumina risus erat.*

v. 13. *Ut puto, pudenter* ] Postulationem suam ab æquitate & verecundia commendat. Simile est illud M. Tullii in Oratione pro Sex. Roscio Amerino: *Si vobis æqua & honesta postulatio videtur, judices; ego contra brevem postulationem affero, & (quomodo mihi persuadeo) aliquanto æquiorem.* Hunc locum Ciceronis attulit Achilles Statius in suo Commentario, neque tamen integrum exscripsit, uti par fuerat.

v. 16. *Ut nostrum insidiis caput lacessas* ] Vide quæ diximus ad versum 1. hujus Epigrammatis.

v. 18. *Attractis pedibus* ] Sunt qui legant *atratis*, i. e. nigra pice illitis. Athenienses enim, quos in adulterio deprehendissent, iis calida pice totum corpus perungebant, deinde una cum ea frigefacta pilos detrahebant, quod supplicium vocabant καταπίττωσιν seu παρατιλμὸν; ut recte Isaacus Vossius animadvertit. Janus Meleager legendum contendit *artatis*, nempe constrictis & colligatis, ne rhaphanos & mugiles intrudentibus obluctari possent: quæ lectio mirifice confirmatur insigni hoc Teren. loco ex Eunuc. Ac. 5. Sc. 5. v. 11

*- - - - eam iste vitiavit miser.*
*Ille ubi resciit factum, frater violentissimus,*
PA. *Quidnam fecit?* PR. *colligavit primum eum miseris modis.*

H 2 PA.

Percurrent rhaphanique, mugilesque.

## X V I.

PÆdicabo ego vos, & irrumabo,

Au-

PA. *Colligavit?* PR. *atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide.*

PA. *Quid ais?* PR. *nunc minatur porro se se id quod mœchis solet:*

*Quod ego numquam vidi fieri, neque velim - - -*

Sed non est cur discedamus a vulgata lectione, quæ satis commodam sententiam continet: mœchi enim pedibus ad supplicium trahebantur: vel *attracti pedes* sunt *diducti & divaricati*, ut olim explicavit Muretus.

ibid. *Patente porta* ] Quid hoc rei sit, discere potes ex Epigram. 52. Priapejorum:

*Jam primum stator hic libidinosus*
*Alternis ineundo & exeundo*
*Porta te faciet patentiorem.*

ubi vides *alternis inire & exire* idem esse propemodum ac *percurrere*, quod statim sequitur apud Catullum. *Portæ* igitur appellatione intellige πυγήν.

v. 19. *Rhaphanique, mugilesque* ] Grandes rhaphani, & quos *calamitas* (ut Plautinis verbis utar) *numquam attigisset*, mugiles item, genus piscium probe capitatum, natibus adulterorum valide imprimebantur. Meminit pœnæ hujus, præter plures alios, Lucianus περὶ τῆς περεγρίνου τελευτῆς, hisce verbis: τὸ γὰρ τῆς φύσεως τοῦτο πλάσμα, καὶ δημιούργημα, ὁ τοῦ Πολυκλείτου κανών, ἐπεὶ εἰς ἄνδρας τελεῖν ἤρξατο, ἐν Ἀρμενίᾳ μοιχεύων ἁλοὺς, μάλα πολλὰς πληγὰς ἔλαβε. καὶ τέλος κατὰ τοῦ τέγους ἁλόμενος, διέφυγε, ῥαφανῖδι τὴν πυγὴν βεβυσμένος. i. e. *Nam hoc naturæ figmentum, & opificium, Polycleti canon, cum inter viros censeri cœpisset, in Armenia in adulterio deprehensus, non paucas accepit plagas, ac tandem de tecto desiliens aufugit, natibus rhaphano oppletis.*

Argum. Carm. XVI. ] Furio, & Aurelio sodalibus suis turpe quiddam jocose minatur, quod e mollibus versiculis se minus pudicum existimâssent.

v. 1. *Pædicabo ego vos, & irrumabo* ] Ut scilicet experientia ipsa docti, tandem intelligere possitis, me marem esse, qualem antea non putabatis. Ita carminis obscœni Auctor Epigram. 14.

*Commissio mihi non satis modestas*
*Quicumque attulerit manus agello,*
*Is me sentiet esse non spadonem.*

Quod autem documentum virilis roboris se daturum sodalibus Catullus per jocum minatur, id Valerius Asiaticus apud Cornelium Tacitum lib. 11. Annalium cap. 2. serio se dedisse Suilii delatoris liberis clamitat. Ipsa verba Historici afferam: *Intra cubiculum auditur, Messalina coram; & Suilio corruptionem militum, quos pecunia & stupro in omni flagitio obstrictos arguebat, exin adulterium Poppææ, ac postremum mollitiam corporis objectante; ad quod victo silentio prorupit reus, &, Interroga, inquit, Suili, filios tuos: virum me esse fatebuntur.* Porro soliti erant Romani ei quem contemnerent, ac pro nihilo ducerent, irrumationem denuntiare: hominesque aliorum contemtores, translato vocabulo *irrumatores* interdum dicebantur. Catullus infra Carm. 38.

*An, continenter quod sedetis insulsi*
*Centum, aut ducenti, non putatis ausurum*

Me

Aureli pathice, & cinæde Furi:
Qui me ex versiculis meis putatis,
Quod sint molliculi, parum pudicum.
Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum. versiculos nihil necesse est:
Qui tum denique habent salem, ac leporem,
Si sunt molliculi, ac parum pudici,
Et quod pruriat incitare possunt,
Non dico pueris, sed his pilosis,
Qui duros nequeunt movere lumbos:
Vos, quod millia multa basiorum
Legistis, male me marem putatis:
Pædicabo ego vos, & irrumabo.

O Co-

*Me una ducentos irrumare sessores?*
superius autem Carm. 10.

*Præsertim quibus esset irrumator*
*Prætor, non faceret pili cohortem.*

Huc pertinet quod Suetonius narrat de Julio Cæsare in ejus vita cap. 22. *Quo gaudio*, inquit, *elatus non temperavit, quin paucos post dies frequenti curia jactaret, invitis & gementibus adversariis adeptum se qua concupisset: proinde ex eo insultaturum omnium capitibus. Capiti* enim *insultare*, vel *illudere*, idem est atque *irrumare*. Hoc autem *jocandi genus* quo hîc Catullus utitur, illud videtur esse quod Cicero lib. 1. de Officiis cap. 29. appellat *illiberale, petulans, flagitiosum, obscænum*; cui opponit alterum *elegans, urbanum, ingeniosum, facetum*.

v. 4. *Parum pudicum* ] Impudicus apud priscos habebatur non scortator, aut mœchus, sed tantummodo is qui alienam libidinem excipiebat, & muliebria patiebatur. Testis Auctor carminis in Priapum Epigrammate 59.

*Si fur veneris, impudicus ibis.*

Iccirco impudicitia magis propria feminarum.

v. 6. *Versiculos nihil necesse est* ] *Providendum* tamen *in primis ne sermo vitium aliquod indicet inesse moribus*, ut recte præcipit M. Tullius lib. 1. de Officiis cap. 37.

v. 10. *Pilosis* ] Barba obsitis, cujusmodi sunt ætate provecti.

v. 11. *Qui duros nequeunt movere lumbos* ] Horatius annos jam quinquaginta natus, ita Venerem alloquitur Ode 1. lib. 4.

*- - - - desine, dulcium*
*Mater sæva Cupidinum,*
*Circa lustra decem flectere mollibus*
*Jam durum imperiis - - -*

v. 12. *Quod millia multa basiorum Legistis* ] Meum Carmen ad Lesbiam 5. & 6.

v. 13. *Male marem* ] Cinædum vestri similem. Ovidius Artis Amatoriæ lib. 1. v. 523.

*Cetera lasciva faciant concede puellæ,*
*Et si quis male vir quærit habere virum.*

Quinctilianus Institut. Orator. lib. 5. cap. 9. *Ut fortasse corpus vulsum, fractum incessum, vestem muliebrem dixerit mollis & parum viri signa.*

AR-

## XVII.

O Colonia, quæ cupis ponte ludere ligneo,
Et salire paratum habes, sed vereris inepta

Cru-

Argum. Carm. XVII. ] Coloniam rogat, ut de suo ipsa ponte sublicio stolidum quemdam hominem Veronensem in suppositam paludem mitti patiatur.

v. 1. *O Colonia* ] Quam Coloniam Catullus hoc loco appellet, minus exploratum est. Suspicatur Muretus, vulgarem opinionem secutus, *oppidum esse haud procul Verona, quod hodieque nomen illud retinet.* Id oppidum viros egregios nonnullos in lucem protulit, e quibus memoria dignissimus Bernardinus Rutilius Jurisconsultus. Quantus ille vir, & quam doctus fuerit, apparet ex scriptis. Hoc etiam tempore lectissimis adolescentibus Colonia floret, litterarum scientia & eloquendi elegantia perpolitis. Ex his duos, de me præclare meritos, reticere non possum, Joannem Baptistam Sabbionium, & Vincentium Beninium; quorum unus Princeps Academiæ Repositorum, in poetarum & oratorum studiis magna cum laude versatur; alter Syphilidem, poema celeberrimum Hieronymi Fracastorii, Etruscis carminibus reddidit; quod opus propediem, ut spero, e typographia Cominiana prodibit. Non dubitat Scaliger, *quin* poeta *Novum Comum intelligat, coloniam paullo ante a Cæsare deductam.* Scaligerum sequitur Vossius: neque ipse ab hac sententia valde abhorreo.

ibid. *Ponte ludere ligneo* ] In pontibus olim ludebant, & spectacula edebant, quemadmodum & nostro tempore fit in Italia Pisis atque Venetiis, ubi pugilatu certatur. Probo autem lectionem Isaaci Vossii, qui ait se invenisse in optimis membranis *ligneo*, non *longo*; ut τὸ *ligneo* fiat dissyllabum κατὰ συναίρεσιν, aut versus hypermeter sit, nimirum unâ syllabâ redundans, quæ absorbeatur a vocali unde sequens versus exordium sumit.

v. 2. *Et salire paratum habes* ] Mira loquendi forma *paratum habes salire*, pro *paras*, vel *parata es salire*, quod Græci dicerent ἐν ἑτοίμῳ ἔχεις ἅλλεσθαι. Neque enim huic simile est aut illud Ciceronis in Bruto, de Cæsaris Commentariis: *Sed dum voluit alios habere paratum, unde sumerent qui vellent scribere historiam;* ( quamquam ibi nonnulla exemplaria præferant *habere parata* ); aut illud Senecæ de Tranquillitate animi cap. 11. *Paratum habes a volente quod non sentienti dedisti. aufer.* Accedere propius videntur Plautus, & Varro. alter Mercatore Ac. 2. Sc. 3. v. 64.

*Quæque habeat quotidianum familia coctum cibum;*

pro *coquat:* alter lib. 2. de Re Rust. cap. 6. *Leniter capistris, aliave qua re habent vinctos;* pro *vinciunt*, ut videtur. Ejusdem fere sunt generis ea quæ sequuntur. Livius lib. 41. ab U. C. *Qui tuendam viginti navibus mari superiori Anconam, velut cardinem, haberent.* i. e. *tuerentur*. Seneca Rhetor Controversia 31. *Pugnandum habebam non imperatori tantum, sed patri.* i. e. *mihi pugna erat non cum imperatore tantum, sed cum patre.* Plinius Præfat. Nat. Hist. *Summaque cura ut perlegendos eos haberes,*

ope-

Crura ponticuli asculis stantis, irredivivus
Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salii ipsulis sacra suscipiunto:
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.

Quem-

*operam dedi*. videlicet *ne tibi perlegendi essent*. Idem lib. 10. ejusdem operis cap. 55. *Julia Augusta . . . . . . . cum* ( ovum ) *deponendum haberet*; id est *cum esset depositura*. Ceterum & Lucretius *habent* pro *sunt* usurpavit lib. 1. v. 1068.

*Amplexi quod habent perverse prima viai*.

v. 3. *Crura ponticuli asculis stantis* ] Ita legit Vossius, rejecta Scaligeri lectione *adsulitantis*. Contendit autem, *asculis* idem esse atque *assiculis*, vel *axiculis*; quæ vox occurrat sæpius in veteribus Vitruvii codicibus. *Crura pontis* ποιητικῶς appellat Catullus *tigna pontem sustinentia*, quæ proprio nomine vocantur *sublicæ*, a quibus pontes lignei *sublicii* dicti.

ibid. *Irredivivus* ] Jampridem viri docti animadverterunt, *rediviva* Ciceroni Oratione 3. in C. Verrem esse materiam diruti ædificii, qua utimur ad opus novum faciendum. *Rediviva*, ait Tullius, *sibi habeto: quasi quicquam redivivi ex illo opere tolleretur, ac non totum opus ex redivivis constitueretur*. & rursus ibidem: *Utrum existimatis, minus operis esse unam columnam efficere ab integro novam, nullo lapide redivivo, an quatuor illas reponere? Irredivivus* igitur *pons* apud Catullum est qui cum semel ceciderit, jam instaurari, reparari, & rursus excitari non potest. Consueverunt autem poetæ hujusmodi ἤθη aliis etiam rebus inanimis attribuere. Juvenalis Sat. 6. v. 362.

*Ac velut exhausta redivivus pullulet arca*
*Nummus* - - - -

v. 5. *Ex tua libidine* ] Ex animi tui sententia. Velles enim, pontem firmum esse, validisque sublicis innixum, ne a ludentibus & saltantibus facile infringi atque everti posset.

v. 6. *Vel Salii ipsulis* ] Ita legendum conjicit Vossius, explosa lectione *Salisubsuli*, quam Muretus, & fraude Mureti deceptus Scaliger adulterino Pacuvii versiculo stabilitum iverant. *Ipsulæ* porro, sive *ipsules*, ut docemur a Pompejo Festo, *erant lamellæ necessariæ sacris, quæ ad rem divinam conferre dicebantur maxime, specie virorum & mulierum*. Has autem Salii sacerdotes Martis, in ponte sublicio saltantes, una cum ancilibus gestare solebant. quem ritum egregie idem Vossius illustrat, Zozimi, & Joannis Laurentii Lydi testimoniis allatis.

v. 7. *Munus maximi risus* ] Id est spectaculum scenico simile, vel amphitheatrali, ut acute simul & vere animadvertit Achilles Statius. Hujusmodi enim spectacula, quod a prætoribus, ab ædilibus curulibus, vel ab aliis illustribus & locupletibus viris exhiberi populo solerent, *munera* vocabantur: erant autem quasi escæ quædam hamum occultantes, quibus potentiores tenujorum studia captabant, & sibi conciliabant. Hinc *spectare munus*. Ovidius Artis Amatoriæ lib. 1. v. 169.

*Saucius ingemuit, telumque volatile sensit*,
*Et pars spectati muneris ipse fuit*.

Martialis lib. 4. Epigrammate 2.

*Spectabat modo solus inter omnes*
*Nigris munus Horatius lacernis*.

Io-

Quemdam municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum per caputque, pedesque:
Verum totius ut lacus putidæque paludis
Lividissima, maximeque est profunda vorago.
Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in ulna.
Quoi quum sit viridissimo nupta flore puella,

Et

Loco muneris dabantur myrmillones, retiarii, bestiarum venationes, in primis gladiatorum paria. Seneca libro de Providentia cap. 4. *Ego myrmillonem sub C. Cæsare de raritate munerum audivi querentem. Quam bella, inquit, ætas periit!* Lactantius Firmianus lib. 6. Divin. Institut. cap. 20. *Venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributa sunt.* De gladiatoribus pulchre Seneca modo laudatus, Epistola 93. *Numquid feliciorem judicas eum qui summo die muneris, quam eum qui medio occiditur?* A munere dicti *munerarii*, qui suis impensis hosce ludos exhibebant. Ea voce utitur Seneca pater initio Præfationis libri 4. Excerpt. Controvers. Vide, si lubet, Tertullianum de Spectaculis cap. 12. Lege item Suetonii Cæsares, nec non Lampridium, Spartianum, Capitolinum, & reliquos Historiæ Augustæ scriptores, apud quos de muneribus frequens mentio.

v. 9. *Per caputque, pedesque*] Simile Homeri χῦμα Iliados lib. 5. v. 585.

- - - - - - ἔκπεσε δίφρου
Κύμβαχος ἐν κονίῃσιν ἐπὶ βρεχμόν τε καὶ ὤμους.

- - - - - - *excidit curru*
*Pronus in pulverem in sinciputque & humeros.*

*Ab equo per caput devolutus* legitur in Epitome lib. 22. Histor. T. Livii.

v. 10. *Totius ut lacus*] *Ut* pro *ubi*. Vide supra Carmen 11. v. 3.

v. 13. *Bimuli*] Duos annos nati; qui ob infantiam, rationis est expers, neque sibi ullo modo consulere potest. Catullum vero interdum nomina adjectiva ὑποκορίζεσθαι loco substantivorum, docuimus ad Carmen 2. v. 12.

ibid. *Tremula patris dormientis in ulna*] Miro lepore comparat Catullus hominem stolidum, & mente captum infanti puero, ne vigilanti quidem, at dormienti. *Patris ulnam tremulam* dixit, vel quod patrem senectute confectum significare velit: nam & bis aliquando contingit nasci filios: vel potius leni brachiorum succussu efficientem, ut puer citius & jucundius consopiatur. Hujus moris meminit Plato lib. 7. de Legibus. ἡνίκα γὰρ, inquit, ἄν που βουληθῶσι κατακοιμίζειν τὰ δυσυπνοῦντα τῶν παιδίων αἱ μητέρες, οὐχ ἡσυχίαν αὐτοῖς προσφέρουσιν, ἀλλὰ τοὐναντίον κίνησιν, ἐν ταῖς ἀγκάλαις ἀεὶ σείουσαι. i. e. *Quum enim volunt matres in somnum inducere puerum ad somnum tardiorem, non quietem quidem adhibent, sed plane contrarium. nam in ulnis gestant infantem, & continuo agitant.*

v. 14. *Viridissimo flore puella*] Jam viripotens, ut loquuntur Jurisconsulti, & nuptiis primum idonea. *Florem* pro adolescentia non raro usurpant boni scriptores, quam Cicero *ætatis florem* dicere amat, Græci ἀκμὴν. Ovidius lib. 7. Metamorph. v. 215.

*Nunc opus est succis, per quos renovata senectus*
*In florem redeat.* - - - -

Idem

Et puella tenellulo delicatior hœdo,
Aſſervanda nigerrimis diligentius uvis;
Ludere hanc ſinit, ut lubet, nec pili facit uni,

Nec

Idem lib. 2. Artis Amatoriæ v. 665. loquens de puella ſeneſcente:

*Præcipue ſi flore caret, meliuſque peractum*
*Tempus, & albentes jam legit illa comas.*

Cui concinit Petronius Arbiter in Satyrico: *Matrona inter primas honeſta, Philumene nomine, quæ multas ſæpe hereditates officio ætatis extorſerat, tum anus, & floris exſtincti*. Plinius quoque Epiſt. 21. lib. 4. *Ita mihi luctuoſum videtur, quod puellas honeſtiſſimas in flore primo fœcunditas abſtulit. Flos primus* idem omnino eſt ac *flos viridiſſimus*. Ceterum, quemadmodum adoleſcentia flos corporis eſt, ita ſenectutem *animi florem* eleganter appellat Seneca Epiſtola 26.

v. 16. *Aſſervanda nigerrimis diligentius uvis* ] Tibullus pariter Elegia 5. lib. 1.

*Hæc mihi ſervabit plenis in lintribus uvas.*

Porro *uvas nigerrimas* a Catullo memoratas, eas eſſe crediderim quas Theocritus Idyllio 1. v. 46. vocat *πυρναίας σταφυλάς*.

*Πυρναίαις σταφυλαῖσι καλὸν βέβριθεν ἀλωά.*
*Maturis uvis pulchre gravatur vinea.*

M. autem Varro lib. 1. de Re Ruſtica cap. 54. tradit, uvam quamdam præcocem, *nigram* appellatam fuiſſe. *Nam & præcox*, inquit, *& miſcella, quam vocant nigram, multo ante coquitur. quæ prior legenda*. Hic Varronis locus multum facit ad Catullum illuſtrandum. Ne quid tamen diſſimulem, exiſtimo, a poeta noſtro hic mentionem fieri de uvis nondum lectis, & adhuc in vinea pendentibus; quæ cum autumno ad maturitatem pervenerunt, cuſtode indigere incipiunt, ne a furibus præcerpantur. æſtivo enim tempore, cum acerbæ ſunt, negligentius haberi ſolent. Ita puellæ rudes amorum, quibus ætatis maturitas abeſt, non ita ſervantur a parentibus, ut grandiores illæ, quarum *in cor Veneris dulcedinis gutta ſtillavit*, ut Lucretii verbis utar. Etenim auctore Ariſtotele lib. 6. Hiſtoriæ Animalium cap. 1. virgines domi continendæ ſunt, atque accuratius cuſtodiendæ, cum earum mammæ primum ſororiantur, & *καταμήνια* erumpunt, & vox fit aſpera & inæqualis. Ea vero ætate potiſſimum, apud Græcos puellæ zonam ſumebant, ne a corruptoribus vitiarentur. *Nigerrimæ* igitur *uvæ* ſunt, quas ad plenam maturitatem ſolis calor perduxit: primo enim virent, deinde liveſcunt, poſtremo nigreſcunt. Horatius quoque Ode 5. lib. 2. comparat puellam jugo nuptiali nondum idoneam uvæ acerbæ, hortaturque amicum, vel ſe ipſum potius (nam id ſatis exploratum non eſt,) ut ejus deſiderium ponat. Flacci verba ſunt:

*- - - - tolle cupidinem*
*Immitis uvæ: jam tibi lividos*
*Diſtinguet autumnus racemos*
*Purpureo varius colore.*

In eamdem ſententiam lege ſis Epigramma 54. lib. 7. Anthologiæ.

v. 17. *Nec pili facit uni* ] Catullus alibi, Carm. 10. *Non faceret pili cohortem*. Petronius Arbiter Satyrico: *Nemo Jovem pili facit*. *Uni* porro dictum *ἀρχαϊκῶς* pro *unius*; quemadmodum Afranius, vetus Togatarum ſcriptor, dixit *toti* pro *totius*, apud Priſcianum lib. 6. Sic *alii modi* pro *aliuſmodi* occurrit ſæpe in Fragmentis veterum Hiſtorico-

I rum,

Nec se sublevat ex sua parte: sed velut alnus
In fossa Liguri jacet subpernata securi,
Tantumdem omnia sentiens, quam si nulla sit usquam;
Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.
Ipse quis sit, utrum sit, an non sit, id quoque nescit.
Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare veternum,
Et supinum animum in gravi derelinquere cœno;
Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

XVIII.

rum. Plautum potissimum secutus videtur Catullus: is enim Sticho Ac. 5. Sc. 4. v. 49. *uni animi sumus.* & Truculento Ac. 2. Sc. 2. v. 37.

*- - - quasi vero corpori reliqueris*
*Tuo potestatem coloris ulli capiendi.*

& eadem Comœdia A. 5. v. 38.

*Qui, malum, bella aut faceta es, quæ ames hominem isti modi?*

v. 18. *Nec se sublevat ex sua parte* ] Quid hoc rei sit, cum lector ipse suspicari satis potest, tum Catullus ipse explicat Carmine ad Januam v. 21.

*Languidior tenera cui pendens sicula beta*
*Numquam se mediam sustulit ad tunicam.*

v. 19. *In fossa Liguri* ] I. e. Ligurii cujusdam; ut recte Vossius.

ibid. *Subpernata securi* ] Festus: *Subpernati dicuntur, quibus femina sunt succisa in modum suillarum pernarum. Ennius: His pernas succidit iniqua superbia Poeni.* Lepide poeta noster transtulit ad arborem quod nonnisi in animalia proprie convenire potest.

v. 20. *Tantumdem omnia sentiens &c.* ] Similis Plauti sententia Aulularia Ac. 2. Sc. 2. v. 54.

*Tu me.... magis haud respicias, gnatus quasi numquam siem.*

v. 21. *Iste meus stupor* ] Hominem insigni stupiditate *stuporem* vocat. Eodem pacto Terentius Eunucho Ac. 4. Sc. 3. v. 3. *scelus* posuit pro adolescente *sceleroso*.

*Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatu 'st virginem,*
*Vestem omnem miseræ discidit - - - -*

Martialis pariter quodam Epigrammate:

*Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.*

v. 22. *Ipse qui sit, utrum sit, an non sit, i. q. n.* ] Plautus Amphitruone Ac. 2. Sc. 2. v. 214.

*Delinitus sum profecto ita, ut me qui sim nesciam.*

*Delinitus* hoc loco significat, consilio & ratione spoliatus, magicarum artium vi. Nam & veneficia dicuntur aliquando *delinimenta*.

v. 23. *Hunc ego volo* ] Janus Meleager contendit legendum e veteri codice: *Hunc eum*, i. e. *hunc hominem talem*, οὕτως ἔχοντα. cui pæne adsentior.

v. 24. *Si pote* ] Si pote sit, si possit.

v. 25. *Supinum animum* ] Negligentem, inertem, otiosum; cujusmodi esse solent qui supini recumbunt, aut in lecto jacent.

v. 26. *Ferream ut soleam* ] Antiqui soleas non tantum pedibus hominum, verum etiam jumentorum inducebant; sed his ferreas. Id quoque sciendum est, inferiorem & aversam calcei partem, *soleam* & *solum* vocatam fuisse.

Plau-

## X V I I I.

Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape,
Qua domus tua Lampsaci est, quaque silva, Priape:
Nam te præcipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, ceteris ostreosior oris.

Plautus Bacchid. Ac. 2. Sc. 3. v. 98. *Qui soccis habeat auro subpactum solum.* Lucretius initio lib. 4.

*Avia Pieridum peragro loca, nullius ante*
*Trita solo - - - - - -*

Argum. Carm. XVIII. ] Lucum Priapo dedicat. Hos quatuor Catulli versus ab interitu vindicavit Terentianus Maurus in libello elegantissimo de Litteris, Syllabis, Pedibus, & Metris. Huc autem eos revocavit doctorum virorum diligentia, quod metro eodem compositi sint quo Carmen superius ad Coloniam, itemque proxime sequens. Tertium porro adjunxerunt, quamquam e jambis puris constet, ob argumenti similitudinem.

v. 1. *Priape* ] Omnino videndus Natalis Comes lib. 5. Mythologiæ cap. 15. ubi Priapi fabulam, sive historiam persequitur. Nam, ut veram historiam potius rear, impellor auctoritate Prudentii, Christianorum poetarum cultissimi. Ejus autem carmina ad hanc rem pertinentia ex libro 1. contra Symmachum non gravabor adscribere:

*Ecce deûm in numero formatus, & aeneus adstat*
*Grajus homo, augustaque Numa præfulget in arte.*
*Strenuus exculti dominus quidam fuit agri,*
*Hortorumque opibus memorabilis: hic tamen idem*
*Scortator nimius, multaque libidine fuetus*
*Rusticolas vexare lupas, interque salicta*
*Et densas sepes, obscœna cubilia inire:*
*Indomitum intendens animum, semperque paratum*
*Ad facinus, numquam calidis dabat otia venis.*
*Hic deus e patrio prænobilis Hellesponto*
*Venit ad usque Italos sacris cum turpibus hortos.*
*Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis*
*Accipit, & ruris servat vineta Sabini;*
*Turpiter adfixo pudeat quem visere ramo.*

Plures etiam Priapos memorat Auctor liberi Carminis illo versiculo Epigr. 33.

*Najadas antiqui, Dryadasque habuere Priapi.*

Fortasse, quod homines mutonis magnitudine, vel ardore libidinis præcellentes, non alio nomine appellari solerent. Notum est illud Sidonii Apollinaris Carm. 9. de Petronio Arbitro:

*Et te Massiliensium per hortos*
*Sacri stipitis, Arbiter, colonum,*
*Hellespontiaco parem Priapo.*

v. 3. *Te colit ora Hellespontia* ] Priapus colebatur in litoribus, quod navigationi & mercaturæ præesse crederetur. Satyro poetæ in Anthologia Epigrammatum lib. 1. cap. 56. audit λιμενορμίτης, & λιμένιος δαίμων. *portuum præfectus, portuum dæmon.* Alia in hanc rem vide eodem capite.

v. 4. *Hellespontia* ] *Hellespontium* pro *Hellespontiaco* usurpavit & Cicero Epistola 53. libri 13. ad Familiares: *Si quid habebit cum aliquo Hellespontio controversia.*

## XIX.

## XIX.

HUnc ego, juvenes, locum, villulamque paluſtrem,
Tectam vimine junceo, caricіſque maniplis,
Quercus arida, ruſtica conformata ſecuri
Nutrio: magis, & magis ut beata quotannis.
Hujus nam domini colunt me, deumque ſalutant
Pauperis tugurî pater, filiuſque coloni:

Al-

ibid. *Ceteris oſtreoſior oris* ] Virgilius Georgicon lib. 1. v. 206. *oſtriferum Abydum* appellavit:

*--quibus in patriam ventoſa per aequora vectis*
*Pontus, & oſtriferi fauces tentantur Abydi.*

Eſt autem Abydos Aſiæ urbs, Leandri patria, contra Seſton ad ipſas Helleſponti fauces a Mileſiis condita. Ennius prior dixerat: *aſpra oſtrea plurima Abydi*. Lucanus vero de Chalcedone, quæ eſt in eodem litorum tractu, ita lib. 9. v. 959. *oſtriferam dirimat Chalcedona curſu*. Sed & *Cyzicon*, quæ eſt in Propontide, *oſtreoſam* vocavit ſcriptor carminis Ityphallici Epigrammate 77.

*Ennaea Cererem nurus frequentant,*
*Raptam Cyzicos oſtreoſa divam.*

Sane oſtrea Cyzicena laudatiſſima, & ab antiquis helluonibus maximo in pretio habita. Hæc debemus Hieronymo Columnæ ad Fragmenta Ennii, qui & plura cupienti ſuppeditabit.

Argum. Carm. XIX. ] Inducitur Priapus hortorum deus fures admonens ut ab horto ſibi commiſſo manus abſtineant.

v. 2. *Tectam vimine junceo* ] Quod videlicet villula ſita eſſet in loco paluſtri: junci enim paludes amant. Ut vero Catullus *vimen junceum*, eodem pacto *vimen junci* Tibullus dixit Elegia 3. lib. 2.

*Tunc fiſcella levi detexta eſt vimine junci,*
*Raraque per nexus eſt via facta ſero.*

ibid. *Cariciſque maniplis* ] Carex herba duriſſima eſt, de qua Virgilius Georgicon lib. 3. v. 231.

*Frondibus hirſutis & carice paſtus acuta.*

v. 3. *Quercus arida* ] Ego nimirum Priapus de querno ſtipite. Horatius pariter Satyra 8. lib. 1. v. 46. Priapum ita loquentem inducit:

*Nam diſploſa ſonat quantum veſica, pepedi*
*Diffiſſa nate ficus - - - - - -*

i. e. ego Priapus ficulnus.

ibid. *Ruſtica conformata ſecuri* ] Hujus dei ſimulacrum non admodum affabre, neque a perito ſtatuario ſculpebatur, ſed temere, indoctis villici manibus. Priapus ipſe de ſe in Luſibus Epigrammate 9.

*Non me Praxiteles, Scopaſve fecit:*
*Nec ſum Phidiaca manu politus:*
*Sed lignum rude villicus dolavit,*
*Et dixit mihi, Tu Priapus eſto.*

Rurſus Epigrammate 63.

*Huc adde, quod me terribilem deum fuſte*
*Manus ſine arte ruſtica dolaverunt.*

v. 4. *Ut beata quotannis* ] Subaudi *fieret, evaderet*.

v. 6. *Pauperis tugurî pater* ] Virgilius, a Catullo, ut videtur, Ecloga 1. v. 69.

*Pauperis & tugurî congeſtum caſpite culmen.*

v. 11.

Alter assidua colens diligentia, ut herba
Dumosa, asperaque a meo sit remota sacello:
Alter parva ferens manu semper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu', & tenera virens spica mollis arista:
Luteæ violæ mihi, luteumque papaver,
Pallentesque cucurbitæ, & suaveolentia mala,
Uva pampinea rubens educata sub umbra.
Sanguine hanc etiam mihi ( sed tacebitis ) aram

Bar-

v. 11. *Tenera virens spica mollis arista* ] Eodem epitheto usus Maro lib. 7. Æneid. v. 808.

*Illa vel intactæ segetis per summa volaret*
*Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.*

v. 12. *Luteum papaver* ] Grana papaveris lutea sunt, folia vero sanguinea.

v. 14. *Uva pampinea educata sub umbra* ] Tibullus Elegia 1. lib. 1.

*Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,*
*Libatum agricolæ ponitur ante deo.*

v. 15. *Sed tacebitis* ] Cur Priapus vetet, hujusmodi sacrificia, & hircorum cædes in vulgus proferri, non adeo compertum est. Eorum sententia minus placet qui cum Livinejo existimârunt, majoribus tantum diis hostias mactare licitum fuisse apud veteres: non item pusillis & ruricolis. quis enim vel mediocriter doctus ignorat, Priapum asini sanguine, publice placari solitum? Nonne Polyænus ille Petronianus hircum, arietem, & porcellum lactentem Priapo vovet, ut sibi nervos restituat? En tibi versus:

*Non sine honore tuum patiar decus: ibit ad aras,*
*Sancte, tuas hircus, pecoris pater ibit ad aras*
*Corniger, & querulæ fœtus suis, hostia lactens.*

Igitur, si verum invenire volumus, alio nobis confugiendum est. Nocturno plurimum tempore sacris Priapi operabatur antiquitas: eoque meretriculæ profligati pudoris, & feminis viri molliores confluebant; ubi nullus flagitiis modus, & obscœnissima pervigilia. Audi Carmen liberum Epigram. 34.

*Cum sacrum fieret deo salaci,*
*Conducta est pretio puella parvo,*
*Communis satis omnibus futura.*

Quapropter consciis tam turpium sacrorum nihil magis commendabatur quam silentium. Huc pertinent Quartillæ meretricis obtestationes apud Arbitrum: *Major in præcordiis dolor sævit, qui me usque ad necessitatem mortis deducit, ne scilicet juvenili impulsi licentia, quod in sacello Priapi vidistis, vulgetis, deorumque consilia proferatis in populum. Protendo igitur ad genua vestra supinas manus, petoque, & oro, ne nocturnas religiones jocum risumque faciatis: neve traducere velitis tot annorum secreta, quæ mystæ vix omnes noverunt.* Hinc facile colligere potes, mi lector, Priapum taceri velle polluta hæc sacrificia, quæ magistratus & severos homines ad iracundiam & vindictam provocâssent. His porro similia sunt quæ narrat Livius de Bacchanalibus lib. 39. ab U. C.

Le-

Barbatus linit hirculus, cornipesve capella.
Pro queis omnia honoribus hæc necesse Priapo
Præstare, & domini hortulum vineamque tueri.
Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas.
Vicinus prope dives est, negligensque Priapus.
Inde sumite. semita hæc deinde vos feret ipsa.

## X X.

EGo hæc ego arte fabricata rustica,
Ego arida, o viator, ecce populus
Agellulum hunc sinistra, tute quem vides,
He-

Legendus & Minutius Felix in Octavio, ubi de calumnia ab Ethnicis in Christianorum cœtus conficta. Ceterum Priapus, deus minime superciliosus, quælibet flagitia in sacello suo impune patrari sinebat, hominesque hesternæ noctis concubitu impuros ad se comiter invitabat. Testis ipse in obscœnis Lusibus Epigrammate 13.

*Huc, huc, quisquis es, in dei salacis*
*Diverti grave ne puta sacellum:*
*Et si nocte fuit puella tecum,*
*Hac te quod metuas adire non est.*
*Istuc cælitibus datur severis.*
*Nos vappæ sumus, & pusilla culti*
*Ruris numina - - - - -*

Neque sacellis rusticis Nympharum major fuit honos habitus. Virgilius Ecloga 3. v. 8.

*Novimus & qui te, transversa tuentibus hirquis,*
*Et quo (sed faciles Nymphæ risere) sacello.*

Immo, quod ultimæ impietatis & impudentiæ fuit, qui se ad patienda muliebria inclinabant, manibus interdum altaria prendebant. Virgilius in Catalectis:

*Non te movere lumbos in crocotula*
*Prensis videbo altaribus.*

De nefandis Priapi mysteriis vide Lactantium Firmianum Divin. Institut. lib. 1. cap. 21. Idem lib. 5. cap. 19. *Hinc fida silentia sacris instituta sunt ab hominibus callidis, ut nesciat populus quid colat.*

v. 16. *Cornipesve capella* ] Cujus ungula duritiem corneam imitatur.

v. 17. *Pro queis omnia honoribus hæc necesse P. P.* ] Vetus Epigramma ad Priapum:

*Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor,*
*Assiduus custos ruris ut esse velis.*

v. 20. *Dives est, negligensque* ] Ita fere loquitur Sallustius in Catilina cap. 54. verbis M. Porcii Catonis de Romana republica: *Opulentia negligentiam tolerabat.*

v. 21. *Inde sumite* ] Eodem pacto Tibullus Elegia 1. lib. 1.

*At vos exiguo pecori furesque, lupique,*
*Parcite: de magno est præda petenda grege.*

ibid. *Semita vos feret ipsa.* ] Propertius Elegia 23. lib. 2. E. B.

*Appia cur toties te via ducit anum?*

Argum. Carm. XX. ] Idem Priapus rapaci viatori mulctam indicit.

v. 3. *Sinistra* ] Aut legendum cum
Jo-

Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malaſque furis arceo manus.
Mihi corolla picta vere ponitur,
Mihi rubens ariſta ſole fervido,
Mihi virente dulcis uva pampino,
Mihique glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata paſcuis
In urbem adulta lacte portat ubera:
Meiſque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dexteram:

Te-

Joſepho Scaligero ad Attin Catulli: *ſiniſter ante quem vides*; nimirum, *qui tibi dexter eſt*, *& cui tu ſiniſter*: vel *ſiniſtra* rectus eſt caſus, & [illegible] populi, ſeu ſtatuæ Priapi populnæ. Nam ſi ablativum dicamus eſſe, ac ſubaudiendum *parte*, carmen, quod e puris jambis conſtare debet, corrumpetur, & numeri peſſime laborabunt.

v. 5. *Tuor* ] Aſpicio, & aſpiciens cuſtodio. Hinc nobis Italis verbum *guardare*, & cernere, & cuſtodire vel ſervare ſignificat. *Tuor* autem pro *tueor*, *ἀρχαϊκῶς*. Lucretius lib. 1. v. 301. *Nec calidos æſtus tuimur*. i. e. calor aeris æſtivus ex earum rerum eſt numero quæ ſub oculorum ſenſum cadere non poſſunt.

v. 7. *Rubens ariſta* ] Flava, matura, ſole torrida. Virgilius 1. Georgicon v. 233.

*Quinque tenent cælum zonæ: quarum una coruſco*
*Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni.*

v. 9. *Duro oliva frigore* ] Quod ſcilicet hieme legantur olivæ, & oleum exprimatur. Maro Georgicon lib. 2. v. 519.

*Venit hiems; teritur Sicyonia bacca trapetis.*

Sunt autem trapetes molæ lapideæ, quibus olivam terunt. Ceterum de his munuſculis, quæ ſingulis anni tempeſtatibus hortorum cuſtodi apponebantur, lepide admodum fit mentio Epigram. 86. Priapejorum; cujus lectori noſtro copiam facimus:

*Vere roſa, autumno pomis, æſtate frequentor*
*Spicis: una mihi eſt horrida peſtis hiems.*
*Nam frigus metuo, & vereor ne ligneus ignem*
*Hic deus ignaris præbeat agricolis.*

v. 11. *Adulta lacte ubera* ] Salluſtius Catil. cap. 15. *timens privignum adultum ætate*. Sed hic *ubera lacte adulta*, ſunt ea quæ ob lactis copiam creverunt.

v. 13. *Gravem domum r. ære dexteram* ] Paſtor ille apud Virgilium Ecloga 1. v. 36.

*Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.*

Plautus Pſeudolo Ac. 3. Sc. 1. v. 19.

*Si quiſpiam det, quî manus gravior fiet,*
*Quamquam illud ajunt magno gemitu fieri,*
*Comprimere dentes videor poſſe aliquo modo.*

i. e. ſi aliquis inventus fuerit qui pecuniam mihi det, unde manus mea onuſta fiat, patiar me turpiter ſubigi-

tari

Tenerque matre mugiente vaccula
Deum profundit ante templa sanguinem.
Proin, viator, hunc deum vereberis,
Manumque sorsum habebis: hoc tibi expedit.
Parata namque crux, sine arte mentula.
Velim pol, inquis: at pol ecce villicus
Venit, valente quoi revulsa brachio
Fit ista mentula apta clava dexteræ.

## X X I.

Aureli, pater esuritionum,

Non

tari, & dolorem aliqua ratione perferam. Ita recte hunc Plauti locum interpretatur Gronovius pater adversus ineptias Gruteri, qui *manum* accipiebat pro ea corporis parte qua viri sumus.

v. 14. *Tener vaccula* ] Hæc lectio proba est; neque audiendus Vossius, cui placet *tenera*: male enim jambis anapæsti mutantur. M. Antonius Muretus, & Caspar Scioppius docent, veteribus nomina quæ er syllaba finiuntur, maximam partem communia fuisse.

v. 17. *Sorsum habebis* ] Seorsum habebis, abstinebis, ne quid auferas ex agello mihi commisso: furtum enim magno supplicio luendum est.

v. 18. *Parata namque crux* ] Olim servi furaces in cruce suffigebantur, si dominos iracundiores nacti fuissent: sed plerumque cædebantur flagellis. Vide Horatium Sat. 3. lib. 1. v. 80. & Epist. 16. lib. 1. v. 46. Ut se igitur severum probet Priapus, rapaci viatori minatur crucem, & quidem *acutam*; de qua Seneca in Consolat. ad Marciam cap. 20. *Video istic cruces, nec unius generis, sed aliter ab aliis fabricatas. Alii capite converso in terram suspendêre, alii per obscœna stipitem egerunt*. Idem Epistola 101. hos Mæcenatis versiculos affert:

*Vita dum superest, bene est.*
*Hanc mihi, vel acuta*
*Si sedeam cruce, sustine.*

Epistola vero 14. *Cogita*, inquit, *adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem. Per medium hominem*, i. e. *per pudenda, per podicem*. Vide, si lubet, Epigramma 76. in obscœnis Lusibus. Ceterum hæc ratio facinorosos occidendi apud immanem Turcarum populum etiamnum viget. Nos Itali dicimus *impalare*. Perperam igitur in editione Vossii hoc loco pro *crux* legitur *trux*.

v. 19. *Velim pol, inquis* ] Hominem impudicum inducit, qui supplicio quod minatur Priapus, delectari se dicat. Sic Auctor liberi Carminis Epigram. 51.

*Nimirum apertam convolatis ad pœnam;*
*Et vos hoc ipsum quod minamur, invitat.*

& rursus Epigrammate 64.

*Quidam mollior anseris medulla*
*Furatum venit huc amore pœnæ.*

Argum. Carm. XXI. ] Cum Aurelio familiari suo, in paupertate lasciviente, familiariter jocatur, ut so-

Non harum modo, ſed quot aut fuerunt,
Aut ſunt, aut aliis erunt in annis:
Pædicare cupis meos amores,
Nec clam: nam ſimul es, jocaris una,
Hæres ad latus, omnia experiris.
Fruſtra. nam inſidias mihi inſtruentem
Tangam te prius irrumatione.

At-

ſolet; expoſtulatque de inſidiis quibus ille poetæ puerum appetebat.

v. 1. *Pater eſuritionum* ] Optime animadvertit M. Antonius Muretus, quemadmodum qui ſæpius convivabantur, & lauta opſonia amicis apponebant, *cœnæ patres* vocari ſolerent, ita pauperem Aurelium a Catullo urbane admodum *patrem eſuritionum* ſalutari, qui nihil præter famem convivis apponere poſſet. Contra, paraſitus ille Plautinus in Sticho Ac. 1. Sc. 3.

*Famem fuiſſe ſuſpicor matrem mihi,*
*Nam poſtquam natus ſum, ſatur numquam fui.*

v. 5. *Simul es* ] Una cibum ſumis, ut explicat Voſſius. *es* pro *edis*. quæ tamen explicatio minus arridet. *Simul eſſe* eſt Græcorum *συνεῖναι*, quod ſignificat cum aliquo verſari, conſuetudine alicui conjunctum eſſe. Juvenalis Sat. 5. v. 15. utramque ſignificationem huic verbo tribuere videtur:

- - - - - - *ergo duos poſt*
*Si libuit menſes neglectum adhibere clientem,*
*Tertia ne vacuo ceſſaret culcita lecto,*
*Una ſimus, ait* - - - - -

Loquitur de divite pauperem ad cœnam invitante. Porro *συνεῖναι*, & *συνουσία* ad res Veneris ſignificandas non raro a Græcis adhibentur, quod interdum Latini ſunt imitati. legas enim apud Auctorem Carm. in Priapum Epigr. 13.

*Et ſi nocte fuit puella tecum.*

v. 6. *Omnia experiris* ] Nihil prætermittis quod ad cupiditatem tuam explendam conducere poſſit. Cicero ad Atticum Epiſt. 3. lib. 1. *Quod ad me ſæpe ſcripſiſti de noſtro amico placando, feci, & expertus ſum omnia.* Idem Epiſt. 23. lib. 7. *Itaque omnia experiar.* Lentulus Senatui Populoque Romano Epiſt. 15. lib. 12. inter Ciceronianas: *Hujus rei timore, P. C. percitus, injurias perpeti, & cum contumelia etiam noſtra omnia prius experiri malui.* Salluſtius Belli Catilin. cap. 27. *Conſtituit bellum facere, & extrema omnia experiri.* Hanc loquendi formam ita mutavit Virgilius Æneidos 4. v. 415.

*Ne quid inexpertum fruſtra moritura relinquat.*

Horatius vero ſic in Arte Poet. v. 285.

*Nil intentatum noſtri liquere poetæ.*

Hoc Italis eſt *far di tutto, provarle tutte.*

v. 8. *Tangam te prius i.* ] Verbum *tangere* ad libidines ſignificandas Latinis auctoribus maxime uſitatum eſt. Pauca e plurimis afferre ſatis fuerit. Ovidius lib. 3. Metamorph. v. 353. de Narciſſo:

*Multi illum juvenes, multæ optavere puellæ.*
*Sed (fuit in tenera tam dura ſuperbia forma)*
*Nulli illum juvenes, nulla tetigere puellæ.*

Horatius Sat. 2. lib. 1. v. 54. *Matronam nullam ego tango.* *Attingere*, interdum idem ſignificat. Tibullus Elegia 7. lib. 1.

Atqui ſi id faceres ſatur, tacerem.
Nunc ipſum id doleo, quod eſurire
Ah meus puer, & ſitire diſcet.
Quare deſine, dum licet pudico:
Ne finem facias , ſed irrumatus.

## XXII.

SUFFENUS iſte, Vare, quem probe noſti,
Ho-

*Parcite, quam cuſtodit Amor, violare puellam,*
*Ne pigeat magno poſt didiciſse malo.*
*Attigeris, labentur opes* - - - - - -

Hinc *intactus* pro pudico apud Propertium Elegia ultima lib. 2.

*Felix intactum Corydon qui tentat Alexin*
*Agricola domini carpere delicias.*

v. 9. *Si id faceres ſatur, tacerem* ] Libido enim turpior eſt in eſuriente quam in ſaturo: nulla enim probabili excuſatione uti poteſt qui neque jejunus malis cupiditatibus modum imponit.

v. 10. *Eſurire Ah meus puer, & ſitire diſcet* ] Hic locus interpretes male torſit. Ego lectionem quam exhibui, cum intellectu facillimam, tum dolori convenientem eſſe cenſeo. neque veteres libri adverſantur, in quorum nonnullis *Ah*, & *meus* manifeſte apparent. Facete autem Catullus ait, ſe dolere, quod puer ſuus apud Aurelium, quaſi Spartano inſtituto, in famis ac ſitis tolerantia exerceatur. *Lycurgi enim leges*, ut Cicero teſtatur Tuſcul. Quæſt. lib. 2. *laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, eſuriendo, ſitiendo, algendo, æſtuando.* Jocus poetæ noſtri ab ea Romanorum conſuetudine petitus videtur qua convivatores non ſolum *cœnæ patres*, verum etiam *magiſtros* dicebant. Noſter infra Carm. 27.

*Infer mi calices amariores,*
*Ut lex Poſtumiæ jubet magiſtræ.*

Cicero Epiſt. 16. lib. 9. *Hirtium ego & Dolabellam dicendi diſcipulos habeo, cœnandi magiſtros.* Aurelius contra non cœnandi, ſed eſuriendi & ſitiendi magiſter erat.

v. 12. *Deſine, dum licet pudico* ] Dum tibi deſinere licet, nondum amiſſa oris pudicitia. Eodem pacto locutus T. Livius lib. 7. ab U. C. quamquam in re longe diverſa: *Nec diu licuit quietis conſilia erigendæ ex tam gravi caſu reipublicæ ſecum agitare.*

v. 13. *Ne finem facias* ] Subaudi *tandem.*

Argum. Carm. XXII. ] Mali poetæ Suffeni, mire ſibi placentis in ſcribendo carmine, ridiculam *φιλαυτίαν* deſcribit.

v. 1. *Suffenus* ] Placet ad hunc locum afferre verba Fulvii Urſini ex libro de Familiis Romanorum, ubi de gente Nonia: *Reperitur*, ait, *in antiquis denariis* SEXT. NONIUS SUFFENAS, *qui prætor ludos votivos fecerit. Ac fortaſſe is eſt cujus meminit Catullus illo verſu ad Varum: Suffenas iſte, Vare, quem probe noſti: ita enim legendum eſt; non, ut in vulgatis libris*, SUFFENUS. Quem jure optimo reprehendit Scali-
ger

Homo est venustus, & dicax, & urbanus,

Idem-

ger his verbis: SUFFENAS, *ait quidam hic legendum, sed delirat; quomodo enim constaret versus?* Addo ego, Ursini lectionem omnino labefactari eo versu qui sequitur infra: *Quem non in aliqua re videre Suffenum Possis*. Nam si primo versu poeta scripsisset *Suffenas*, ut somniabat Ursinus, certe quarto casu non *Suffenum*, at *Suffenatem* posuisset: quod ἀκλίτως ratio aperte postulabat.

v. 2. *Venustus, & dicax, & urbanus*] *Venustus* homo Latinis est quem Itali appellamus *grazioso, avvenente, gentile, garbato, leggiadro*. *Dicax*, qui salsa in quemlibet dicteria jactat; nobis *motteggevole*. Porro, ut id obiter moneamus, adjectiva nomina in *ax* desinentia vim significant ejus facultatis qua quis excellit maxime: veluti *ferax, mendax, procax, pertinax, fallax*, & centena id genus. Ovidius Artis Amatoriæ lib. 1. v. 423.

*Institor ad dominam veniet distinctus emacem.*

videlicet ad puellam ornandi studiosam, quæ nullum avaritiæ modum finit; quæ ut amatoris loculos argento emungat, novam quotidie caussam emendi secum excogitat. Cicero Paradoxo ultimo: *Non esse emacem, vectigal est*. Cato de Re Rustica cap. 2. *Patrem familias vendacem, & non emacem esse oportet*. i. e. qui libentius vendat quam emat. Sed illustrior est Nasonis locus lib. 2. Fastorum v. 623. ubi Charistia sacra describit:

*Innocui veniant. procul hinc, procul impius esto*
*Frater, & in partus mater acerba suos.*
*Cui pater est vivax, qui matris digerit annos.*

Longe absit, inquit, ab hujusmodi sacris in honorem pietatis institutis, cui senectus patris molesta est; qui eum ultra debitum tempus vitam obstinate trahere, conqueritur. Horatius pariter Satyra 1. lib. 2. v. 53.

*- - Sceva vivacem crede nepoti*
*Matrem, nil faciet sceleris pia dextera. mirum.*
*Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos:*
*Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.*

Verum a diverticulo in viam. De dicacitate vide quæ disputat L. Cæsar apud M. Tullium lib. 2. de Oratore. *Urbanus* denique is est qui hujusmodi salibus & jocis utitur, quibus non rure, sed in urbe natum, vel saltem educatum se probet. Suetonius in Julio cap. 20. *Unus ex eo tempore omnia in republica ad arbitrium administravit: ut nonnulli urbanorum, cum quid per jocum testandi gratia signarent, non Cæsare & Bibulo, sed Julio & Cæsare Coss. actum scriberent, bis eumdem præponentes, nomine atque cognomine*. Ad quem locum Samuel Pitiscus recte docet, hanc *urbani* significationem Ciceronis ætate novam fuisse, idque confirmat testimonio scriptoris ejusdem ex Epistola 3. lib. 8. *Hominem non solum sapientem, verum etiam (ut nunc loquimur) urbanum*. Juvenalis Sat. 9. v. 10. urbanum hominem ita ἀκυράζεται:

*- - conviva joco mordente facetus,*
*Et salibus vehemens intra pomæria natis.*

*Urbano* Latinorum fere respondet is quem Itali dicunt *cortigiano, uomo di corte*.

Ceterum, & scurras, & parasitos, qui bonis dictis hilaritatem amicis, victum sibi quæritabant, *urbanos* appellatos fuisse, jampridem a Mureto docti sumus; quæ appellatio & ante Ciceronis tempora adhiberi cœpit, & post eum permansit. Sane Plautus Mostellaria Ac. 1. Sc. 1. v. 14.

Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata. chartæ regiæ, novi libri,

Novi

*Tu urbanus vero scurra, deliciæ popli,*
*Rus mihi tu objectas?* - - -

Seneca vero cap. 11. libri de Constantia Sapientis: ***Eadem causa est, cur nos mancipiorum nostrorum urbanitas, in dominos contumeliosa, delectet.*** Iidem scurræ, ***venusti***, & ***dicaces*** audiebant. Modo memoratus auctor cap. 17. ejusdem libri: ***Vatinium, hominem natum & ad risum, & ad odium, scurram fuisse venustum, ac dicacem, memoriæ proditum est.*** Porro si quis uberius explicari sibi desiderat, qui sint venusti, qui dicaces, qui urbani, Quinctilianum legere ne gravetur, Institut. Orator. lib. 6. cap. 3.

v. 4. *Puto e. e. i. millia aut decem, aut plura Perscripta* ] Numquam defuerunt leves & nugaces homines qui sibi laudi ducerent plurimos versus, ceterum inconditos & male natos, non cogitate solum, sed etiam ex tempore effundere. Talis erat Crispinus ille de quo Flaccus Sat. 4. lib. 1. v. 13.

- - - - - - - - - - *ecce*
*Crispinus minimo me provocat: Accipe, si vis,*
*Accipe jam tabulas: detur nobis locus, hora,*
*Custodes: videamus uter plus scribere possit.*

In eumdem censum referendus Cassius Etruscus, quem libros poematum pæne innumeros conscripsisse testatur idem Horatius Satyra 10. lib. 1. v. 59.

- - - *ac si quis, pedibus quid claudere senis*
*( Hoc tantum ) contentus, amet scripsisse ducentos*
*Ante cibum versus, totidem cœnatus? Etrusci*
*Quale fuit Cassi rapido ferventius amni Ingenium; capsis quem fama est esse librisque*
*Ambustum propriis* - - - - -

Porro de hac ingenii ubertate in versibus faciendis modeste gloriatur Statius Papinius in Epistola ad librum 1. Silvarum: ***Respondebis illi tu, Stella carissime, qui Epithalamion tuum, quod mihi injunxeras, scis biduo scriptum. Audacter mehercule, sed tamen CCLXXVII. hexametros habet.*** Lege ibidem plura in eamdem sententiam.

v. 5. *In palimpsesto* ] Palimpsestum erat membrana, sive aliud chartæ genus, in qua postquam litteras fecissent, eas delebant, novamque scriptionem rursum instituebant.

v. 6. *Chartæ regiæ* ] Quæ *majores* vocantur in lemmate apposito Epigrammati 10. lib. 14. M. Valerii Martialis: a Græcis autem dictæ sunt *μακρόκολα*. Meminit Cicero Epist. 25. lib. 13. ad Atticum his verbis: ***Sed tamen ego non despero probatum iri Varroni: & id, quoniam impensam fecimus in macrocola, facile patior teneri.*** ad quem locum vide quæ adnotârunt Popma, & Casaubonus. Idem Epistola 3. libri 16. ad eumdem: ***Sed tamen idem σύνταγμα misi ad te retractatius, & quidem ἀρχέτυπον ipsum, crebris locis inculcatum & refertum. hunc tu tralatum in macrocolum lege arcano convivis tuis.*** ubi velim animadvertat lector, ita fere dictum a Cicerone *tralatum in macrocolum*, ut a Catullo hoc Carmine, *in palimpsesto relata*. Fuerunt & chartæ Augustææ, sive Augustæ, de quibus Plinius in Epistolis. Apud nostrates in officinis *χαρτοπρατῶν* venales prostant chartæ insigni specie ac magnitudine, qui-

Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.
Hæc quum legas, tum bellus ille, & urbanus
Suffenus unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tantum abhorret, ac mutat.

quibus ipsi nomen imposuerunt *reali*, *imperiali*, *papali*.

ibid. *Novi libri* ] De varia scribendi ratione apud veteres, valde utilia sunt quæ ex Guidone Pancirollo congessit Matthæus Raderus ad Martialis Epigramma paullo ante memoratum. Quomodo autem libri olim compingerentur, omnium accuratissime qui in eodem argumento versati sunt, explicavit Isaacus Vossius, vir multiplici & recondita eruditione, ad hunc nostri poetæ locum. Mihi, ne actum agere videar, satis est digitum ad fontes intendisse.

v. 7. *Novi umbilici* ] Non Romani solum, sed etiam Græci volumina umbilicis ornabant. Id manifestum vel ex Epigrammate in Heraclitum philosophum, apud Hesychium Illustrium:

*Μὴ ταχὺς Ἡρακλείτου ἐπ' ὄμφαλον εἴλεε βίβλον.*

*Ne properans volve librum Heracliti usque ad umbilicum.*

ibid. *Lora rubra* ] Corrigiæ scilicet rubro colore, majoris elegantiæ caussa, quibus claudebantur & constringebantur libri in cylindri figuram convoluti. Porro totius instrumenti scriptorii mentio fit libro 4. Anthologiæ pluribus Epigrammatis.

v. 8. *Pumice omnia æquata* ] Ne ullus pilus, aut ulla asperitas in membrana relinquatur, quæ moram scriptioni afferat.

v. 10. *Unus caprimulgus* ] I. e. unus de caprimulgis, ut infra Carm. 37. *une de capillatis*: vel quidam caprimulgus. Ita locutus est Q. Ælius Tubero, historicus antiquissimus, qui apud A. Gellium lib. 6. Noct. Attic. cap. 3. narrat, *bello primo Punico Attilium Regulum consulem, in Africa, castris apud Bagradam flumen positis, prælium grande atque acre fecisse adversus unum serpentem in illis locis stabulantem.* quamquam hoc & alia ratione explicari possit. Ita Claudius Quadrigarius lib. 19. Annalium apud eumdem Gellium lib. 15. cap. 5. *Sulla ..... eduxit copias, ut Archelai turrim unam, quam ille interposuit, ligneam incenderet.* Ita Plautus Sticho Ac. 1. Sc. 3. v. 29. *Oratio una interiit hominum pessume.... ..... qua ante utebantur, Veni illo ad cœnam.* Ita Cicero, & sæpius quidem. Nam Oratione pro Q. Roscio Comœdo: *Advocatio ea est, quam propter eximium splendorem, ut judicem unum vereri debeamus.* Idem Philippica 2. *At ego, tamquam mihi cum M. Crasso contentio esset, quocum multa & magna fuerunt, non cum uno gladiatore nequissimo, de republica graviter querens, de homine nihil dixi.* Et libro 1. de Oratore: *Sicut unus paterfamilias his de rebus loquor.* Ovidius pariter Epistola Sapphûs v. 162.

*Constitit ante oculos Naias una meos.*

Denique Suetonius in Julio cap. 32. *Rapta ab uno tuba prosiluit ad flumen.* ubi vide Pitiscum.

ibid. *Aut fossor* ] Opponitur *urbano*: rustici enim homines animo supino & simpliciori esse solent. Iccirco Persius Sat. 5. v. 122.

*- - - - - nec, cum sis cetera fossor,*
*Tres tantum ad numeros Satyri moveare Bathylli.*

v. 11. *Rursus videtur* ] I. e. contra, con-

Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius, videbatur,

Idem

contrario. Cicero lib. 1. de Oratore: *Tum Antonius vehementer se assentire Crasso dixit, quod neque ita amplecteretur artem, ut ii solerent qui omnem vim dicendi in arte ponerent, neque rursum eam totam, sicut plerique facerent, repudiaret.*

ibid. *Tantum abhorret* ] Ita parum videtur idoneus ad scribendum carmen. Cicero lib. 2. de Oratore: *Siu plane abhorrebit, & erit absurdus, ut se contineat, aut ad aliud studium transferat, admonebo.* Vel subaudiendum *a se ipso*. Cum enim Suffenus animum ad poesim appulit, plane diversus est ab illo Suffeno quem omnes bellum & urbanum paullo ante fatebantur.

ibid. *Mutat* ] Pro *mutatur*. A. Gellius lib. 18. Noct. Attic. cap. 12. testatur, *veteribus id habitum esse in oratione facienda elegantiæ genus, ut pro verbis habentibus patiendi figuram, agentia ponerent.* Deinde affert exempla. illud vero in rem nostram præcipuum: *Varro in libris quos ad Marcellum de lingua Latina fecit:* " In priore verbo graves prosodiæ quæ fuerunt, manent. reliquæ mutant. " mutant, *inquit elegantissime, pro* mutantur. *Potest etiam id quoque ab eodem Varrone in VII. Divinarum similiter dictum videri:* " Inter duas filias regum quid mutet, inter Antigonam & Tulliam est animum advertere." Hactenus Gellius. Livius pariter lib. 3. ab U. C. *Inter alia prodigia & carne pluit ....... quod intereidit, sparsum ita jacuisse per aliquot dies ( fertur ) ut nihil odor mutaret.* Idem lib. 39. Hannibalem moriturum loquentem inducens: *Mores quidem P. R. quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit.* Eodem pacto Plautus *demutare* dixit pro *demutari* Milite Glorioso Ac. 4. Sc. 3. v. 37.

*Numquid videtur demutare, atque uti ego*
*Dixi esse vobis dudum hunc mœchum militem?*

Actu vero 2. Sc. 6. v. 100. ejusdem Comœdiæ, *leniunt* pro *leniuntur:*

*Dum hæ consilescunt turbæ, atque iræ leniunt.*

ad quem locum vide Fridericum Taubmannum. Lege etiam, si placet, Josephum Scaligerum ad Carmen Priapejum Tibulli.

v. 12. *Hoc quid putemus esse?* ] Cicero Philippica 2. *Quid putem? contemtúmne me?*

v. 13. *Si quid hac re tritius* ] Hic aqua hæret interpretibus; neque enim consentiunt afferenda caussa, quare Catullus *tritam rem* appellet *scurram*. Ego vero existimaverim, Suffenum a Catullo in suspicionem impudicitiæ non obscure vocari: siquidem verbum *tero* ad extremam nequitiam significandam non raro adhibetur, ut manifestum est ex hoc Propertii versu Elegia 9. lib. 3.

*Et famulos inter femina trita suos.*

nec non ex pluribus Martialis locis. Pueri autem meritorii, quos lauti homines ( honos sit auribus ) turpiter terebant, salibus & σκώμμασι gratiam dominorum in conviviis aucupabantur. Testis Quinctilianus lib. 1. Instit. Orator. cap. 3. ubi pessimam liberorum educationem reprehendit: *Si quid licentius*, inquit, *dixerint, verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis risu & osculo excipimus. Alexandrinas delicias* vocat servos dicaculos & impudentes Ægypti Alexandria Romam advectos. Vide Martialis Epigramma 41. lib. 4. qui alibi vocat *buccam vetuli cinadi loquacem*. His concinere videtur Seneca cap. 11. libri de Constantia Sapientis. *Eadem causa est,*

Idem inficeto eſt inficetior rure
Simul poemata attigit. neque idem umquam
Æque eſt beatus ac poema quum ſcribit.
Tam gaudet in ſe, tamque ſe ipſe miratur.

Ni-

*eſt*, inquit, *cur nos mancipiorum noſtrorum urbanitas, in dominos contumelioſa, delectet: quorum audacia ita demum ſibi in convivas jus facit, ſi cœpit a domino. Ut quiſque contemtiſſimus, & ludibrio eſt, ita ſolutiſſima lingua eſt. Pueros quidem in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & ſub magiſtro habent, qui probra meditate effundant: nec has contumelias vocamus, ſed argutias.*

v. 14. *Inficeto eſt inficetior rure* ] Sermo enim & mores ruſticorum incomti & inepti ſunt. Quinctilianus lib. 4. Inſtitut. Orator. cap. 2. *Cum præſertim lector non fere ſit niſi eruditus: judicem rura plerumque in decurias mittant, de eo pronuntiaturum quod intellexerit.* Ruſticos judices Fabius lectoribus eruditis opponit. Libro autem 6. cap. 3. ubi de riſu, urbanitati opponit ruſticitatem. Facetus porro is eſt qui agit & loquitur quæ ad rem faciunt: *infacetus*, qui nullam decori notitiam habet. Id vel ex Plauto manifeſtum, cujus hæc verba ſunt Aſinariæ Ac. 2. Sc. 2. v. 84.

*Extemplo facio facetum me, atque magnificum virum,*
*Dico me eſſe atrienſem - - - - -*

Italice vertas licet: *fingo d' eſſere un uom di propoſito, un uom di garbo.* Aliquis tamen fortaſſe putet, rus ipſum interdum *facetum* vocari poſſe; fretus videlicet illo Horatii Satyra 10. lib. 1. v. 44.

*- - - - - molle atque facetum*
*Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.*

Sed ibi Flaccus non ipſum rus *facetum* appellat, verum Bucolica & Georgica Maronis laudat, quæ ſtylo *faceto*, i. e. propoſitæ materiæ conveniente, conſcripta ſint.

v. 15. *Simul poemata attigit* ] *Simul*, pro *ſimul ac*. Horatius Ode 12. lib. 1. de Caſtore & Polluce:

*- - - quorum ſimul alba nautis*
*Stella refulſit,*
*Defluit ſaxis agitatus humor.*

*Poeticam ſummatim attingere* dixit Suetonius in Octavio cap. 85.

v. 16. *Æque eſt beatus a. p. q. ſ.* ] Hoc malorum poetarum vitium & ſolatium eleganter notavit ſæpius memoratus Horatius Epiſt. 2. lib. 2. v. 106.

*Ridentur mala qui componunt carmina: verum*
*Gaudent ſcribentes, & ſe venerantur; & ultro,*
*Si taceas, laudant, quicquid ſcripſere, beati.*

Vidit Achilles Statius, ſed memoriæ nimium confiſus, interpolavit. Flacci veſtigia ſecutus eſt Boileavius, poeta Gallus venuſtiſſimus in calce Satyræ 2. his verſibus:

*Un ſot en écrivant fait tout avec plaiſir:*
*Il n' a point en ſes vers l' embarras de choiſir,*
*Et toûjours amoreux de ce qu' il vient d' écrire,*
*Ravi d' etonnement en ſoi-même il s' admire.*

Sed, ut ſapienter monet Cicero lib. 1. de Legibus: *Ipſum bonum non eſt in opinionibus, ſed in natura. nam, ni ita eſſet, beati quoque opinione eſſent: quo quid dici poteſt ſtultius?*

v. 17. *Se ipſe miratur* ] Contra M. Varro doctiſſimus Romanorum, apud M. Tullium Academic. Quæſt. lib. 4. *Nihil ..... magnopere meorum miror.*

v. 19.

Nimirum idem omnes fallimur: neque est quisquam
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus quoique adtributus est error.
Sed non videmus, manticæ quid in tergo est.

## XXIII.

Furi, quoi neque servus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis:
Verum est & pater, & noverca, quorum

Den-

v. 19. *Suffenum* ] I. e. imitatorem Suffeni. Ita dictum est ab Horatio Arte Poetica v. 357.

*-- qui multum cessat, fit Chœrilus ille,*
*Quem bis terve bonum cum risu miror --*

nempe, fit similis Chœrili illius.

v. 21. *Non videmus, mantica q. i. tergo e.* ] Quid hoc rei sit, declarat Phædrus Fabula 9. lib. 4.

*Peras imposuit Juppiter nobis duas.*
*Propriis repletam vitiis post tergum dedit;*
*Alienis ante pectus suspendit gravem.*
*Hac re videre nostra mala non possumus:*
*Alii simul delinquunt, censores sumus.*

Eodem pertinent verba Senecæ lib. 2. de Ira cap. 28. *Aliena vitia in oculis habemus: a tergo nostra sunt.* Vide præterea Terentium Heautont. Act. 3. Sc. 1.

Argum. Carm. XXIII. ] Ut mendicum Furium irrideat, paupertatis commoda εἰρωνικῶς enumerat.

v. 1. *Neque arca* ] Ubi pecuniam condas, aut vestes; quibus rebus omnino cares. *Vestem ex arcula prolatam* memorat Seneca de Tranquillitate Animi cap. 1.

v. 2. *Neque araneus* ] Aranei tamen in domibus tenujorum frequentes sunt: pauperes enim eorum opera dejicere non solent, quod minus munditiæ studeant quam locupletes. Catullo autem propositum est hominem egentissimum describere, qui neque unius aranei sit dominus, utpote cui nullus sit Lar familiaris. Ceterum quemadmodum poeta noster cimicem pro lectulo, araneum pro angusta domo usurpavit, ita Juvenalis Sat. 3. v. 230. lacertam pro exiguo agello:

*Est aliquid quocumque loco, quocumque recessu,*
*Unius se se dominum fecisse lacertæ.*

v. 3. *Est & pater, & noverca* ] Virgilius a Catullo, ut videtur, Ecloga 3. v. 33.

*Est mihi namque domi pater, est injusta noverca.*

Porro hujusmodi parentes cognatosque, ligneos, lapideos, & ob longinquam ætatem succo penitus destitutos, eleganter quidem, sed parum pie, sibi fuisse narrat Franciscus Bernius, vir festivissimus, qui novo jocosi carminis genere Etruscam poesim duobus ab hinc sæculis auxit. Ejus versus adscribere non gravabor, qui Catullianos lepores æmulantur:

*Io ho mia madre, e due zie, e un zio,*
*Che son la fede d' intaglio, e di gitto:*
*Pajon gli dei d' Egitto,*
*Che son degli altri dei suoceri, e nonne:*
*E furo innanzi a Deucalionne.*
*Gli Omeghi, e l' Ipsilonne*

Han

Dentes vel silicem comesse possunt:
Est pulchre tibi cum tuo parente,
Et cum conjuge lignea parentis.
Nec mirum; bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis, nihil timetis,

Non

*Han più proporzion ne' capi loro,*
*E più misura, che non han costoro.*
*I' gli stimo un tesoro,*
*E mosterrogli a chi gli vuol vedere*
*Per anticaglie naturali, e vere.*
*L' altre non sono intere;*
*A qual manca la testa, a qual le mani:*
*Son morte, e pajon state in man de' cani.*
*Questi son vivi, e sani,*
*E dicon, che non voglion mai morire.*
*La Morte chiama, ed ei la lascian dire.*

v. 5. *Est pulchre tibi*] Bene tibi est: jucunde vitam degis. Lucretius lib. 5. v. 172.

*- - - sed quoi nihil accidit ægri*
*Tempore in anteacto quum pulchre degeret ævum,*
*Quid potuit novitatis amorem accendere tali?*

Horatius Satyra 8. lib. 2. v. 18.

*- - - - sed queis cœnantibus una,*
*Fundani, pulchre fuerit tibi, nôste laboro.*

Martialis Epigr. 17. lib. 12.

*Cum sit ei pulchre: cum tam bene vivat apud te,*
*Ad Damam potius vis tua febris eat?*

v. 6. *Et cum conjuge lignea parentis*] Ligneos poetæ vocant non solum homines aridos, macie confectos, vixque ossibus hærentes, verum etiam stupidos, tardos, ad motum duriores, & qui nihil aut parum sentiant. Id colligimus vel ex Epigrammate 85. Ausonii, quod hujusmodi est:

*Daphnen & Nioben saltavit simius idem,*
*Ligneus ut Daphne, saxeus ut Niobe.*

Cui simillimum Palladæ illud lib. 2. Anthologiæ:

Δάφνην καὶ Νιόβην ὠρχήσατο Μέμφις ὁ σιμός,
Ὡς ξύλινος Δάφνην, ὡς λίθινος Νιόβην.

Uterque malum & ineptum saltatorem urbane admodum & argute irridet.

v. 7. *Bene nam valetis omnes*] Insignem Horatii locum e Satyra 2. lib. 2. huc pertinentem, nostri poetæ interpretes jampridem attulerunt:

*Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaque secum*
*Afferat: in primis valeas bene. - -*

Lege reliqua, & pretium operæ feceris; sunt enim cum elegantia, tum utilia & sapientiæ plena. Considerandum tamen quod præcipit Cornelius Celsus capite 1. libri 1. Medicinæ. *Prodest*, inquit, *nullum cibi genus fugere quo populus utatur: interdum in convictu esse, interdum ab eo se retrahere: modo plus justo, modo non amplius assumere: bis die potius, quam semel cibum capere: & semper quamplurimum, dummodo hunc concoquat*. Id autem ab Hippocrate Celsus derivavit, quem plerumque sequitur κατὰ πόδα, & tantum non vertit. Doctissimi enim senis verba sunt Aphorismo 5. Sectionis 1. Διὰ τοῦτο καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι. i. e. *Propterea etiam bene valentibus periculosus est valde tenuis, & status ac exquisitus victus: quoniam errores gravius ferunt.*

v. 8. *Pulchre concoquitis*] Sane cruditate laborare non possunt, quibus vix est quo rabidam orexim pellant.

L v. 9.

Non incendia, non graves ruinas,

Non

v. 9. *Non incendia*] Quæ tamen Romæ, ubi Catullus & Furius plerumque commorabantur, frequentissima erant; teste in primis Juvenale Satyra 3. a versu 197.

*Vivendum est illic ubi nulla incendia, nulli*
*Nocte metus. jam poscit aquam, jam frivola transfert*
*Ucalegon: tabulata tibi jam tertia fumant.*
*Tu nescis. nam si gradibus trepidatur ab imis,*
*Ultimus ardebit quem tegula sola tuetur*
*A pluvia* - - - - - -

Porro divites Romani valde sibi metuebant ab incendiis atque incendiariis. Auctor idem poeta Satyra 14. v. 304.

- - - *Misera est magni custodia census.*
*Dispositis praedives hamis vigilare cohortem*
*Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro*
*Electro, signisque suis, Phrygiaque columna,*
*Atque ebore, & lata testudine. dolia nudi*
*Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet*
*Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit.*

Ad hoc malum arcendum, jussu principum vigiles comparati. Paullus jurisconsultus libro singulari De Officio Præfecti Vigilum: *Fuerant & privatæ familiæ, quæ incendia vel mercede vel gratia exstinguerent; deinde D. Augustus maluit per se huic rei consuli.* Ulpianus vero libro item singulari De eodem Officio: *Pluribus uno die incendiis exortis.* Cujus rei meminit & Seneca Epistola 64. *Intervenerant quidam amici, propter quos major fumus fieret: non hic qui erumpere ex lautorum culinis, & terrere vigiles solet: sed hic modicus, qui hospites venisse significaret.* De fumo culinarum, ut id obiter moneam, explicanda sunt illa Horatii ad Mæcenatem Ode 29. lib. 3.

*Omitte mirari beatæ*
*Fumum & opes strepitumque Romæ.*

Præcipuæ porro caussæ, cur in urbe Roma incendia tam facile propagarentur, & tam difficile exstinguerentur, fuerunt altitudo ædificiorum, & viarum atque angiportuum angustiæ. Seneca Rhetor Controversia 9. *Tanta altitudo ædificiorum est, tantaque viarum angustia; ut neque adversus ignem præsidium, neque ex ruinis ullam in partem effugium sit.* Cornelius Tacitus lib. 15. Annalium cap. 38. ubi de urbe a Nerone incensa: *Impetu pervagatum incendium, plana primum; deinde in edita assurgens, & rursum inferiora populando, anteiit remedia velocitate mali, & obnoxia urbe artis itineribus, hucque & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit.* Sed quibus domus conflagraverant, eas pulchriores excitabant. Iccirco *Timagenes, homo Græcus, felicitati urbis inimicus ajebat, Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret, meliora resurrectura, quam arsissent;* si Senecæ credimus id narranti Epistola 91. Pauperioribus vero, quos ejusmodi calamitatem experiri contigisset, amici supellectilem dono mittebant; immo & divitibus orbis, ii videlicet qui eorum hereditates captabant. Martialis Epigrammate 52. lib. 3.

*Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducenis:*
*Abstulit hanc nimium casus in urbe frequens.*
*Collatum est decies. rogo, non potes ipse videri*
*Incendisse tuam, Tongiliane, domum?*

Et

Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora ficciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis,
Sole, & frigore, & esuritione.

Qua-

Et copiosius Juvenalis Satyra 3. v. 212.

*Si magna Asturici cecidit domus: horrida mater,*
*Pullati proceres, differt vadimonia praetor.*
*Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.*
*Ardet adhuc, & jam accurrit qui marmora donet,*
*Conferat impensas. hic nuda & candida signa,*
*Hic aliquid praeclarum Euphranoris, & Polycleti,*
*Haec Asianorum vetera ornamenta deorum,*
*Hic libros dabit, & forulos, mediamque Minervam:*
*Hic modium argenti. Meliora & plura reponit*
*Persicus orborum lautissimus, & merito jam*
*Suspectus, tamquam ipse suas incenderit aedes.*

v. 9. *Non graves ruinas* ] Quae scilicet non minus quam incendia, cives & incolas Romanos exercebant. Utar saepius memorati Juvenalis testimonio, ex eadem Satyra 3. v. 190.

*Quis timet, aut timuit gelida Praeneste ruinam,*
*Aut positis nemorosa inter juga Volsiniis, aut*
*Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?*
*Nos urbem colimus tenui tibicine fultam*
*Magna parte sui. nam sic labentibus obstat*
*Villicus, & veteris rimae contexit hiatum:*
*Securos pendente jubet dormire ruina.*

Marcus quoque & Lucius Senecae incendia & ruinas conjunxerunt, quemadmodum Catullus; ille Controversia 9. *Aeris ferrique usus in exstruendis & decorandis domibus; nempe ut anxii interdiu & nocte ruinam ignemque metuant, qui tectis injectus est fortuitus.* hic vero Epistola 103. *Quid ista circumspicis, quae tibi possunt fortasse evenire, sed possunt & non evenire? incendium dico, & ruinam.*

v. 10. *Facta impia* ] Puta caedes, & parricidia, cujusmodi non semel committuntur a perditis & sceleftis hominibus ob divitiarum cupiditatem.

v. 11. *Casus alios periculorum* ] I. e. aliorum periculorum. Ita locutus Propertius Elegia 20. lib. 3.

*Librorumque tuos, docte Menandre, sales.*

i. e. librorum tuorum. ad quem Propertii locum plura olim afferemus ex antiquis scriptoribus exempla. Ceterum hosce casus, de quibus Catullus, enumerat etiam Servius ad 4. Aeneidos. *Tribus*, inquit, *humana vita continetur; Natura ....... Fato ........ Fortuna, idest casu, qui ad omnia pertinet quae extrinsecus sunt, ad ruinam, incendia, naufragia, venena.*

v. 14. *Sole, & frigore* ] Virgilius lib. 9. Aeneid. v. 603. de antiqua Latinorum gente:

*- - - - - natos ad flumina primum*
*Deferimus, saevoque gelu duramus & undis.*

Papinius Statius lib. 2. Achilleidos v. 393.

*- - - durataque multo*
*Sole, geluque cutis - - -*

L 2 ibid.

Quare non tibi sit bene, ac beate?
A te sudor abest, abest saliva,
Muccusque, & mala pituita nasi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior salillo est,
Nec toto decies cacas in anno:
Atque id durius est faba, & lapillis;
Quod tu si manibus teras, fricesque,
Non umquam digitum inquinare possis.

Hæc

ibid. *Et esuritione* ] Venuste admodum scriptor sanctissimus Jeremias cap. ultimo τῶν θρήνων: Τὸ δέρμα ἡμῶν ὡς κλίβανος ἐπελιώθη, συνεσπάσθησαν ἀπὸ προσώπου καταιγίδων λιμοῦ. quæ ita ex Hebræis fontibus Latine reddidit vulgatus interpres: *Pellis nostra, quasi clibanus, exusta est a facie tempestatum famis*.

v. 16. *A te sudor abest* ] Cicero Tuscul. Quæst. lib. 5. modici victus utilitates enumerans, eadem fere ait quæ Catullus: *Adde siccitatem, quæ consequitur hanc continentiam in victu: adde integritatem valetudinis. Confer sudantes, ructantes, refertos epulis, tamquam opimos boves: tum intelliges, qui voluptatem maxime sequantur, eos minime consequi, jucunditatemque victus esse in desiderio, non in satietate*. Quamobrem puella illa uvis passis aridior, quam describit Auctor liberi carminis Epigram. 32. ita omni succo carebat, ut *nemo* testari posset, *eam exspuentem se vidisse*. Voraces contra homines, ac ventri dediti, omnigenis excrementis abundant. Ceterum, Persæ olim Cyri disciplina instituti, eam in victu parsimoniam servabant, ut iccirco nulla esset in terris natio quæ cum ipsis munditia certare posset. Testem produco Xenophontem lib. 1. Κύρου παιδείας, cujus hæc verba sunt: Αἰσχρὸν μὲν γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἐστι Πέρσαις καὶ τὸ ἀποπτύειν καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι, καὶ τὸ φύσης μεστοὺς φαίνεσθαι· αἰσχρὸν δὲ ἔτι καὶ τὸ ἰόντα που, φανερὸν γενέσθαι ἢ τοῦ οὐρῆσαι ἕνεκα, ἢ καὶ ἄλλου τινὸς τοιούτου. ταῦτα δὲ οὐκ ἂν ἐδύναντο ποιεῖν εἰ μὴ καὶ διαίτῃ μετρίᾳ ἐχρῶντο, καὶ τὸ ὑγρὸν ἐκπονοῦντες ἀνήλισκον. ὥστε ἄλλῃ πῃ ἀποχωρεῖν. i. e. *Nam nunc quoque turpe est apud Persas & spuere, & emungi, & flatus videri plenos. Turpe item ducitur, si quis appareat quoquam ire aut mejendi, aut cujusquam hujusmodi rei gratia. Quæ quidem facere nullo pacto possent, nisi & victu modico uterentur, & humiditatem per laborem consumerent. quo fit, ut ea alio quopiam secedant*. Idem lib. 8. ejusdem Operis: ἐμελέτησε δὲ καὶ ὡς μὴ δὲ πτύοντες, μὴ δὲ ἀπομυττόμενοι φανεροὶ ὦσι. *Præterea eos exercuit, ut neque spuentes, neque muccum purgantes deprehendi possent*. Hanc Persarum institutionem in mente habuit Joannes Casa, cum ita scriberet in Galateo: *Io ho più volte udito, che si sono trovate delle nazioni così sobrie, che non isputavano giammai*.

v. 19. *Purior salillo* ] Veteres, nescio qua superstitione imbuti, salinum ex argento accurate custodiebant, dabantque operam ut convivis in mensa appositum, præ reliqua supellectili splenderet; idque saltem liberi a parentibus hereditate accipiebant. Horat. Od. 16. l. 2.

*Vivitur parvo bene, cui paternum*
*Splendet in mensa tenui salinum*.

v. 26.

Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli ſpernere, nec putare parvi:
Et ſeſtertia, quæ ſoles precari
Centum deſine: nam ſat es beatus.

## XXIV.

O Qui floſculus es Juventiorum,
Non horum modo, ſed quot aut fuerunt,
Aut poſthac aliis erunt in annis:
Mallem divitias mihi dediſſes

Iſti,

v. 26. *Seſtertia centum* ] Quam pecuniæ ſummam hoc noſtro tempore, duo millia, & quingenti nummi Philippei argentei fere æquaverint. Tunc autem loco magni muneris habebantur. Salluſtius in Catilina cap. 31. *Si quis indicaviſset de conjuratione qua contra rempublicam facta erat, præmium ſervo libertatem & ſeſtertia centum.*

ibid. *Precari* ] Scilicet voto tibi expoſcere a diis immortalibus. Eodem pacto uſurpant Græci τὸ εὔχεσθαι. Epictetus Sententia 92. Α'ρετὴν οὖν πᾶσι μᾶλλον εὐκτέον, ἢ πλοῦτον. *Virtus igitur omnibus optanda potius, quam divitia.* Horatius porro *veneror* dixit, pro *deos precor*, Sat. 6. lib. 2. v. 8.

*Si veneror ſtultus nihil horum : O ſi angulus ille*
*Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!*

v. 27. *Nam ſat es beatus.* ] Horatius Ode 18. lib. 2.

*- - - nec potentem amicum*
*Largiora flagito,*
*Satis beatus unicis Sabinis.*

ARGUM. CARM. XXIV. ] Expoſtulat cum Juventio puero, quod poeta poſthabito, a quodam egentiſſimo ( fortaſſe Furio ) cum flagitio & dedecore ſe amari ſineret. V. Carm. 80.

v. 1. *Juventiorum* ] Juventiam gentem plebejam fuiſſe conſtat, e municipio Tuſculo; ſed Romæ poſtea, quo commigraverat, magiſtratus curules adeptam, & hac ratione nobilitatam. Ex ea fuerunt plures viri clariſſimi. Audi Ciceronem pro Cn. Plancio: *Tu es ex municipio antiquiſſimo Tuſculano, ex quo plurimæ familiæ ſunt conſulares, in quibus eſt etiam Juventia, quot e reliquis municipiis omnibus non ſunt.* Et pro A. Cluentio: *Qualis vir M. Juventius Pedo fuit, ex vetere illa judicum diſciplina?* Ab eodem Cicerone in Bruto reliquis oratoribus annumeratnr T. Juventius, qui juris etiam diſciplinam calluit. Pomponius autem lib. 2. de Origine Juris commemorat quemdam C. Juventium juriſconſultum, Q. Mutii P. filii auditorem.

v. 4. *Divitias mihi dediſses Iſti* ] Hanc lectionem præferunt veteres codices, teſtibus Achille Statio, & Joſepho Scaligero. Male igitur alii legunt: *Mallem delicias mihi dediſses, Quam iſti.* nam, ut de audacia mntandi nihil dicam, ſententiam efficiunt valde frigidam. τὸ *mihi* hoc loco παρέλκει, jamdiu eſt cum animadverterunt viri docti. Virgilius quoque ita locutus Georgicon 1. v. 45.

*De-*

Isti, quoi neque servus est, neque arca:
Quam sic te sineres ab illo amari.
Qui? non est homo bellus? inquies. est:
Sed bello huic neque servus est, neque arca.

Hæc

*Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro*
*Ingemere* - - -

Vossius porro contendit, a nullo umquam dictum esse μοὶ αὐτῷ: propterea in locum τῦ *mihi* substituit *Midæ*; quæ tamen lectio nescio quomodo non placet. Non enim Catullus ait, se malle Juventium Furio, seu quisquis fuit ejus amator, Persarum gazam, aut Midæ thesauros dedisse, quam sic se sineret ab illo amari; sed potius modicam pecuniæ summam, quæ tamen in hominem pauperrimum collata, ei loco divitiarum futura erat. Notum illud Lucretii e libro 5. v. 1117.

*Divitiæ grandes homini sunt vivere parte,*
*Æquo animo: neque enim est umquam penuria parvi.*

Adde, quod antiqui scriptores mercedulam, vel stipem, κατ' αὔξησιν, *divitias* interdum vocant. Propertius lib. 3. Elegia 22. ubi de tabellis amissis:

*Quas si quis mihi retulerit, donabitur auro.*
*Quis pro divitiis ligna retenta velit?*

En, μήνυτρον, seu præmium indicii, divitias appellat. Ludovicus Areostus eadem figura usus cantu 43. Rolandi Furentis:

*E disse al cane ch' una marca d' oro*
*A quella donna in cortesia donasse,*
*Scosse si il cane, e vedesi 'l tesoro.*

v. 5. *Neque servus est, neque arca* ] Hunc hominem Furium fuisse, e versu primo Carminis superioris facile colligi potest.

v. 6. *Te sineres amari* ] Ovidius Epistola Sapphûs v. 96.

*Non ut ames, oro, verum ut amare sinas.*

v. 8. *Bello huic neque s. est, neque arca* ] Non habet scilicet quo pretium persolvat τῷ ἐρωμένῳ. Pueri autem pathici, ingenui quamlibet ac nobiles, munus ab amatoribus exigebant. Qua de re Cicero Philippica 2. his verbis acerbissime: *Sumsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti: primo vulgare scortum: certa flagitii merces, nec ea parva: sed cito Curio intervenit, qui te a meretricio quæstu abduxit*, &c. Tibullus item Elegia 10. lib. 1.

*Jam tener assuevit munera velle puer.*

Id ipsum attigit Aristophanes in Pluto Ac. 1. Sc. 2. postquam locutus fuisset de mulierculárum cupiditate:

*Καὶ τούς γε παῖδας φασὶ ταυτὸ τοῦτο δρᾷν,*
*Οὐ τῶν ἐραστῶν, ἀλλὰ τ' ἀργυρίου χάριν.*
*Hoc ipsum ajunt facere pueros tenellulos,*
*Non propter amatores, sed quæstus gratia.*

Equos vero præcipue donabant adolescentulis quos diligerent. Testatur id Sallustius Belli Catilin. cap. 14. *Uti cujusque studium ex ætate flagrabat, aliis scorta præbere, aliis canes atque equos mercari: postremo neque sumtui, neque modestiæ suæ parcere, dum illos obnoxios, fidosque faceret. Scio fuisse nonnullos qui ita existimarent; juventutem quæ domum Catilinæ frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse.* Petronius Arbiter in Satyrico: *Pro hac felicitate eras puero Asturconem Macedonicum optimum donabo, cum hac tamen exceptione, si ille non senserit.* Est autem Asturco equus tolutarius, quem Italice dicimus *ginetto*, Achilles Tatius de amoribus Clitophontis & Leucippes lib. 1. μειρακίῳ δὲ ὁ ἔρως ἦν (τῷ Κλεινίᾳ)· ὥστε δὲ εἶχεν φιλοτιμίας πρὸς αὐτὸ, ὥστε καὶ ἵππον πριάμενος, ἐπεὶ θεασάμενον τὸ μειράκιον ἐπῄνεσεν, δε-

δὶς

Hæc tu quam lubet abjice, elevaque:
Nec servum tamen ille habet, neque arcam.

## XXV.

CINÆDE Thalle, mollior cuniculi capillo,

Vel

θὺς ἐχαρίσατο, φέρων αὐτῷ καὶ ἵππον. i. e. *Is* (Clinias) *adolescentuli amore tenebatur: tantaque adversus illum liberalitate usus fuerat, ut eum equum emisset, visumque adolescens laudasset, eum illistatim sit elargitus*. Nemo nescit, primam illam ætatem, equorum & equitandi studiosam esse; quod & Horatius notavit in Arte Poetica v. 161.

*Imberbis juvenis, tandem custode remoto,*
*Gaudet equis canibusque, & aprici gramine campi.*

In campo enim Martio exercebantur adolescentes Romani. Tibullus quoque Elegia 4. lib. 1. ubi de flagitiosis puerorum amoribus:

*Hic placet, angustis quod equum compescit habenis.*

v. 9. *Hæc tu quamlibet abjice, elevaque* ] I. e. quamvis te divitum dona contemnere dictites, & simul monita mea, turpe tamen est te ingenuum adolescentulum egentissimi hominis contubernio obsolescere, cum ab honestioribus gratiam inire possis. *Elevare* hic est verbis extenuare; quod Græci dicunt λόγῳ κουφίζειν. Alias ἀπλῶς est imminuere. Livius lib. 3. Histor. *Miror, inquit*, ( L. Quintius Consul ) *si vana vestra, Patres Conscripti, ad plebem auctoritas est? vos elevatis eam*. nimirum *ei pondus detrahitis*.

ARGUM. CARM. XXV. ] Thallo furunculo flagella minatur, ni surreptum pallium, & quædam alia sibi remittat.

v. 1. *Thalle* ] Nomen hoc, quod virentem ætatem significat, pulchre convenit in adolescentulum. θαλλὸς enim Græcis ramus est, sive surculus, proprie oleagineus: quem Itali dicimus *pollone, marza, germoglio*. Ita *Phyllis* nomen puellæ, apud poetas frequens, ἀπὸ τῶν φύλλων, a foliis arborum originem ducit: *Chloe*, ἀπὸ τῆς χλόης, ab herba; unde & *Chloris*: χλωρὸς enim *viridis*.

ibid. *Mollior cuniculi capillo* ] Quamquam pili capitis proprie vocentur *capilli*, hæc tamen vox & ad aliarum humani corporis partium pilos, & ad pecudum villos significandos nonnunquam transfertur. Auctor Carminis in Priapum Epigram. 45. lanuginem τῶν αἰδοίων *capillos* appellare non dubitat. Cœlius autem Symposius Ænigmate 35. ita capram αἰνιγματίζεται:

*Alma Jovis nutrix, longo vestita capillo.*

Macrobius vero Saturnaliorum lib. 5. cap. 11. *Si ovium lacte*, inquit, *hædi, aut caprarum agni forsitan alantur, constat ferme in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem*. Horatius aculeos echini marini *capillos* appellare videtur Epodo 5. v. 27.

*Horret capillis ut marinus asperis Echinus.*

Sed vetus quidam poeta apud Ciceronem lib. 3. de Nat. Deorum, longius translationem provexit:

*Agnum inter pecudes aurea clarum coma*
*Quondam Thyestem clepere ausum esse e regia.*

Id videtur factum Græcorum imitatione: Græci enim non solum capillos, ve-

Vel anſeris medullula, vel imula oricilla,
Vel pene languido ſenis, ſituque araneoſo:
Idemque Thalle, turbida rapacior procella,

Quum

verum etiam pilos, villos, & ſætas communi vocabulo θρίχας nominant. Omiſſis innumeris, qui afferri poterant, unum produco teſtem Marcellum Sidetam in fragmento de Piſcibus:

*Οὐκ ἐᾷ ὄρνυσθαι θαμινὰς θρίχας ἐν βλεφάροισι.*

*Non permittit creſcere denſiores in ſupereiliis capillos.*

A voce autem Græca θρὶξ videtur derivata vox Italica *treccia*, quæ eſt capillorum quaſi faſciculus.

v. 2. *Anſeris medullula* ] Recte Voſſius monuit, Catullum hic loqui non de medulla quæ oſſibus continentur, verum de interiore ac tenujore pluma, quæ molliſſima in anſere eſt. Hanc Martialis Epigram. 161 lib. 14. *interiorem lanam* in cycno vocat:

*Laſſus Amyclea poteris requieſcere pluma,*
*Interior cycni quam tibi lana dedit.*

ibid. *Imula oricilla* ] *Oricilla* eſt auricula: *imula oricilla* eſt infima pars auriculæ, teneritate ac mollitie præſtans. Hæc Ariſtoteli cap. 11. lib. 1. Hiſtoriæ Animalium dicitur λοβός. ὠτὸς δὲ μέρος, ait, τὸ μὲν ἀνώνυμον· τὸ δὲ λοβός. *Auris pars alia* ( nempe ſuperior ) *caret nomine: aliam* ( puta inferiorem ) *lobum vocant*.

v. 3. *Pene languido ſenis* ] Catullus, quod valde dolendum eſt, amat verborum obſcœnitatem, gaudetque comparationibus e trivio petitis. At quid homini facias? ita tum erant tempora: nos gemmas Latinæ locutionis vel e ſententiarum fimo colligamus.

ibid. *Situque araneoſo* ] Voſſius explicat, *pene araneoſo ob ſitum*, nempe ob longam Veneris deſuetudinem. Sed videtur Catullus telas ipſas aranearum ſignificare, quibus eleganter comparat gracilem admodum ac tenerrimum adoleſcentem. Eodem pacto Tibullus Carmine ad Priapum:

*Araneoſus obſidet fores ſitus.*

v. 4. *Idemque Thalle* ] Ovidius lib. 13. Metamorph. v. 789. ubi Polyphemum inducit probra & contumelias Galateæ, quam prius miris laudibus extulerat, ingerentem, hoc ſchemate Catulliano uſus eſt: quamquam ſuo more laſciviat, neque ſciat manum tollere de tabula:

*Candidior nivei folio, Galatea, liguſtri,*
*Floridior pratis, longa procerior alno,*
*Splendidior vitro, tenero laſcivior hædo.*

& paulo poſt:

*Sævior indomitis, eadem Galatea, juvencis,*
*Durior annoſa quercu, fallacior undis &c.*

Neque abſtinuit ſummus Catulli amicus, Cornelius Nepos in Alcibiade cap. 1. cujus hæc ſunt verba: *Cum tempus poſceret, laborioſus, patiens, liberalis, ſplendidus non minus in vita quam victu, affabilis, blandus, temporibus callidiſſime inſerviens. Idem ſimul ac ſe remiſerat, nec cauſa ſuberat quare animi laborem perferret, luxurioſus, diſſolutus, libidinoſus, intemperans reperiebatur.*

ibid. *Rapacior procella* ] Quemadmodum poeta noſter furacem puerum procellæ comparat mare converrenti, ita Parmeno ille Terentianus, famulus hero haud paullo ſapientior, Eunuchi Ac. 1. Se. 1. v. 34. Thaidem meretricem avaram & ſumtuoſam, *calamitatem* feſtive appellat:

*Sed ecca ipſa egreditur, noſtri fundi calamitas:*
*Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.*

Ca-

Quum de via mulier alites ostendit oscitantes:
Remitte pallium mihi meum, quod involasti,

Su-

Calamitas autem, ut nemo ignorat Latine doctus, proprie est procella, & grando, quæ segetum calamos confringit; unde nomen accepit.

v. 5. *De via mulier* ] Ita corruptissimum locum restituit Josephus Scaliger; cujus lectioni acquiesco, dum alius meliorem proferat. *Avei* enim *elivias*, & *Maleam* eruditissimo Vossio puto relinquendas. *De via mulier*, ait Scaliger, est ἡ τυχοῦσα, *mulier qualibet*: ut *puer e triviis* apud Tibullum Elegia 3. lib. 1. est ὁ τυχὼν, *puer quilibet*, in quem forte incideris. Mulieres autem signa tempestatis imminentis magna cum admiratione atque pavore cum ipsæ notare solent, tum aliis ostendere.

ibid. *Alites oscitantes* ] Fulicas, laros, aliasque marinas aves hianti ore clangorem edentes, futuramque tempestatem præsagientes.

v. 6. *Pallium, quod involâsti* ] Quatuor fuisse olim genera palliorum, e veterum monumentis facile admodum colligi potest. Primum, idque præcipuum, fuit quo Græci utebantur, quemadmodum Romani toga: eo scilicet tunicam, & reliqua omnia vestimenta operientes. De hoc legendus Tertullianus in opere singulari quod inscripsit *De Pallio*. Nefas autem erat, Romanum civem palliatum, vel peregrinum togatum in publicum prodire: nisi forte Romanorum aliquis philosophiam profiteri cœpisset: videntur enim philosophi jure quodam suo pallium sibi vindicâsse. Alterum in vestibus matronalibus numerabatur, eratque pallæ non dissimile, teste Nonio Marcello. Ovidius ad puellam cursum equorum spectantem, Amorum lib. 3. Elegia 2.

*Sed nimium demissa jacent tibi pallia terra.*
*Collige: vel digitis en ego tollo meis.*

Tertium stragula vestis lecto cooperiendo. Propertius Elegia 3. lib. 4.

*Tum queror, in toto non sidere pallia lecto.*

Ovidius Amorum lib. 1. Elegia 2.

*Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur*
*Strata, neque in lecto pallia nostra sedent?*

Hos tamen Ovidii versus ita explicat Samuel Pitiscus ad Suetonii Octavium cap. 75. *Veteres, quo de die amiciebantur, illud supra lectum de nocte sternebant*. Nescio quam recte. Ultimum fuit sudarii genus, quo mulieres, virique mulierum similes, vel infirma valetudine, caput obnubebant adversus aeris injurias. Ovidius Artis Amat. lib. 1. v. 733.

*Ægrum te facito simules: nec turpe putâris*
*Palliolum nitidis imposuisse comis.*

Martialis Epigrammate 33. lib. 9.

*Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur.*

Existimaveram adolescens, pallium quod sibi conqueritur Catullus a Thallo surreptum, sudarium fuisse, quod scilicet *vola manus* facile comprehendi posset: si quidem a *vola* dictum *involare*; ut Grammatici docent. Nunc autem plura me de hac sententia deducunt. Primum enim sudarii mentio fit versu sequenti: oportet igitur, pallium de quo Catullus, rem diversam a sudario fuisse. Adde quod aliud proprie pallium, aliud palliolum. Deinde verisimile est, a Thallo furtum commissum in balneo: fures autem balnearii compilare solebant eos



qui

Sudariumque Sætabum, catagraphosque Thynos,

Ine-

qui lavabant, illorum vestimentis abreptis. Vide infra Carmen 33. Postremo neque illud obstat, non fuisse licitum Catullo pallio uti, quod Græcus non esset: potuit enim domi vel in balneis vestem hujusmodi adhibere. Nam & Romani aliquaodo, Græcorum consuetudine corrupti, pallia sumebaot, iisque amicti cœnabant. quæ propterea etiam ξιχίδωτα vocabantur. Vide Juvenalem Sat. 3. v. 67. Ceterum, quod poeta noster Carm. 32. de se ait:

*- - - - - satur supinus*
*Pertundo tunicamque palliumque,*

id de stragula veste commode intelligi potest. Porro cinædis & meretricibus solenne, ut ita dicam, vitium est rapacitas. Lege, si vacat, quæ narrat Hieronymus Rhodius in Commentariis historiarum, apud Athenæum libro 13. de puero a Sophocle adamato.

v. 7. *Sudariumque Sætabum* ] Vide superius Carmeo 12. v. 14.

ibid. *Catagraphosque Thynos* ] Antonius Partheoius, Palladius Fuscus, & M. Antonius Muretus hoc loco legunt *catagraphonque linon*, quam lectionem se invenisse testantur in antiquis Catulli codicibus: interpretantur vero de linteo variis figuris inscripto. Achilli Statio placet *catagraphosque Thynos*, quod nos excudi curavimus; nempe ut sint homines Thyni, seu Bithyni, εἰκονικῶς acu picti in vestibus, aut peripetasmatis. Plinius enim lib. 35. cap. 8. tradit κατάγραφα esse *obliquas imagines, & varie formatos vultus, respicientes, suspicientesque, & despicientes*. ubi tamen nonnulli codices præferunt κατάγλυφα. Sed Josephus Scaliger censet κατάγραφα esse ὀπισθόγραφα, picturas nimirum textiles, quæ in aversa etiam aulæi parte cernantur: quas Itali vocant *di trapasso*. Alias ὀπισθόγραφοι dicebantur libelli qui & intus & foris litteras continebant; de quibus Juvenalis initio Sat. 1.

*Scriptus & in tergo, nec dum finitus Orestes.*

A quibus omnibus dissentit Claudius Salmasius in Exercitat. Plinianis ad Solinum, qui ex vestigiis priscæ scripturæ mavult legere *chirographosque*, vel *cirographosque Thynos*: ut significentur annuli sculpturæ Bithynicæ, ad signaodum comparati, qui ceræ figuram imprimant: κηρογράφοι enim est id quod ceram pingit, vel signat. Tandem exortus est Isaacus Vossius, qui unice ( aut ego valde fallor ) locum vexatissimum explicavit. docet enim, non solum obliquas imagines a veteribus vocatas fuisse κατάγραφα: verum etiam res variis coloribus distinctas; id quod Athenæi, Hipparchi, & Achillis Tatii in Isagoge ad φαινόμενα testimoniis satis confirmat. Existimat igitur vir doctissimus, καταγράφους hosce Catullianos nihil aliud esse quam pugillares membranaceos, vel buxeos, διθύρους, e quatuor pagellis coostantes, quæ singulæ singulis coloribus pingerentur; qui colores fuerint purpureus, croceus, viridis, coccineus. Addit vero, solam Bithyniam omnia quæ ad eos pugillares conficiendos necessaria essent, abunde suppeditâsse, buxum puta, coccum, minium, rubricam, & ochram. Putat denique, legi posse numero singulari *catagraphonque Thynon*, ita ut subaudiatur *libellum*. Quamquam igitur de meo nihil habeam quod magnorum virorum explicationibus hoc loco adjungam, eas tamen omnes in unum congerere volui, ut studiosis adolescentibus gratum facerem, quibus plerumque tot libros inspiciendi copia non est.

v. 8.

Inepte: quæ palam ſoles habere, tamquam avita.
Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina, & remitte,
Ne laneum latuſculum, nateſque mollicellas
Inviſa turpiter tibi flagella conſcribillent:
Et inſolenter æſtues, velut minuta magno

De-

v. 8. *Quæ palam ſ. habere, tamquam avita* ] Non clam, uti res furtivas; at in propatulo, tamquam ab avis relictas, & hereditatis loco traditas.

v. 9. *Reglutina* ] Furum enim manus quodammodo picatæ, & viſco illitæ.

v. 10. *Laneum latuſculum* ] Quod mollitie lanam imitatur.

v. 11. *Inviſa tibi flagella* ] Ita legit Voſſius, quem ſequor. Pueris enim nihil odioſius quam ſcutica & flagellum. Scaligero placebat *Inluſa*, i. e. a cinædo contemta, & flocci facta, donec nondum expediebantur. Hanc lectionem tueri poſſunt illa ex libero Carmine, Epigrammate 56.

*Derides quoque, fur, & impudicum*
*Oſtendis digitum mihi minanti.*

v. 12. *Conſcribillent* ] Lacerent, exarent, quemadmodum ſcriptores librarii ceram in qua faciebant litteras, graphio ſeu ſtilo ſcindebant. Vide Prudentium Hymno 9. περὶ στεφάνων de ſupplicio Caſſiani martyris. Iccirco ἀπὸ τοῦ γράφειν, nempe *a ſcribendo*, deductum videtur Italicum verbum *graffiare*, quod ſignificat cutem unguibus *conſcribillare*. Ceterum huic poetæ noſtri loco multam lucem affert Plautus Pſeudolo Ac. 1. Sc. 5. v. 131.

*Quaſi in libro quum ſcribuntur calamo*
*littera,*
*Stilis me totum uſque ulmeis conſcribito.*

Idem in Fragmentis: *Corpus tuum virgis ulmeis inſcribam*. Latinis prævivit Homerus Odyſſeæ lib. 22. v. 279. -- ἔγχεϊ μακρῷ Ὦμον ἐπέγραψεν. *lancea longa Humerum inſcripſit*. Non diſſimulabo, Hadrianum Turnebum apud Voſſium, legendum contendere hoc loco: *conſcribilent flagella*, ne verſus in leges metricas peccet.

v. 12. *Inſolenter æſtues* ] I. e. præter modum & morem angaris, nova ſcilicet mala patiens, & quæ te declinaturum ſperaveras. Illud Horatii non diſſimile Ode 5. lib. 1.

- - - - - - *heu quoties fidem,*
*Mutatoſque deos flebit, & aſpera*
*Nigris æquora ventis*
*Emirabitur inſolens!*

ibid. *Minuta navis* ] Curta videlicet, ac tempeſtate quaſſata, ſine antemnis, malo, velis, ac reliquis armamentis. Hujuſmodi navim pulchre deſcribit Franciſcus Petrarcha (*nel Son.* 102.)

*Fra sì contrari venti in frale barca*
*Mi trovo in alto mar ſenza governo,*
*Sì lieve di ſaver, d' error sì carca* &c.

Livius pariter lib. 21. Hiſtor. *minutam* pro *mutilo* uſurpavit: *Tamen conſul alter equeſtri prœlio uno, & vulnere ſuo minutus, trahi rem malebat*. Eodem prope pacto *minorem naſum Corvini* legere eſt apud Juvenalem Satyra 8. v. 4. pro cereo Corvini ſimulacro, cui vetuſtas detraxerat *naſi primoris acumen*, ut cum Lucretio loquar. Si quis tamen *minutam navim* interpretetur *parvam ſcapham*, fortaſſe non erraverit; nam & Propertius Elegia 22. lib. 2. E. B. *turbam minutam* poſuit pro turba parvorum Amorum:

*Obvia neſcio quot pueri mihi turba minuta*
*Venerat* - - - -

ibid. *Magno in mari*. ] I. e. commo-

 to,

Deprensa navis in mari, vesaniente vento.

## XXVI.

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favonî,

Nec

to, procelloso, ait Douza filius; cujus explicationi calculum addo: siquidem tempestate ingruente, mare excrescit, ac seipso quodammodo fit majus.

v. 13. *Deprensa navis in mari* ] Horatius Ode 16. lib. 2.

*Otium divos rogat in patenti*
*Prensus Ægæo* - - -

Vide Richardi Bentleji Adnotationes ad eumdem poetam Ode 14. lib. 1. v. 10. præterea Janum Douzam patrem cap. 6. Præcidan. pro Catullo.

ibid. *Vesaniente vento* ] Furente, bacchante. Idem Horatius Ode 25. lib. 1.

*Thracio bacchante magis sub interlunia*
*vento.*

Eadem translatione usus Virgilius Ecloga 9. v. 43.

- - - *insani feriant sine litora fluctus.*

nempe ingentes, decumani; ut recte ad eum versum Emmenessius.

Argum. Carm. XXVI. ] Jocus ab ambiguo & inexspectato. Interrogaverat Furius Catullum, cui vento ejus villa opposita esset, sive in quam cæli regionem spectaret. Poeta, ut erat festivo ingenio, & ad jocandum parato, respondet, non vento, sed pignori oppositam esse, ob certam pecuniæ summam; de qua dividiæ magnæ Criticis atque interpretibus.

v. 1. *Furi, villula nostra* ] Douza pater cap. ult. Præcidan. pro Catullo legit *vestra*; quod nimirum poeta Furio egestatem objectare sit solitus. Verum Furius pauperior fuit, quam ut ei villam tribuere possimus vel pignori opponendam.

v. 2. *Opposita est* ] *Opponere pignori* dixerat Plautus Pseudolo Ac. 1. Sc. 1. v. 83.

- - - *sed potes nunc mutuam*
*Drachmam dare mihi unam, quam cras*
*reddam tibi?*
PS. *Vix hercle opinor si me opponam*
*pignori.*

Terentius quoque Phormione Ac. 4. Sc. 3. v. 56.

- - - *Ager oppositus est pignori*
*Ob decem minas* - - -

Immo & vulgatus Bibliorum interpres Esdræ lib. 2. cap. 5. v. 3. ita scribit: *Et erant qui dicerent: Agros nostros, & vineas, & domos nostras opponamus, & accipiamus frumentum in fame.* LXX. vertunt διεγγυῶμεν. Græcis enim domus *pignori opposita* est οἰκία ὑπέγγυος: quam etiam vocant ὑποκειμένην, καὶ ὑποκειμένην. Otio & litteris nimium abutar, si divinationes, ineptias, & somnia interpretum ad hunc poetæ nostri locum referre velim. Satis erit lectorem monuisse, Hermolaum Barbarum, virum sua tempestate doctissimum, & πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, in Plinianis Castigationibus (id quod Palladius Fuscus testatur) primum omnium de vera hujus Epigrammatis sententia nonnihil suspicatum fuisse. Ejus enim verba sunt: *Non pretium, aut sumtum id videri: sed æris alieni summam; qua futurum esset ut nominibus dissolvendis villa divenderetur, & quasi licitaturis opponeretur.*

v. 3.

Nec sævi Boreæ, aut Apeliotæ:
Verum ad millia quindecim & ducentos.
O ventum horribilem atque pestilentem!

## XXVII.

MINISTER vetuli puer Falerni,
Inger mi calices amariores,

Ut

v. 3. *Apeliota* ] De hoc vento Plinius Natur. Hist. lib. 2. cap. 47. *Sunt ergo*, inquit, *bini in quatuor cæli partibus: ab Oriente æquinoctiali Subsolanus, ab Oriente brumali Vulturnus: illum Apelioten, hunc Eurum Græci appellant*. &c. Uberius autem A. Gellius cap. 22. lib. 2. Noct. Attic. *Qui ventus igitur*, ait, *ab Oriente verno, id est, æquinoctiali venit, nominatur Eurus, ficto vocabulo, ut isti ἐτυμολογικοὶ ajunt, ἀπὸ τ' ἕω ῥέων. Is alio quoque a Græcis nomine ἀπηλιώτης, a Romanis nauticis Subsolanus cognominatur*. Sunt qui scribere malint ἀφηλιώτης, *Apheliotes*.

ARGUM. CARM. XXVII. ] Cyathos meri vetustioris a ministro poscit.

v. 1. *Minister* ] Qui & pocillator, & pincerna, & puer ad cyathum a Latinis auctoribus dicitur: nec non *servus a potione* in veteribus Inscriptionibus. οἰνοχόον Græci appellant.

v. 2. *Inger* ] I. e. sæpius infer, identidem appone. Scripsit autem Catullus *inger* pro *ingere* κατ' ἀποκοπὴν: quemadmodum veteres dixerunt *biber* pro *bibere*. C. Fannius Annalium lib. 8. apud Sosipatrum Charisium lib. 1. *Domina ejus ubi villam venerat, jubebat biber dari*. Titinius in Prælia apud eumdem: *Date illi biber, iracunda hæc est*. Similis plane ratio imperativorum *dic*, *fac*, *duc*, quæ imminuta sunt ex integris *dice*, *face*, *duce*; quorum exempla supersunt apud Plautum, Terentium, & reliquos poetas. Ita etiam *volup* decurtatum a *volupe*. Plautus in calce Asinariæ:

*Hic senex, si quid, clam uxorem, suo animo fecit volup.*

ut ibi quidem legit Nonius. Item Menæchmis Ac. 4. Sc. 3. v. 3.

*Scin' quid est quod ego ad te venio?*
ER. *Scio: ut tibi ex me sit volup*.

& aliis in locis. Eodem pacto, in pulvinari Solis, qui juxta ædem Quirini colebatur, *vesperug*, pro *vesperugo*, scriptum fuisse, testis est Quinctilianus Instit. Orator. lib. 1. cap. 7. Achilles Statius nihilominus hoc versu Catulli legere mavult *Ingere*, ut sit dactylus pro spondæo.

ibid. *Calices amariores* ] Mero annoso plenos, quod vetustate amaritiem quamdam contraxerit, potoribus non insuavem. Operæ pretium est audire Torquatum Tassum, admirabili doctrina virum, in eo Dialogo quem inscripsit *Patremfamilias*, ita de vini sapore disputantem: *I vini furon da Omero detti dolci, con quella maniera di metafora, colla quale tutte le cose o grate a' sensi, o care all' animo, dolci sono addimandate: sebbene io non negherò, ch' egli il vino alquanto dolcetto non potesse amare, il quale a me ancora suol molto piacere; e questa dolcezza fino a certo termine non è spiacevole nel vino: e le Malvagie, e i Grechi, e le Romanie, delle quali abbiamo fatta menzione, tutte hanno alquanto del dolce; la qual dolcezza si perde colla vecchiaja; onde si legge:*

In-

Ut lex Postumiæ jubet magistræ,
Ebriosa acina ebriosioris.
At vos, quo lubet, hinc abite, lymphæ,
Vini

Inger mi calices amariores;
*non perchè il poeta desiderasse il vino amaro, (che alcuno non è a cui l' amaritudine nel vino non fosse spiacevole) ma perchè il vino vecchio, perdendo la dolcezza, acquista quella forza piena di austerità, ch' egli chiama amaritudine. Onde vorrei, che così intendeste, che da Omero sia chiamato il vin* dolce, *come da Catullo è chiamato* amaro. Ceterum vina ante plures annos condita, *languidiora* vocavit Horatius Ode 21. lib. 3. ad testam:

*Quocumque lectum nomine Massicum*
*Servas, moveri digna bono die:*
*Descende, Corvino jubente,*
*Promere languidiora vina.*

quod nimirum ætate deferbuissent, ac palato minus aspera viderentur. Porro ad quam usque finem Romani vetustatem in vino expeterent, luculente admodum declarat Cicero in Bruto, hisce verbis: *Ut si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis Consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium, aut Anitium Consulem quærat. Atqui ea nota sunt optimæ. credo: sed nimia vetustas nec habet eam quam quærimus, suavitatem, nec est jam sane tolerabilis. Num igitur qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? minime: sed quamdam sequatur ætatem.*

v. 3. *Lex Postumiæ magistræ* ] Mulieris nomen est convivio præfectæ, seu dictatricis, ut vocat Plautus in Persa, quæ scilicet dictabat bibendi modum. Harum legum *συμποσιακῶν* meminit M. Tullius Oratione 7. in C. Verrem: *Iste enim*, ait, *prætor severus, ac diligens, qui populi Romani legibus numquam paruisset, illis diligenter legibus quæ in poculis ponebantur, obtemperabat*. Et Aulus Gellius lib. 15. cap. 2. *Sed enim*, inquit, *Plato, in primo & secundo de Legibus, non, ut ille nebulo opinabatur, ebrietatem istam turpissimam, qua labefacere & imminuere hominum mentes solet, laudavit; sed hanc largiorem paullo jucundioremque vini invitationem, quæ fieret sub quibusdam quasi arbitris & magistris conviviorum sobriis, non improbavit*. Hi porro *magistri* dicti etiam fuerunt reges convivii, modimperatores, domini convivii, strategi, cœnæ patres, parochi, convivatores: Græce vero *συμποσίαρχοι*, seu *βασιλεῖς τῶν συμποσίων, ὀνοματοκλήτορες, ἑστιάτορες, ἑστιάρχαι, οἰνόπται, οἰνοφύλακες*. Vide Athenæum lib. 1. & 10. Fulvium Ursinnm in Appendice ad Petrum Ciacconium de Triclinio, & Hieronymum Mercurialem Artis Gymnasticæ lib. 1. cap. 11.

v. 4. *Ebriosa acina ebriosioris* ] Ita omnino legendum, ex MSS. Codd. non *acino*, ut Statius contendebat: & ita hic locus producitur ab A. Gellio lib. 7. cap. 20. quod olim interpretes monuerunt. Indicat vero Catullus, Postnmiam illam convivii magistram vinolentam adeo fuisse, ut ipsos quoque acinos succo turgentes, ebrietate superaret. Discrimen ebrii & ebriosi accurate notavit Cicero Tuscul. 4. *Inter ebrietatem & ebriositatem interest: aliudque est esse amatorem, aliud amantem.* Quod copiosius explicat Seneca Epistola 83. *Plurimum enim*, ait, *interesse concedes inter ebrium & ebriosum. Potest & qui ebrius est, nunc primum esse, nec habere hoc vitium: & qui ebriosus est, sæpe extra ebrietatem esse.*

v. 5. *Lymphæ, Vini pernicies* ] Contra Propertius Elegia 24. lib. 2. E. B.

*Ab*

Vini pernicies, & ad severos
Migrate. hic merus est Thyonianus.

## XXVIII.

PISONIS comites, cohors inanis,

A-

*Ah pereat quicumque meracas repperit uvas,*
*Corrupitque bonas nectare primus aquas.*

v. 6. *Ad severos Migrate* ] Ad sobrios, & siccos. Tibullus pariter Elegia 6. lib. 3. de Baccho:

*Jam venit iratus nimium nimiumque severis.*
*Qui timet irati numina magna, bibat.*

v. 7. *Thyonianus* ] Unum est e Bacchi nominibus, a Thyone ejus matre, quæ Semele in fabulis plerumque appellatur. Vide antiquum Pindari Scholiasten ad illa Odes 3. Pythiorum v. 176.

Ἀλλὰ λευκωλένῳ γε Ζεὺς πατὴρ
Ἤλυθεν ἐς λέχος ἱμερτὸν Θυώνας.
*Sed albas ulnas habentis Juppiter pater*
*Venit in cubile amabile Thyonæ.*

Qui tamen Scholiastes illud non prætermittit, a nonnullis traditum, Thyonen non Bacchi matrem, sed nutricem fuisse. Ἔνιοι δὲ, inquit, τὴν Θυώνην, ἑτέραν τῆς Σεμέλης φασὶν εἶναι τροφὸν τοῦ Διονύσου· ὥσπερ Πανύασις ἐν τρίτῳ Ἡρακλείας. Καὶ ῥ' ὁ μὲν ἐκ κόλποιο τροφοῦ θόρε ποσσὶ Θυώνης. i. e. *Nonnulli autem, Thyonen, aliam a Semele, ajunt esse nutricem Dionysii: quemadmodum Paniasis in tertio Heraclea: Et ille quidem e sinu nutricis desilit pedibus Thyones.*

ARGUM. CARM. XXVIII. ] Verannii & Fabulli, amicorum suorum, & suam ipsius in sequendis prætoribus fortunam sinistram indignatur.

v. 1. *Pisonis* ] Nimirum Cn. Calpurnii Pisonis (quod recte olim Parthenius animadvertit) adolescentis nobilis, summæ audaciæ, egentis, factiosi, quîcum Catilina & Autronius consilio communicato, paraverant, in Capitolio Kal. Januarii L. Cottam, & L. Torquatum Coss. interficere, teste Sallustio in Catilina cap. 18. *Sed postea Piso* (utor ipsis Sallustii verbis) *in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore missus est, adnitente Crasso: quod eum infestum inimicum Cn. Pompejo cognoverat: neque tamen senatus provinciam invitus dederat: quippe fœdum hominem a republica procul abesse volebat. - - - Sed is Piso, in provinciam, ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens, occisus est.* Parthenii sententiam veritati consentaneam esse, satis indicant illa Catulli ad Verannium Carm. 9.

*Visam te incolumem, audiamque Hiberûm*
*Narrantem loca, facta, nationes.*

item illa e Carm. 12.

*Nam sudaria Satabe ex Hibera*
*Miserunt mihi muneri Fabullus,*
*Et Verannius - - - - - -*

quæ nobis fidem quodammodo facere possunt, Verannium & Fabullum secutos fuisse Pisonem in provinciam Hispaniam.

ibid. *Comites* ] Comites præsidum, proconsulum, prætorum, aliorumque magistratuum provincias regentium fuisse legatos, præfectos, quæstores, scribas, & reliquos qui cum magistratibus in provincias mittebantur, docet Joannes Corasius, jurisconsultus egregius, in titulum Pandectarum de Officio Præsidis, tomo 1. Opp. pag. 382.

ibid.

Aptis sarcinulis, & expeditis,
Veranni optime, tuque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne cum isto
Vappa, frigoraque & famem tulistis?

Ec-

ibid. *Cohors inanis* ] Eorum qui proconsules, præsides, prætores in provincias comitabantur, erant aliqui ex cohorte, aliqui vero quasi ex cohorte. Cicero egregia illa Epist. 1. lib. 1. ad Q. Fratrem: *Atque inter hos, eos quos tibi comites & adjutores negotiorum publicorum dedit ipsa respublica, dumtaxat finibus his præstabis quos ante præscripsi. Quos vero aut ex domesticis convictionibus, aut ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta omnia præstanda nobis sunt.* *Cohortem inanem* appellat Catullus quæ nihil compendii fecerat in provincia. Sed, ut id obiter moneam, comitum paupertas non tam negligentiæ prætoris, quam integritatis & innocentiæ argumentum interdum est.

v. 2. *Aptis sarcinulis, & expeditis* ] *Aptus est is qui convenienter alicui junctus est*, auctore Pompejo Festo. Iccirco irridet Catullus sodales suos, qui ea in Italiam retulerant quæ illorum itineri nullo, aut certe minimo impedimento forent. Eodem plane modo locutus Cicero ad Appium Epistola 2. lib. 3. *Neque ego*, inquit, *ab ullo provinciam accipere* ( possem ) *qui mallet eam mihi quam maxime aptam explicatamque tradere.* & post nonnulla: *si eam quam expeditissimam mihi tradideris.* Antiquis etiam *aptæ res* dicebantnr parvæ, aut paucæ. Horatius Ode 12. libri 1.

*Hunc, & incomtis Curium capillis*
*Utilem bello tulit, & Camillum*
*Sæva paupertas, & avitus apto*
*Cum Lare fundus.*

Livius pariter Histor. lib. 10. *Majori mihi cura est, ut omnes locupletes reducam, quam ut multis rem geram militibus. Profectus apto exercitu, & eo plus fiduciæ ac spei gerente, quod non desiderata multitudo erat, ad oppidum Abarnam . . . . . pergit.* Aliàs *aptum*, est ligatum & vinctum. Cicero in Oratore ad Brutum: *Multo majorem habent apta vim, quam soluta. Sarcinas* Latini dicebant quas Itali dicimus *bagaglie, forzieri, valige.* Notum illud Juvenalis Sat. 6. v. 145.

*Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi.*

Loquitur de libello repudii, quem uxoribus mariti mittere soliti erant, si quando illos conjugii pœnituisset. Indicat autem, mulierem fuisse tenujori dote.

v. 5. *Vappa* ] Degenere ac nihili homine. Ex hujus porro vocis urbana significatione satis liquet, Pisonem non avarum, sed prodigum potius, nepotem, & decoctorem fuisse. Horatius enim, proprietatis verborum maxime retinens, *avaro vappam* opponit Sat. 1. lib. 1. v. 103.

- - - - - - *non ego avarum*
*Cum veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.*

Neque illud omittendum, Pisonibus cognomen fuisse *Frugi*: quamobrem poeta cum ostendere vellet, hominem istum a majorum suorum severitate ac parsimonia plurimum desciviffe, eum *vappam* dixit, vocabulo ad rem egregie accommodato. Quo pertinet illud Ciceronis in fragmento Orationis in L. Pisonem, quod fragmentum servavit nobis Asconius Pædianus. *Quod minimum*, inquit, *specimen in te ingenii?*

in-

Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expenſum? ut mihi, qui meum ſecutus
Prætorem, refero datum lucello.
O Memmi, bene me ac diu ſupinum
Tota iſta trabe lentus irrumaſti:
Sed, quantum video, pari fuiſtis
Caſu. nam nihilo minore verpa
Farti eſtis. pete nobiles amicos.

At-

*Ingenii autem? immo ingenui hominis, ac liberi; qui colore ipſo patriam aſpernaris, oratione genus,* MORIBUS NOMEN.

v. 6. *Ecquidnam in tabulis patet lucelli Expenſum?* ] Ut recte monet Iſaacus Voſſius, priſci Quirites magna cura conficiebant tabulas accepti & expenſi. Quærit igitur Catullus a Veranio & Fabullo, an in pagellis tabularum ſuarum in quibus lucellum ſcribi debuiſſet, pateat, id eſt legatur, expenſum, nempe quod ipſi expendiſſent; quemadmodum ſibi contigerit, qui in tabulis accepti, pro lucro ſcribere coactus fuerit datum, id eſt expenſum a ſe & inſumtum, propterea quod Memmio prætori ſuo, avaro homini, & comitum ſuorum prorſus negligenti, nihil omnino acceptum retulerit. Vetuſtiores noſtri poetæ interpretes veram hujus loci ſententiam non ſunt aſſecuti, quam primus eruit Joſephus Scaliger, optime autem omnium explicavit Joannes Fridericus Gronovius de Pecunia Veteri libro 3. cap. 17.

v. 9. *O Memmi* ] Hinc nonnulli Codd. ordiuntur novum Epigramma. Scaliger porro, quo erat acumine ingenii, recte animadvertit, quæ ſequuntur, non eſſe a ſuperioribus temere disjungenda. Cave tamen, lector, ne hanc poetæ ad Memmium ἀποστροφὴν putes a Catullo in tabulis fuiſſe ſcriptam, quemadmodum falſo exiſtimat Scaliger. Eſt enim tantum exclamatio indignationis plena. Memmius nomen eſt prætoris, quem Catullus in Bithyniam ſecutus fuerat. Vide ſupra Carmen 10.

ibid. *Supinum Tota iſta trabe lentus irrumâſti* ] Verbis obſcœnis urbane utitur Catullus ad rem non obſcœnam ſignificandam. Vide quæ diximus ad illud e Carm. 10. *Præſertim quibus eſſet irrumator Prætor. Irrumâſti me ſupinum:* i. e. floccifeciſti, pro nihilo habuiſti me, contemni atque illudi facile patientem, ſicut ii qui opus illud turpiſſimum patrantibus morigeri ſunt & obſequentes. *tota iſta trabe*; τῷ τοῦ ἀνδρὸς αἰδοίῳ, i. e. ea parte qua viri ſumus, quæ cum arrecta eſt, trabem aut columnam refert. *Lentum* autem vocat hominem qui id quod agit, otioſus agit & commodo ſuo, utque Italorum verbis utar: *a ſuo grandiſſimo agio*. Contra Terentius Eunucho Ac. 4. Sc. 3. v. 3. verbis honeſtis rem obſcœnam adumbravit, ita locutus:

*Quin etiam inſuper ſcelus, poſtquam ludificatu'ſt virginem,*
*Veſtem omnem miſera diſcidit - - - -*

*Ludificari virginem*, eo loco eſt *virginitatem imminuere*, διαπαρθενεύειν.

v. 11. *Sed, quantum video* ] Convertit poeta ſermonem ad amicos.

v. 13. *Farti eſtis* ] Hinc jocum petivit nequam ille Hiſpanus Epigram. 75. lib. 12.

*Pallas glande nates habet Secundus;*

N nem-

At vobis mala multa dii deæque
Dent, opprobria Romuli Remique.

## XXIX.

Quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati,
Niſi impudicus, & vorax, & aleo:
Mamurram habere quod Comata Gallia
Habebat uncti, & ultima Britannia?
Cinæde Romule, hæc videbis, & feres?

Es

nempe *fartas*. Eſt enim *glans*, τὸ τῦ καυλῦ τῦ ἀνδρείυ ἄκρον.

ibid. *Pete nobiles amicos* ] Stomachantis verba. ſubaudiendum vero, *I nunc*. Italice diceres: *Or va, coltiva le amicizie de' grandi*.

v. 14. *At vobis* ] Nimirum, prætores oſcitantes, φίλαυτοι, & in amicos injurioſi.

v. 15. *Opprobria R.* ] Græci dicerent ἐλέγχεα. Heſiodus Theogonia v. 26.

Ποιμένες ἄγραυλοι, κακ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον.

*Paſtores ſub dio manentes, mala opprobria, ventres ſolum*.

ibid. *Romuli Remique* ] Eſt genitivus numeri ſingularis, non rectus numeri multitudinis, ut male cenſebat Scaliger.

Argum. Carm. XXIX. ] Mamurram, præfectum fabrûm C. Julii Cæſaris in Gallia, ( ut e Cornelio Nepote narrat Plinius lib. 36. cap. 6. ) ad immenſas opes evectum, quas luxuria & ſumtibus prodigebat; moxque ipſum Cæſarem probris omnibus & maledictis vexare pergit.

v. 2. *Aleo* ] Hanc lectionem præferunt MSS. Codd. & veteres Editiones; atque ita ſane legendum videtur, non *helluo*. Catullo enim propoſitum eſt, Cæſarem crimine impudicitiæ, edacitatis, & aleæ apud poſteros accuſare. *helluo* autem & *vorax* edacitatem ſolam ſignificant. Porro *aleo* antiqua & proba vox eſt, qua uſum invenio Nævium apud Feſtum: *Audax, ganeo, lurco, aleo*.

v. 3. *Comata Gallia* ] Nemo paullo eruditior ignorat, Galliam omnem tranſalpinam, præter Narbonenſem provinciam, Comatam a Romanis dictam fuiſſe. Cum tamen in ea Celtæ, Belgæ, & Aquitani comprehenderentur, Belgarum præcipue mos erat comam alere; cujus rei teſtis eſt Strabo lib. 4. Geographiæ. σαγηφορῦσι δὲ, inquit, καὶ κομοτροφῦσι. *ſaga ferunt, & comam alunt*.

v. 4. *Uncti* ] Ita legit Voſſius, cui aſſentior. Alii *unctum*, eadem ſententia, ſed non eadem elegantia. *Unctum* Catullo eſt pingue, opiparum, ſumtuoſum, locuples. vide infra verſu 23.

ibid. *Ultima Britannia* ] *A* in voce *ultima* producitur, quamquam ſit caſus rectus; ob ſequentem poſitionem *B R*. Qua de re plura dicemus ad verſum 26. Elegiæ 5. lib. 1. Tibulli:

*Pro ſegete ſpicas, pro grege ferre dapem*.

v. 5. *Cinæde Romule* ] Juli Cæſar, qui clavum reipublicæ moderaris, neque tamen pudori aut pudicitiæ tuæ parcis. *Romuli* vocabantur κατ' ἐξοχὴν,

viri

Es impudicus, & vorax, & aleo.
Et ille nunc superbus, & superfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Ut albulus columbus, aut Adoneus?

Ci-

viri fortes atque sapientes, qui aliquam egregiam operam patriæ navâssent. Livius lib. 5. cap. 49. de M. Furio Camillo: *Romulus, ac parens patriæ conditorque alter urbis appellatur*. Suetonius in Augusto cap. 7. *Quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem urbis*. Nec non Florus de eodem Octaviano Cæsare cap. ultimo lib. 4. *Tractatum etiam in senatu, an, quia condidisset imperium, Romulus vocaretur*. Vel fortasse Catullus Romulum ipsum, primum Romanorum regem, in deorum numerum relatum, aut Romanum unumquemque alloquitur. Ceterum interpretes nonnulli perperam docent, poetam hoc Epigrammate soli Mamurræ, non etiam Cæsari convicium facere.

ibid. *Hæc videbis, & feres?* ] Similis indignatio Juvenalis Sat. 13. v. 113.

*- - - - - - - - audis,*
*Juppiter, hæc, nec labra moves, cum mittere vocem*
*Debueras, vel marmoreus, vel aheneus? -*

v. 6. *Es impudicus* ] Minus recte Vossius hunc versum ὀβελίζει.

v. 7. *Superfluens* ] Quid hoc rei sit, explicat Douza pater cap. ult. Præcidan. pro Catullo. Huc pertinent illa scriptoris Lusuum in Priapum Epigr. 33.

*- - - - adeo mea plena libido,*
*Ut Nymphas omnes interiisse putem.*

*plenam libidinem* appellat *superfluentem*, quæ sustineri diutius & coerceri nullo pacto potest. Nisi malimus intelligere hominem nimiis divitiis abundantem, qui eas propterea prodigat & ludibrio habeat. Huc pertinent illa Sallustii in Catilina cap. 21. *Etenim quis mortalium cui virile ingenium inest, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in exstruendo mari, & montibus coæquandis?* Hoc Sallustii loco *superare* significat *superfluere*.

v. 8. *Perambulabit omnium cubilia* ] Πατήσει, conculcabit. *Omnium limina perambulare* dixit Seneca de Brevitate Vitæ cap. 14. *Isti qui per officia discursant, qui se aliosque inquietant, cum bene insanierint, cum omnium limina quotidie perambulaverint*, &c.

v. 9. *Ut albulus columbus* ] Παροιμιώδης locutio, qua utebantur in homines arrogantes, & omnia sibi licere existimantes. Juvenalis pariter Sat. 13. v. 140.

*Ten', o delicias! extra communia censes*
*Ponendum, quia tu gallinæ filius albæ,*
*Nos viles pulli nati infelicibus ovis?*

Neque abit Persius Sat. 3. v. 16.

*- - - aut cur non potius teneroque columbo,*
*Et similis regum pueris, pappare minutum*
*Poscis? - - -*

Quemadmodum vero *columbum albulum* appellat Catullus, ita cujusdam generis *cochleas* antiqui *albulas* dicebant. Testis Varro Rei Rusticæ lib. 3. cap. 14. *Genera cochlearum sunt plura: ut minuta albula, quæ afferuntur e Reatino*, &c. De hisce adjectivis diminutis vide, si placet, quæ superius animadvertimus ad Carmen 2. v. 12.

ibid. *Adoneus* ] Pro *Adonis*; eodem pacto quo *Achilleus* pro *Achilles*, *Ulixeus* pro *Ulixes*, & alia hujusmodi apud poetas. Plautus Menæchmis Ac. 1. Sc. 2. v. 34.

*Dic mihi, num qua tu vidisti tabulam pictam in pariete,*

 *Ubi*

Cinæde Romule, hæc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & aleo.
Eóne nomine, imperator unice,
Fuisti in ultima occidentis insula:
Ut ista vostra diffututa mentula
Ducenties comesset, aut trecenties?
Quid est alid? sinistra liberalitas

Pa-

*Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?*

*Adoneus* porro Bacchi nomen erat apud Arabas, nisi nos fallit Ausonius Epigrammate 29. & Archias lib. 1. Anthologiæ cap. 38. Sed hoc jampridem monuerunt viri docti.

v. 11. *Es impudicus* ] Cave ne auscultes Vossio legenti *est*; cum enim superius poeta dixerit, *quis potest pati Nisi impudicus, & vorax, & aleo*; sequitur iccirco, Cæsarem, qui hæc patiatur, esse impudicum, voracem, & aleonem. Deinde hoc Epigramma e puris jambis compositum, pedem spondæum omnino excludit.

v. 12. *Imperator unice* ] Singularis, præstantissime. Dictum εἰρωνικῶς a poeta malevolo; quamquam hæc laus optime in Cæsarem conveniat.

v. 13. *In ultima Occidentis insula* ] In Britannia. Vide supra Carmen 11. & Cæsarem ipsum lib. 4. & 5. de Bello Gallico.

v. 14. *diffututa mentula* ] Mamurra ipse crebris adulteriis & stupris confectus. Poeta vetus in Lusibus obscœnis Epigrammate 25.

*Ipsi cernitis exfututus ut sim,*
*Confectusque, macerque, pallidusque.*

v. 15. *Ducenties comesset, aut trecenties* ] Ducenties centena millia sestertiûm, seu viginti millia sestertia majora, quingentis millibus nummis Philippeis argenteis, quibus hodie utimur, fere respondent. Trecenties vero centena millia sestertiûm, seu triginta millia sestertia majora, summam septingentorum quinquaginta millium Philippeorum fere æquaverint. Vide Justum Lipsium de Re Nummaria. Martialis Epigram. 70. lib. 5. a Catullo, ut videtur:

*O quanta est gula centies comesse!*
*Quanto major adhuc, nec accubare!*

*Comedere nummos* Tulliana φράσις, Epistola 2. lib. 6. ad Atticum: *Putant nummos suos vos comedisse.*

v. 16. *Quid est alid?* ] Ullane alia caussa fuit, o Cæsar, cur tam longinqua itinera susciperes, cur tot pericula adires, cur tot bella gereres, cur tot millia hominum occideres, quam ut nebulonem istum locupletares? Vel, si mavis: Quid aliud reliquum est quod comedi & absumi possit? omnia jam comesa & absumta sunt. *Alid* porro pro *aliud* ἀρχαϊκῶς; quemadmodum Lucretius lib. 1. v. 264.

*Quando alid ex alio reficit natura ---*

ibid. *Sinistra liberalitas* ] Hujus loci unicus interpres M. Tullius lib. 1. Officiorum cap. 11. *Videndum est igitur*, inquit, *ut ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, noceat nemini. quare L. Sullæ, C. Cæsaris pecuniarum translatio a justis dominis ad alienos non debet liberalis videri: nihil enim liberale quod non idem sit justum.* Atque hoc sane probrum videtur Cato Cæsari objicere apud Sallustium Bello Catilinæ, in severa illa oratione de conjuratis, quam

ha-

Parum expatravit? an parum helluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda præda Pontica: inde tertia
Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
Hunc, Galliæ, timetis, & Britanniæ?
Quid hunc, malum, fovetis? aut quid hic potest,
Nisi

habuit adversus ejus sententiam: *Jam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus; quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur. eo respublica in extremo sita est. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis*, &c. De avaritia primum, ac demum largitate nimia C. Cæsaris lege Suetonium in ejus vita cap. 54. Longe diversam donandi rationem sequebatur Trajanus, optimus Princeps, si Plinio Consuli in Panegyrico auscultare velimus. *Nihil magis*, ait orator elegantissimus, *in tua tota liberalitate laudaverim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque a te liberi civium, ut ferarum catuli, sanguine & cadibus nutriuntur; quodque gratissimum est accipientibus, sciunt dari sibi quod nemini est ereptum; locupletatisque tam multis, pauperiorem esse factum principem tantum*. Hæc autem conferre licet cum iis quæ superius dixerat: *Nihil largiatur princeps, dum nihil auferat: non alat, dum non occidat*, &c.

v. 17. *Expatravit* ] Libidine absumsit, prodegit. Est enim *expatrare* hoc loco, rem Veneris perficere, ut recte docet Scaliger. Pari verbo usi sunt milites currum Cæsaris sequentes, in jocis & acclamationibus, teste Suetonio in Vita ejus cap. 51.

*Aurum in Gallia effutuisti, hinc sumsisti mutuum.*

v. 18. *Paterna prima lancinata sunt bona* ] Omnino simile illud Sallustii in Catilina cap. 14. *Quicumque impudicus, adulter, ganeo; manu, ventre, pene bona patria laceraverat*. Verbo Catulliano usus Seneca Thyeste v. 779. *lancinat gnatos pater*.

v. 19. *Secunda prada Pontica* ] Hoc non esse intelligendum de spoliis quæ victo Pharnace Ponti rege, retulerit Cæsar, optime olim docuit Vossius. Præda Pontica est lucellum factum a Cæsare adolescente ex contubernio M. Thermi Prætoris, & familiaritate Nicomedis Bithyniæ Regis, quem ætatis flore sibi conciliavisse dicebatur.

ibid. *Inde tertia Hibera* ] Suetonius in Julio cap. 54. *In Hispania a proconsule & a sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium æris alieni: & Lusitanorum quædam oppida, quamquam nec imperata detrectarent, & advenienti portas patefacerent, diripuit hostiliter.*

v. 20. *Quam scit a. a. Tagus* ] Male quidam legunt, *quam auxit*; nam & Carm. 4. utitur Catullus rerum anima carentium testimonio;

*Amastri Pontica, & Cytore buxifer,*
*Tibi hac fuisse & esse cognitissima,*
*Ait phaselus* - - - - - -

v. 21. *Hunc, Gallia, timetis* ] Gabriel Faernus, Cremonensis, vir in hoc litterarum genere maximopere exercitatus, in libro de Versibus Comicis, quem imperfectum reliquit, ita hunc versum legendum conjicit, ex veteri codice; in cujus viri sententiam pedibus eo.

v. 23.

Nisi uncta devorare patrimonia?
Eóne nomine, imperator unice,

So-

v. 23. *Devorare patrimonia* ] Veteres ita urbane loquebantur de nepotibus ac decoctoribus. Et nos hodie dicimus: *mangiarsi l' avere, le sostanze, i suoi capitali*. Produco exempla. Cicero Philippica 2. *Non modo unius patrimonium, quamvis amplum, ut illud fuit, sed urbes & regna tanta nequitia devorare potuisset*. Idem pro Sextio: *Me ipsum ut contemsit helluo patriæ! nam quid ego patrimonii dicam?* quod ὀξυμώρῳ & κακοζηλίᾳ, vitiis orationis, proximum videri possit. Juvenalis alicubi: *una comedunt patrimonia mensa*. Auctor ὑποβολιμαῖος Declamationis in Sallustium: *Modo, inquam, patrimonio non comeso, sed devorato, quibus rationibus repente factus es tam affluens, & tam beatus?* Ut autem *patrimonium devorare*, ita & *bona comedere* dicebant. Cicero Epist. 20. lib. 9. *Sed cura, si me amas, ut valeas: ne ego, te jacente, bona tua comedim*. Horatius Epistola 15. lib. 1. v. 39.

*- - - - - - non hercule miror,*
*Ajebat, si qui comedunt bona, cum sit obeso*
*Nil melius turdo, &c.* - - - - -

Seneca Rhetor Excerpt. Controv. lib. 3. Controv. 1. *Decem adolescentes cum bona sua comedissent, sortiti sunt, ut cujus nomen exîsset excæcaretur, & acciperet mille denarios*. Hanc locutionem Terentius ita variavit, Eunucho Ac. 2. Sc. 2. v. 4. *Itidem patria qui abligurierat bona*. *Rem comedere* legitur apud Plautum Trinummo Ac. 2. Sc. 3. v. 15.

*Postquam comedit rem, post rationem putat.*

*Rem comedere, ac devorare*, apud Ciceronem Epist. 21. lib. 11. *Quocirca Segulium negligamus, qui res novas quærit: non quo veterem comederit, nullam enim habuit, sed hanc ipsam recentem novam devoravit*. *Cantherium comedere*, apud eumdem Epistola 18. lib. 9. *Potes mulo isto, quem tibi reliquum dicis esse, cum cantherium comedisti, Romam pervehi*. Neque solum ita loquebantur cum de rebus sermo erat, sed etiam cum de hominibus. Plautus Mostellaria Ac. 1. sc. 1. v. 10.

*- - - - sine modo adveniat senex,*
*Sine modo venire salvom, quem absentem comes.*

vide infra eadem scena v. 13. Hanc porro loquendi rationem prius Græci, & antiquissimi quidem, usurpaverant. Homerus Odysseæ lib. 1. v. 374. ἄλλας δ' ἀλεγύνετε δαῖτας· ὑμὰ κτήματ' ἔδοντες. *aliasque sequimini dapes, Vestra bona edentes*. Et libro 2. v. 237. κατέδουσι βιαίως οἶκον Ὀδυσσῆος. *comedunt violenter domum Ulixis*. quod Penelope Ovidiana in Epistola ad Ulixem v. 90. ita eleganter expressit:

*Viscera nostra, tua dilaniantur opes.*

Idem Homerus ejusdem poematis lib. 16. v. 315. Κτήματα δαρδάπτουσιν ὑπέρβιον. *Opes devorant præter modum*. Denique lib. 23. v. 9. κτήματ' ἔδον. *comedebant possessiones*. Lex item Solonis, cujus meminit Laertius in ejus vita: Ἐάν τις μὴ τρέφῃ τοὺς γονέας, ἄτιμος ἔστω· ἀλλὰ καὶ ὁ τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς, ὁμοίως. i. e. *Si quis parentes non alat, infamis esto. sed & qui patrimonium comederit, similiter*. Æschines denique contra Timarchum: οὐ τοίνυν μόνον τὰ πατρῷα κατεδήδοκεν, ἀλλὰ καὶ τὰ κοινὰ τὰ ὑμέτερα. *Non igitur solum patrimonium belluatus est, sed etiam vestra omnia publica*.

v. 24. *Eóne nomine* ] Tantæ igitur molis erat locupletari Mamurram, ut ideo, Cæsar, atque Pompei, rempublicam ex imo fundo miscere deberetis?

Socer generque perdidistis omnia?

# XXX.

ALPHENE immemor, atque unanimis false sodalibus:
Jam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi.
Jam me prodere, jam non dubitas fallere, perfide.

Nec

tis? O turpissimum exitum vestri certaminis! Ejusdem fere generis sunt illa Juvenalis in Hannibalem Sat. 10. v. 166.

*- - - I, demens, & saevas curre per Alpes,*
*Ut pueris placeas, & declamatio fias.*

ibid. *Imperator unice* ] Sunt qui legant hoc loco: *Eóne nomine, urbis opulentissima.* inepte prorsus. Douzæ patri cap. 7. Præcidan. placebat *urbis oblitissima*, nempe inquinatissimæ: neque tamen persuadet.

v. 25. *Socer generque perdidistis omnia?* ] Nollem profecto, Isaacum Vossium in hujus explicatione loci tam ingeniosum & acutum se præstitisse; qui nescio quæ obscœna hic comminiscitur, & vocibus *soceri* ae *generi* turpem significationem affingit. Verum Critici plerumque, modo nova proferant & inaudita, nihil præterea pensi habent. *Socer & gener* sunt Cæsar & Pompejus, ex affinibus hostes, qui bellis civilibus rempublicam perdiderunt. dixit enim supra Catullus: *Quid hunc, malum, fovetis?* ut intelligi possit etiam Pompejus. Non aliis certe nominibus hosce duos imperatores Minutius Felix insignivit in Octavio: *Generi & soceri*, inquit, *bella toto orbe diffusa sunt; & tam magni imperii duos fortuna non cepit. Omnia perdere*, locutio est bonis auctoribus familiaris. Cicero ad Atticum Epist. 21. lib. 2. *Nam iracundiam atque intemperantiam illorum sumus experti qui Catoni irati omnia perdiderunt*. Livius Præfat. Histor. *Abundantes voluptates desiderium, per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia, invexere*. Nepos in Eumene, loquens de militibus veteranis: *Itaque periculum est, ne faciant quod illi fecerunt sua intemperantia nimiaque licentia, ut omnia perdant*. Vide & Martialem Epigrammate 42. lib. 9.

ARGUM. CARM. XXX. ] Alphenum Varum, jurisconsultum, sodalem suum (de quo vide supra Carm. 10.) acriter objurgat, quod promissis non steterit, ac fidem sibi datam violaverit. Fortasse Alphenus caussam Catulli aliquam defendendam susceperat, & postea prævaricatus fuerat: vel de rebus amatoriis sermo est.

v. 1. *Immemor* ] Promissorum videlicet; aut beneficiorum quæ Catullus in eum contulisset. Terentius Andria Ac. 1. Sc. 1. v. 16.

*- - - isthac commemoratio*
*Quasi exprobratio est immemoris beneficii.*

v. 2. *Amiculi* ] Vox est blanditiarum. Cicero Oratione frumentaria in C. Verrem: *Quid de hordeo, inquit, & Docimo amiculo meo? quid cogitatis?* Horatius ad Scævam Epistola 17. lib. 1. v. 3.

*Disce docendus adhuc quæ censet amiculus. - -*

Mirum est, Achillem Statium, hominem ceteroqui naris emunctæ, atque eruditione minime vulgari, hoc loco ita cæcutire, ut verba Plauti afferat

e Ci-

Nec facta impia fallacum hominum cælicolis placent;
Quæ tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Eheu quid faciant dehinc homines, quoive habeant fidem?
Certe tute jubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaque
Ventos irrita ferre, & nebulas aerias finis:
Si tu oblitus es, at dii meminerunt, meminit Fides:
Quæ te ut pœniteat postmodo facti, faciet, tui.



e Cistellaria Ac. I. Sc. I. v. 117. *Amiculum hoc sustolle saltem*; quæ non de amico vel sodali, sed de palliolo, quod erat vestimenti genus, accipienda omnino sunt.

v. 4. *Nec facta impia* ] *Nec* pro *non*, ut recte monuerunt interpretes. *Facta impia* pro sceleribus posuit noster etiam Carmine 23. v. 10.

*Non facta impia, non dolos veneni.*

ibid. *Fallacum hominum* ] Pro *fallacium*. Contra Horatius Ode 24. lib. 3. *Dos est magna parentium Virtus*, pro *parentum*, i. e. patrum: κατ' ἐπένθεσιν. Virgilius quoque Æneidos 8. v. 27.

*Alituum pecudumque genus sopor altus habebat.*

*alituum* pro *alitum*. Vide ibi Ludovicum de la Cerda.

v. 5. *Quæ tu negligis* ] I. e. parvipendis, tamquam levia peccata, & contemnenda. Joannes Livinejus, qui plerumque nihil boni affert, nisi cum Mureti scrinia compilat, optime hunc locum illustrat verbis Horat. Ode 28. l. 1.

*Negligis immeritis nocituram*
*Postmodo te natis fraudem committere ---*

v. 7. *Animam tradere* ] Me totum, meaque omnia tuæ fidei credere, & in ea penitus conquiescere.

v. 8. *Inducens in amorem* ] Quemadmodum aves fraudibus aucupum in retia inducuntur. Tibullus pariter Elegia 7. lib. 1.

*Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus,*
*Post tamen es misero tristis & asper, Amor.*

ibid. *Tuta omnia* ] Vide interpretes ad illud Maronis 4. Æneidos v. 298. *Omnia tuta timens.*

v. 10. *Ventos irrita ferre* ] Modus loquendi poetis familiaris, cum de perfidia & perjurio sermo est. Tibullus Elegia 4. lib. 1.

*- - - Veneris perjuria venti*
*Irrita per terras, & freta summa ferunt.*

Et iterum Catullus de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 58.

*Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,*
*Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.*

v. 11. *At dii meminerunt* ] Similis omnino locus Virgilii 1. Æneid. v. 543.

*Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,*
*At sperate deos memores fandi atque nefandi.*

ibid. *Meminit Fides* ] Fidem apud Romanos divinis honoribus cultam, cum aliunde cognoscere licet, tum ex Juvenale planum fit, qui Sat. 1. v. 114.

*- - - nullas nummorum ereximus aras,*
*Ut colitur Pax, atque Fides - - -*

v. 12. *Quæ te ut pœniteat*, &c. ] De hac syntaxi confusa & impedita plura di-

# XXXI.

PÆNINSULARUM, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis,

Ma-

diximus ad versum 7. Carminis 3. Ceterum Horatius eodem genere versus quo utitur Catullus in hoc Epigrammate, scilicet choriambico, composuit Oden 18. lib. 1. quam ad alium Varum, nempe Quinctilium, misit.

ARGUM. CARM. XXXI.] E Bithynia hilariter domum suam se recipiens, Sirmionem, lacus Benaci pæninsulam amœnissimam, salutat.

v. 1. *Sirmio*] Catullum non locupletissimum quidem fuisse (cum ipse de sacculo suo aranearum pleno urbane conqueratur Carm. 13.) sed tamen satis lautum patrimonium habuisse, quod hominem nobilem deceret, optime animadvertit, vir omni laudum genere cumulatus, ingenii præcipue ac reconditæ eruditionis gloria ubique gentium celeberrimus, SCIPIO MAFFEJUS, Patricius & Marchio Veronensis, quem honoris caussa nomino, Veronæ Illustratæ Parte altera, quæ historiam litterariam, seu Scriptorum Veronensium notitiam complectitur. Non solum enim agros, villamque commodam & bene ædificatam, qua mirum in modum delectaretur, poetam nostrum Sirmione videri possedisse, verum etiam totius pæninsulæ dominum fuisse; id quod versus ille satis declaret:

*Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude.*

Ibi certe adhuc superesse reliquias & rudera magnifici operis, quod Romanam architecturam præseferat, domus fortasse Catullianæ; ut homines, non levi conjectura ducti, semper existimaverint. Sirmione præterea, quemadmodum & Veronæ, C. Julium Cæsarem a patre nostri poetæ hospitio accipi solitum, si quando in has regiones venisset: in hac enim pæninsula interquiescebant qui Verona Brixiam iter facerent, ut ex antiquo Itinerario satis constat. Porro idem vir nobilissimus jure ac merito nonnullos reprehendit qui proximis hisce temporibus, Catullum Sirmione natum, litteris falso tradiderunt: cum in Eusebii Chronico Veronæ natus dicatur: ipse vero Cæcilium amicum suum Novo Como Veronam, non Sirmionem, ad se visendum arcessat.

Ceterum quas fabellas de familia sua a principibus Scaligeris, olim Veronæ dominis, oriunda, ad hunc poetæ versum cudere ac venditare non dubitat, magnus in hoc genere nugarum propola, & dignus patre filius Josephus Scaliger, *reges*, ut ait Horatius, *atque tetrarchas, omnia magna loquens*, egregie confutatas videbis ab eodem doctissimo MAFFEJO libro eodem Veronæ Illustratæ, ubi de Julio Cæsare Scaligero sermonem instituit.

v. 2. *Ocelle*] Quas res antiqui magno æstimarent, & carissimas haberent, eas *oculos* & *ocellos* vocabant; cum oculi sint partes corporis multo præstantissimæ. Cicero libro 16. ad Atticum: *Cur ocellos Italiæ, villulas meas non video?* Idem libro 3. de Nat. Deorum: *Critolaus, inquam, evertit Corinthum, Carthaginem Hasdrubal. Hi duos illos oculos oræ maritimæ effoderunt: non*

O ira-

Marique vasto fert uterque Neptunus:
Quam te libenter, quamque lætus inviso!
Vix mi ipse credens Thyniam, atque Bithynos

Li-

*iratus alicui, quem omnino irasci posse negatis deum*. Ciceronem porro imitatur Lactantius lib. 7. Divin. Instit. cap. 25. *Precandus*, ait, *nobis & adorandus Deus. - - ne citius quam putemus, tyrannus ille abominandus veniat, qui . . . . . . . . lumen illud effodiat* ( Romam scilicet ) *cujus interitu mundus ipse lapsurus est*. Tullio & Lactantio Justinus addendus lib. 5. cap. 8. Histor. Trogi: *Cum multi delendum Atheniensium nomen, urbemque incendio consumendam censerent, negârunt, se, Spartani, ex duobus Græciæ oculis alterum eruturos*. Eodem pacto a Demosthene Athenæ appellatæ sunt ψυχὴ, καὶ ἥλιος, καὶ ὀφθαλμὸς Ἑλλάδος. *anima, Sol, & oculus Græciæ*. Antiquorum denique felix æmulator Joannes Cotta, & quasi alter Catullus, ita locutus Carm. 7.

*Ocelle fluminum, Calor, Calor pulcher,*
*Calor bonarum cura amorque Nympharum.*

ibid. *In liquentibus stagnis, Marique vasto* ] *Liquentium stagnorum* nomine significari putat Vossius mare internum, sive mediterraneum, quod terris undique concluditur: *mare* autem *vastum* vocari a Catullo Oceanum, sive externum mare, quod terras omnes ambitu suo circumplectatur. Verum, & Oceanum antiqui *stagna* dicebant. Lucanus testis lib. 2. v. 571. verbis Pompeji, qui Cæsaris victorias calumniatur:

*Oceanumque vocans incerti stagna profundi,*
*Territa quæsitis ostendit terga Britannis.*

Ego existimaverim, Catullum significare voluisse lacus, & mare; utrisque enim præerat Neptunus. Quam sententiam ipse Vossius confirmat, dum Ποσειδῶνα ἐπιλίμνιον agnoscit, id est *Neptunum stagnorum, paludium, seu lacuum præsidem*. Sunt autem *stagna liquentia* lacus limpidi, puri, defæcati. Superius Carm. 4.

*- - - cum veniret a mare*
*Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.*

De aqua Benaci nos in quodam Epigrammate ita ποιητικῶς:

*Hic ubi cymba levis Benaci ludit in unda,*
*Consuetasque parat piscibus insidias,*
*Et mihi miranti prodit pellucidus humor*
*Candida nudarum corpora Naiadum.*

v. 3. *Fert uterque Neptunus* ] Ἐπιθαλάσσιος ἢ ἐπιλίμνιος. *marinus, & palustris*. Memorabile est, atque unice huc facit, quod scribit Servius ad illud Virgilii primo Georgicon v. 12.

*- - tuque o, cui prima frementem*
*Fudit equum magno tellus percussa tridenti.*

*Antiquissimi*, ait, *libri* Fudit aquam *plerique habuerunt. Quoniam Neptunus & fluminibus, & fontibus, & omnibus aquis præest, ut ipse docet:* aut præceps Neptuno immerserit Eurus." quod legitur Georgicon 4. v. 29. de apibus videlicet a vento in aquam conjectis. *Fert* porro pro *sustinet* hoc versu Catulli.

v. 5. *Thyniam, atque Bithynos campos* ] Thyniam Bithyniæ finitimam esse regionem, docemur ab Eustathio Scholiis ad versum 793. Διονυσίου Dionysii Alexandrini. Digna sunt ejus verba quæ hic etiam legantur, præsertim cum ad Catullum illustrandum valde conducant. τοὺς δὲ Βιθυνοὺς, ait, καὶ πατικωτέρας ἱστοροῦσι γενέσθαι ποτὲ, καὶ τὴν αὐτῶν γῆν πάμφορόν τε καὶ εὔδενδρον εἶναι φασὶ, καὶ λιθοτομίας ἔχουσαν, καὶ κρυστάλλους ἐν ὄρεσι φύουσαν, καὶ ἄλλα πολλὰ ἔχουσαν ἀγαθά. Ἡρόδοτος δὲ λέγει Θρᾷκας διαβάντας εἰς Ἀσίαν, κληθῆναι Βιθυνοὺς, καὶ εἶναι παρ' αὐτοῖς Χηνερίων Ἄρεος. λέγεται δὲ καὶ ὅτι τὴν ἀπὸ βο-

ρεί-

Liquisse campos, & videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis?
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus Larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude.
Gaudete vosque, Lydiæ lacus undæ.

Ri-

στόμα γλώσσης ἕως τοῦ Ῥήβαντος, Βιθυνοί ποτε κατεῖχον. τὴν δὲ μετ᾽ ἐπέκεινα τοῦ Πόντου ὀρεινὴν, οἱ Θυνοὶ εἶχον, ἄχρι ποταμοῦ Κάλητος. ὡς εἶναι ὁμόρους τούς τε Θυνοὺς, καὶ τοὺς Βιθυνοὺς, οὕτω καλουμένους ἀπό τινων ἀδελφῶν ἐπιφανῶν Θυνοῦ καὶ Βιθυνοῦ, παίδων Φινέως κατὰ ποίησιν, &c. Quæ verba ita nos interpretamur: *Porro Bithynos etiam rei nauticæ peritissimos olim fuisse, memoria proditum est; eorum vero regionem omnium rerum feracem, tum arboribus consitam esse ajunt, & lapicidinis instructam; crystallos quoque in montibus gignere, & plura alia bona habere. Herodotus autem dicit, Thracas in Asiam trajectos, Bithynos vocatos, & apud ipsos Martis oraculum esse. Perhibent porro, eam quæ a Bosporo ad Rhebantem usque fluvium est, regionem Bithynos occupavisse: Thynos contra ultra ipsum, obtinuisse montanam ad Pontum, usque ad amnem Caletem. Finitimos itcirco esse Thynos atque Bithynos, ita vocatos a fratribus quibusdam illustribus Thyno, & Bithyno, Phinei filiis, ut poetæ narrant.* Fuit igitur ( quod obiter animadverto ) præter Caletem emporium, ab Arriano in Periplo memoratum, etiam fluvius Cales, Eustathio teste.

v. 7. *Solutis curis* ] Virgilius pariter 1. Georgic. v. 303.

*Invitat genialis hiems, curasque resolvit.*

A quo Silius Italicus lib. 16. v. 229.

*Et dura in noctem curarum vincula solvunt.*

Livius item lib. 3. Histor. *Quanto longius ab urbe hostium abscederent, eo solutiore cura, in Lucretium incidunt consulem.* Non video, cur tantopere viri eruditi rejicere debuerint notam interrogationis, quæ hunc versiculum proxime subsequitur; cum præsertim ita explicari possit: *O quid felicius est illis qui soluti sunt curis?* Piget me tædetque, Douzam patrem, e sanctiore litteratorum familia, nodum in scirpo quæsivisse. Nihil autem vetat, ita hunc locum accipere, ut *curas* ipsas *solutas beatam* rem esse intelligamus, nimirum quæ beatos efficiat. Ceterum, non immerito hunc versum, & quatuor sequentes, tamquam suavissimæ elegantiæ plenos, laudat Muretus.

v. 11. *H. e. quod unum est pro laboribus tantis* ] Nullum enim aliud lucrum e Bithynia retulerat poeta noster, culpa & negligentia Memmii prætoris. Vide superius Carmen 28.

v. 12. *Atque hero gaude* ] I. e. Heri tui caussa, qui sospes domum revenit. Tibullus contra Elegia 2. lib. 3.

*Mæreat hæc genero, mæreat illa viro.*

i. e. generi, & viri caussa doleant.

v. 13. *Lydiæ lacus undæ* ] Lectio hæc non sollicitanda; neque Scaliger audiendus, qui *ludiæ*, neque Vossius, qui *Lariæ* legere mavult. Verbis conceptis dejerare ausim, bonos auctores a violentia recentium Criticorum, quam a barbarie veterum librariorum longe

 pe-

Ridete quicquid est domi cachinnorum.

## XXXII.

Amabo, mea dulcis Hypsithilla,
Meæ deliciæ, mei lepores,
Jube ad te veniam meridiatum.

Quid

pejus interdum habitos. Lacus Benaci undas, *Lydias* Catullus appellat, quoniam is in Veronensi agro situs est. Verona pertinet ad Rhætos; Rhæti a Tuscis oriundi, Tusci a Lydis ex Mæonia. Id jampridem Parthenius recte monuerat. Hasce origines ultimas poetæ venari solent, Catullus præcipue; qui certe non de nihilo ab antiquis *doctus* est appellatus.

v. 14. *Ridete q. e. d. cachinnorum* ] Ridete maximum risum, atque effusum. *Esse domi*, pro *haberi* & *possideri*, dixerunt veteres. Plautus:

*Si illi sunt virga ruri, at mihi tergum domi est.*

Significat servus nequam, se nullum aliud patrimonium possidere quam tergum, quo uno possit rem solvere creditoribus. Virgilius Ecloga 3. v. 33.

*Est mihi namque domi pater, est injusta noverca.*

Porro neque id prætermittendum est, *cachinnum* usurpatum fuisse a Catullo pro fremitu fluctuum marinorum, de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 272.

*Quæ tarde primum, clementi flamine pulsæ,*
*Procedunt, leviterque sonant plangore cachinni.*

Lacus autem Benacus maris instar fremit. Notum id vel ex Marone lib. 2. Georgic. v. 159.

*An ne lacus tantos? te, Lari maxime, teque,*
*Fluctibus & fremitu adsurgens, Benace, marino.*

Quæ sane Isaaci Vossii lectionem *Lariæ* omnino explodunt.

Argum. Carm. XXXII. ] Hypsithillam rogat, ut sibi post prandium concubitus copiam facere velit.

v. 1. *Amabo* ] Frequens Plauto interjectio. significat autem, *gratias tibi maximas habebo*. Eodem pacto cum se grato animo beneficium ab amicis accipere profiterentur, dicebant: *multum te amo*. Vide M. Tullium in calce Epistolæ 1. lib. 1. ad Atticum. Rogantes quoque nonnumquam addebant *te*. Cicero Epistola 7. lib. 2. *Sed amabo te cura & cogita nihil novi*. Idem Epistola 12. lib. 5. *Nostra autem negotia (quoniam Romæ commoraris) amabo te explica*. Cœlius ad Ciceronem Epistola 6. lib. 8. *Amabo te, si quid quod opus fuerit, Appio facies, ponito me in gratia*.

v. 3. *Jube* ] Pro *velis*. ut *salvere jubeo*, quod apud Plautum legitur, pro *salvere opto*, *volo*.

ibid. *Meridiatum* ] *Meridiari*, proprie est *meridie dormire*: sed κατ' μεσημβρίαν(?), *concumbere*; ut & ipsum *dormire*, *cubare*, *jacere*, & alia hujusmodi verba. Id vel ex Ovidio liquet Elegia 5. lib. 1. Amorum, in qua Corinnæ concubitum describit:

*Æstus erat, mediamque dies exegerat horam:*
*Apposui medio membra levanda toro.*
*Ecce Corinna venit tunica velata recincta.*

Hinc verbale *meridiatio*, quod usurpat Ci-

Quod ſi juſſeris, illud adjuvato,
Ne quis liminis obſeret tabellam,
Neu tibi lubeat foras abire:
Sed domi maneas, pareſque nobis
Novem continuas fututiones.
Verum ſi quid ages, ſtatim jubeto:
Nam pranſus jaceo, & ſatur ſupinus
Per-

Cicero lib. 2. de Divinatione. *Nunc quidem*, inquit, *propter intermiſſionem forenſis operæ, & lucubrationes detraxi, & meridiationes addidi, quibus uti antea non ſolebam: nec tam multum dormiens ullo ſomnio ſum admonitus.*

v. 4. *Adjuvato* ] I. e. da operam, adnitere, effice. Ita locutus Plautus prologo Pœnuli v. ultimo:

*Valete, atque adjuvate, ut vos ſervet Salus.*

ad quem locum vide Fridericum Taubmannum. Conſulendus præterea Janus Douza pater cap. 2. Præcidan. pro Catullo.

v. 5. *N. q. liminis obſeret tabellam* ] Tabellam liminis eſſe januam ipſam, quam & Græci σανίδα καὶ πτύχα vocaverint, recte monet Voſſius ex Julio Polluce. *Obſerare* hic eſt diligentiſſime occludere, atque obſignare; quod ſolebant amatores ſuſpicioſi, & mariti zelotypi, ne quis, niſi rupto ſigno, introire poſſet. Propertius Elegia 1. lib. 4. v. 145.

*Nec mille excubiæ, nec te ſignata juvabunt*
*Limina - - - -*

Hanc explicationem debemus Theodoro Marcilio. Sunt qui exiſtiment, in his verbis obſcœnitatem latere; quod minus veriſimile exiſtimo: neque enim hoc Epigrammate Catullus verecundiam ullam affectat, cujus gratia res nomine non ſuo appellare velit, ſed ἀγροικός ἐστι, τὴν σκάφην σκάφην λέγει.

v. 8. *Novem continuas f.* ] Dictum ὑπερβολικῶς, ut illud Ovidii Amorum lib. 3. Elegia 7.

*At nuper bis flava Chie, ter candida Pitho,*
*Ter Libas officio continuata meo.*
*Exigere a nobis anguſta nocte Corinnam,*
*Me memini numeros ſuſtinuiſſe novem.*

Quod Parthenius comminiſcitur hoc loco ἀπὸ τοῦ τῆς συνουσίας σχημάτων, non placet: id enim eſt, poetam ex obſcœno obſcœniorem facere ſine cauſſa. Ejus autem explicationem convellit τὸ *continuas*, quod ſignificat *uno ſpiritu*, *nulla interpoſita mora*.

v. 9. *Si quid ages* ] Legere mallem, *ſi quid ago*, modo liceret per veteres libros. i.e. ſi quid proficio precibus, ſi quid abs te impetro.

ibid. *Statim jubeto* ] Nam ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι, *veloces gratiæ dulciores*. Vide, ſi lubet, quid acciderit poetæ Venuſino puellam exſpectanti, Sat. 5. lib. 1. v. 82.

v. 10. *Pranſus jaceo* ] Notiſſimum eſt, Romanos veteres, ſemel in die tantum, ſub veſperam ſcilicet, hora fere undecima, cibum plerumque capere ſolitos; quam cibi ſumtionem *cœnam* vocabant. Addebant aliqui prandium, nempe cibum meridianum: alii etiam jentaculum, & merendam. Qui tamen prandebant, ii fere vel pueri, vel puerilibus moribus erant: ſeveri enim ac frugi homines prandio abſtinebant. Quamobrem Horatius Satyra

Pertundo tunicamque, palliumque.

O Fu-

tyra 3. lib. 2. v. 257. Xenocratem, gravissimum illum philosophum, appellat *impransum:*

*Postquam est impransi correptus voce magistri.*

Persius autem Satyra 3. v. 83. centurionem quemdam litterarum expertem, philosophica studia ita irridentem inducit:

*Ægroti veteris meditantes somnia: gigni*

*De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.*

*Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est?*

Ceterum, quos aut ætas, aut valetudo, aut probabilis alia caussa prandere coegisset, ii cibum levem ac facilem in prandio sumebant; ut optime animadvertit Samuel Pitiscus ad Suetonii Octavium cap. 78. Propterea Horatius Sat. 6. lib. 1. v. 127.

*Pransus non avide, quantum interpellet inani*

*Ventre diem durare* - - -

Nam prandio saturum fieri & malum & turpe habebatur. Sallustius, seu quisquis est auctor, Oratione 1. ad C. Cæsarem de Republica ordinanda, ita de corruptis sui temporis moribus: *Ii quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere mos est.* Idque erat libidinosorum; cibus enim abundans Venerem dormientem excitare solet. Iccirco Persius in calce Satyræ 1. de quibusdam intemperantibus:

*His mane edictum, post prandia Callirhoen do.*

famosam videlicet meretriculam, eo nomine. Sed religio mihi sit huc non afferre insignem Plauti locum e Mostellaria Ac. 3. Sc. 2. quo nullus profecto aptior ad Catullum hac in re illustrandum. Ibi Simo senex ita loquitur:

*Prandium mihi uxor perbonum dedit.*

*Nunc dormitum me jubet ire. minime.*

*Non mihi forte visum illico fuit,*

*Melius quom prandium, quam solitum, dedit.*

*Voluit in cubiculum me abducere anus.*

*Non bonus somnus est de prandio. apage.*

v. 11. *Pertundo* ] *Pertundere* non est pulsare tantum, aut verberare, sed etiam tundendo perforare. Juvenalis Satyra 6. v. 46.

- - *o medici, mediam pertundite venam.*

ita *pertundere saxa*, apud Lucretium extremo lib. 4. *pertusum vas*, apud eumdem lib. 3. v. 949. *pertusum dolium*, apud Plautum Pseudolo Ac. 1. Sc. 3. v. 135.

ibid. *Palliumque* ] Martialis Epigrammate 16. lib. 11.

*O quoties rigida pulsabis pallia vena,*

*Sis gravior Curio, Fabricioque licet!*

Ego vero *pallium* hoc versu Catulli crediderim esse lecti stragulum; qua significatione hæc vox accipienda est apud Ovidium Amorum lib. 1. Elegia 2.

*Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur*

*Strata, neque in lecto pallia nostra sedent?*

Et apud Martialem Epigrammate 110. lib. 1. de Issa catella Publii:

*Et desiderio coacta ventris,*

*Gutta pallia non fefellit ulla:*

*Sed blando pede suscitat, toroque*

*Deponi rogat, & monet levari.*

Tametsi, veteres ad mensam interdum & palliatos accessisse, non ignoramus.

Ar-

## XXXIII.

O Furum optime balneariorum,
Vibenni pater, & cinæde fili:
Nam dextra pater inquinatiore,

Cu-

Argum. Carm. XXXIII. ] Scriptum est hoc Epigramma in Vibennios, patrem & filium: alterum furem, alterum cinædum.

v. 1. *O furum optime* ] Sunt quidem pessimi mortalium fures: verum si quis eorum turpissima in arte ceteris longe antecellat, *fur optimus* recte atque urbane dici potest. Similiter Plautus Asinaria Ac. 1. Se. 1. v. 23. *lenam frugi* appellat quæ rapacissima est, ac strenue officium suum facit. Idem Pœnulo Ac. 3. Se. 2. v. 36.

AD. *Illic homo est qui egreditur leno.*
COLL. *Bonus est; nam similis malo est.*

Huc pertinet illud Homeri Odysseæ lib. 17. v. 578. *κακὸς δ' αἰδοῖος ἀλήτης. malus est verecundus erro.* Ceterum, *bonum* pro perito haud raro legas apud scriptores Latinos. Tibullus Elegia 1. lib. 1. *Hic ego dux milesque bonus;* ad quem locum videbis Commentarium nostrum. Virgilius initio Eclogæ 5.

*- - - boni quoniam convenimus ambo*
*Tu calamos inflare leves, ego dicere versus.*

ibid. *Balneariorum* ] Qui vestimenta eorum qui in balneo lavabant, surripere soliti erant, *fures balnearii* vocabantur. De his mentio apud Petronium Satyrico. *Ceterum*, inquit, *ut movimus dextros gressus, servus nobis dispoliatus procubuit ante pedes, & rogare cœpit, ut se pœnæ eriperemus: nec magnum esse peccatum suum, propter quod periclitaretur. Subducta enim vestimenta sibi dispensatoris in balneo, quæ vix fuissent* X. H. S. Meminit & Paullus J. C. libro singulari de Officio Præfecti Vigilum, his verbis: *Adversus capsarios quoque, qui mercede servanda in balineis vestimenta suscipiunt, judex est constitutus: ut si quid in servandis vestimentis fraudulenter admiserint, ipse cognoscat.* Cum vero fur aliquis in balneo deprehensus esset, magni clamores lavantium excitabantur. Id testatur Seneca Epistola 56. *Ecce*, inquit, *varius clamor undique me circumsonat: supra ipsum balneum habito.* & post varia clamorum genera enumerata, ita scribit: *Adjice nunc scordalum, & furem deprehensum, & illum cui vox sua in balneo placet.* Vide, si vacat, Aristotelem Problem. 14. Sect. 29. Epictetum Enchiridii cap. 7. Petrum Victorium Variarum Lectionum lib. 7. cap. 17. ac demum Paralipomena Thomæ Dempsteri ad caput 14. lib. 1. Antiquitatum Romanarum Joannis Rosini.

v. 2. *Vibenni pater* ] Gentis hujus, plebejæ, ut videtur, mentio apud Gruterum Pag. DCCVI. Inscriptione V.

SEIA. T. F. MARCELLINA. SIBI. ET
VIBENNIO. MARCELLINO. FILIO
VIVA. POSVIT
QVOD. VOLVIT. ET. POTVIT
QVOD. POTVIT. ET. VOLVIT

Obiter animadverto, *Vibennio* recte legi in Indice Inscriptionum, quem Scaliger concinnavit, cum suo loco *Vidennio* perperam legatur.

v. 3. *Dextra inquinatiore* ] Glutine, ut ita dixerim, & mera pice illita: cui

omnia

Culo filius est voraciore:
Cur non exsilium, malasque in oras
Itis? quandoquidem patris rapinæ
Notæ sunt populo, & nates pilosas,
Fili, non potes asse venditare.

## XXXIV.

Dianæ sumus in fide

Pucl-

omnia quæ tetigerit, adhærent. Supra Carmine 25. v. 9.

*Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina, & remitte.*

Ex hoc poetæ nostri loco apparet, fures non sinistra tantum, sed etiam dextra manu surripere consuevisse. Vide Carmen 12. & ad id Adnotationes nostras.

v. 5. *Malas in oras* ] Insulas puta desertas, & steriles, in quas deportabantur scelere aliquo obstricti. Eodem prope pacto *malum Jovem* pro aere nimis gelido, ac noxio dixit Horatius Ode 22. lib. 1.

*Quod latus mundi nebula, malusque Juppiter urget.*

v. 8. *Asse venditare* ] Nummo vilissimo. Ita meretrices diobolares antiqui dicebant, quæ duobus obolis conducerentur. Earum meminerunt Plautus, & Pompejus Festus

Argum. Carm. XXXIV. ] Hoc poetæ Veronensis Carmen, quo Dianæ laudes a choro puerorum & virginum canuntur, falso inscriptum *sæculare* existimat Theodorus Marcilius, docetque, indictum fuisse pueris patrimis & matrimis, cum libri Sibyllini adirentur ætate Catulli. Diversa omnino est Josephi Scaligeri sententia, qui ad Chronicon Eusebii, scriptum fuisse putat ludis sæcularibus anno U. C. 737. celebratis. Hunc Isaacus Vossius reprehendit; ait enim ipse, totis triginta quinque annis antea Catullum obiisse, nempe anno U. C. 702. Deinde in tabula quam proponit, affirmat, Catulli mortem contigisse anno U. C. 704. aut sequenti. Quomodo hæc, rogo, inter se conveniunt? Fallitur porro Vossius, dum contendit, nihil in scriptis Catulli contineri quod non præcesserit bellum civile Cæsaris & Pompeji. Profecto enim versus ille Carminis 29. *Socer generque perdidistis omnia*, si quid video, alio pertinere non potest, quam ad illud bellum, quo Cæsar atque Pompejus rempublicam ab imo fundo miscuerunt, & omnia pessumdederunt. Frustra enim referas versum illum ad eorum amicitiam, & affinitatem, quæ reipublicæ perniciosa, & principium malorum fuit; quemadmodum & ipsorum cum Crasso triumviratus, & potentiæ conjunctio. Scio, Vellejum Paterculum Historiarum libro 2. cap. 44. ita scripsisse: *Hoc igitur Consule* ( Cæsare scilicet ) *inter eum & Cn. Pompejum & M. Crassum inita potentiæ societas, quæ urbi orbique terrarum, nec minus, diverso quoque tempore, ipsis exitiabilis fuit.* Sed Vellejus facile potuit quæ ante ipsius ætatem gesta ac transacta fuerant, cum fide narrare, eorumque caus-

Puellæ, & pueri integri:
Dianam pueri integri,
Puellæque canamus.
O Latonia maximi
Magna progenies Jovis,
Quam mater prope Deliam

De-

caussas in medium afferre. Catullus autem, si versum illum scripsit ante bella civilia, qui scire ac divinare potuit, tantas olim clades futuras ex amicitia Cæsaris & Pompeji? Quod si a deo aliquo monitus, scivisset ac divinâsset, profecto non dixisset *perdidistis*, loquens de rebus quæ nondum evenerant.

v. 1. *Dianæ sumus in fide* ] I. e. Diana tuetur nos, vigilat nostræ incolumitati. Italice: *Siamo sotto la protezione di Diana*. Cicero Epistola 65. lib. 13. *Ea societas universa in mea fide est*. Hinc *recipere in fidem*, apud eumdem Ciceronem lib. 1. de Officiis, nimirum *in tutelam*. *Et cum iis*, inquit, *quos vi deviceris, consulendum est, tum ii qui armis positis, ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percusserit, recipiendi sunt*. Propertius lib. 4. Elegia 6. *Vincit Roma fide Phœbi*; i. e. tutela, patrocinio.

v. 2. *Pueri integri* ] Bene pudiceque educati, intacti, nondum corrupti, adeoque diis omnibus, & præcipue Dianæ virgini, mirum in modum accepti. Supra Carm. 15.

*Ut si quicquam animo tuo cupisti,*
*Quod castum expeteres, & integellum,*
*Conserves puerum mihi pudice.*

Non possum hoc loco dissimulare ingens Vossii, viri ceteroqui docti & diligentis, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Ejus verba sunt: *Horatius pueros vocat necdum virum expertos, ubi mira est simplicitas commentatoris Antvverpiensis, qui nescire se fatetur, quinam illi sint. Ἠΐθεοι vocant Græci.* Deinde profert verba Varronis apud Nonium de puero devirginato. Mirum somnium! Sane Horatii Ode 14. lib. 3. quo respicit Vossius, de pueris nondum virum expertis nulla mentio. Ibi porro legere est:

*- - vos o pueri, & puellæ*
*Jam virum expertæ, male ominatis*
*Parcite verbis.*

Lævinus Torrentius ( hic enim est *commentator* Antvverpiensis, quem simplicitatis crimine Vossius immerito accusat ) ad eum locum, ignorare se fatetur, quare Flaccus pueris castis & integris addat *puellas jam virum expertas*, cum potius debuisset addere puellas virgines. Hujusmodi autem admiratio non simplicem hominem, sed attentum arguit atque ingeniosum.

v. 3. *Dianam pueri integri* ] Hunc versum primus typis excudit Aldus Manutius; eumque in MSS. ajunt desiderari. Palladius tamen Fuscus testatur, se illum in veteri quodam codice invenisse. Et sane admodum verisimile est ita scriptum a Catullo.

v. 7. *Prope Deliam olivam* ] Homerus tamen, seu quisquis est auctor, Hymno in Apollinem haud procul ab initio, scribit, Latonam peperisse Dianam in Ortygia, Apollinem vero in Delo; ubi Ortygiam a Delo manifeste distinguit. Ortygia fuit lucus apud Ephesios, teste Tacito Annalium lib. 3. cap. 61. Singulare est quod

P Bus-

Deposivit olivam,
Montium domina ut fores,
Silvarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque sonantum.

Tu

narrat Plutarchus in Pelopida, nimirum a Bœotis traditum, partum Latonæ contigisse non in Delo insula, sed ad Delum Bœotiæ montem, idque inter duos fluvios, quorum uni palma, alteri olea nomen esset. Ex his omnibus intelligi potest, quanta sit fabularum inconstantia.

v. 8. *Deposivit* ] Pro *deposuit*, ἀρχαϊκῶς. Plautus pariter Curculione Ac. 4. Sc. 3. v. 3. *triginta minas, quas ego apud te deposivi*. Idem Mostellaria Ac. 2. Sc. 1. v. 35. *Hic deposivit caput, & dormit*. Idem Milite Glorioso Ac. 3. Sc. 3. v. 31. *De meo nihil his novom apposivi*. Et Rudente Ac. 4. Sc. 2. v. 11. *Lucrum præposivi sopori & quieti*. Et Asinaria Ac. 3. Sc. 1. v. 16. *si reposivi remum*. & Truculento Ac. 2. Sc. 5. v. 8. *Alienos dolores mihi supposivi*. Et Trinummo Ac. 1. Sc. 2. v. 108. *Mihi quod credideris, sumes, ubi posiveris*. cui concinit Cato Rei Rusticæ cap. 1. *Majores nostri sic habuerunt, & ita in legibus posiverunt*. Porro, sicuti puerperarum erat *deponere*, ita obstetricum *tollere*, vel *suscipere*. Exempla obvia apud scriptores.

ibid. *Olivam* ] Quemadmodum prope palmam, Apollinem. Homerus Hymno in Apollinem v. 117.

*Ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε, γοῦνα δ' ἔρεισε*
*Λειμῶνι μαλακῷ.* - - -
*Circaque palmam jaciebat brachia, genua autem fixit*
*Prato in molli* - - -

Tametsi, apud oleam non Dianam solum, verum etiam Phœbum a matre Latona editos, vetus fama fuit apud Ephesios, teste Corn. Tacito Annalium 3. cap. 61. *Primi omnium*, inquit, *Ephesii adiere, memorantes; non, ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam, & oleæ quæ tum etiam maneat adnisam, edidisse ea numina: deorumque monitu sacratum nemus*. Quamobrem Euripides Iphigenia in Tauris v. 1101. ita scribit: Γλαυκᾶς θαλλὸν ἱερὸν ἐλαίας Λατοῦς ὠδῖνι φίλαν. *Sacrum germen cæruleæ oleæ, Partui Latonæ amicum*. Hanc tamen quæstionem solvere videtur Ælianus, teste Isaaco Vossio, qui narrat, Latonam parturientem, altera manu oleam, altera palmam valide pressisse, atque ita gemellos edidisse. Cum Æliano facit Ovidius lib. 6. Metamorph. v. 335. cujus hæc verba sunt:

*Illic, incumbens cum Palladis arbore palmæ,*
*Edidit invita geminos Latona noverca.*

Idem lib. 13. operis ejusdem v. 632.

*Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phœbus*
*Rite colebantur, temploque, domoque recepit:*
*Urbemque ostendit, delubraque vota, duasque*
*Latona quondam stirpes pariente retentas.*

v. 12. *Sonantum* ] Pro *sonantium*, quomodo Virgilius 7. Æneidos v. 15.

*Hinc exaudiri gemitus iræque leonum*
*Vincla recusantum & sera sub nocte rudentum.*

Quod si *sonantium* legere malis, erit synæresis poetis familiaris.

v. 13.

Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis:
Tu potens Trivia, & notho es

Dicta

v. 13. *Tu Lucina* &c. ] Cicero lib. 2. de Nat. Deorum: *Luna a lucendo nominata est: eadem enim est Lucina*. Quapropter vox *Luna* videtur per syncopen facta a *Lucina*. Memorabilia sunt verba Macrobii lib. 7. Saturnaliorum cap. ultimo. *Hinc est*, ait, *quod Diana, quæ Luna est*, ἄρτεμις *dicitur, quasi* ἀερότεμις, *hoc est aerem secans. Lucina a parturientibus invocatur, quia proprium ejus munus est distendere rimas corporis, & meatibus viam dare; quod est ad celerandos partus salutare*.

v. 15. *Notho es Dicta lumine Luna* ] Operæ pretium est audire Quinctilianum lib. 3. Instit. Orator. cap. 6. Νόθον, ait, *qui non sit legitimus, Græci vocant. Latinum rei nomen, ut Cato quoque in oratione quadam testatus est, non habemus, ideoque utimur peregrino*. Qui Physicam & Astronomiam vel primoribus labris attigerunt, iis perspectum est, lumen quo Luna fulget, a Sole proficisci; id propterea Catullus appellat *nothum*, videlicet spurium, & aliunde sumtum; quemadmodum & Lucretius lib. 5. v. 575. qui tamen, Epicuri vestigiis insistens, docentis, unius abditæ rei plures caussas afferri posse, eorum opinionem non minus probabilem putat qui dixerunt, Lunæ globum altera sui parte candenti luce perfusum, altera obscurum esse; cum autem circum axem vertatur, nobis modo obscuram, modo lucidam faciem objicere: hinc propterea fieri, ut Luna apparere, crescere, plenitudinem adipisci, deinde minui, ac tandem evanescere videatur. Cujus opinionis meminit D. Augustinus Enarratione in Psalmum 10. num. 3. his verbis: *Duæ sunt de Luna opiniones probabiles: harum autem quæ vera sit, aut non omnino, aut difficillime arbitror posse hominem scire. Cum enim quæritur, unde lumen habeat; alii dicunt suum habere, sed globum ejus dimidium lucere, dimidium autem obscurum esse; dum autem movetur in circulo suo, eamdem partem qua lucet, paullatim ad terram converti, ut videri a nobis possit; & ideo prius quasi corniculatam apparere. Nam & si facias pilam ex dimidia parte candidam, & ex dimidia obscuram, si eam partem quæ obscura est, ante oculos habeas, nihil candoris vides: & cum cœperis illam candidam partem ad oculos convertere, si paullatim facias, primo cornua candoris videbis: deinde paullatim crescit, donec tota pars candens opponatur oculis, & nihil obscuræ alterius partis videatur: quod si perseveres adhuc paullatim convertere, incipit obscuritas apparere, & candor minui, donec iterum ad cornua redeat, & postremo totus ab oculis avertatur, ac rursus obscura illa pars sola possit videri: quod fieri dicunt cum lumen Lunæ videtur crescere usque ad quintam decimam lunam, & rursus usque ad tricesimam minui, donec penitus nihil in ea lucis appareat. - - - - - Alii autem dicunt, non habere Lunam lumen proprium, sed a Sole illustrari: sed quando cum illo est, eam partem ad nos habere qua non illustratur, & ideo nihil in ea lucis videri: cum autem incipit ab illo recedere, illustrari ab ea etiam parte quam habet ad terram; & necessario incipere a cornibus, donec fiat quinta decima contra Solem: (tunc enim Sole occidente oritur, ut quisquis occidentem Solem observaverit, cum eum cœperit non videre, conversus ad orientem, Lunam surgere videat:) atque inde ex alia parte cum ei cœperit propinqua-*

Dicta lumine Luna.
Tu cursu, dea, menstruo
Metiens iter annuum,
Rustica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.

Sis

*quare, illam partem ad nos convertere qua non illustratur, donec ad cornua redeat, atque inde omnino non appareat: quia tunc pars illa quæ illustratur, sursum est ad cælum; ad terram autem illa quam radiare Sol non potest.* Hæ fuerunt veterum philosophorum de lumine Lunæ opiniones maxime celebres. Qua de re dubitationem instituit etiam Philo Judæus in libro de Insomniis non longe ab initio, his verbis: τί δὲ σελήνη; πότερον γνήσιον, ἢ νόθον ἐπιφέρεται φέγγος; ἡλιακαῖς ἐπιλαμπόμενον ἀκτῖσιν, ἢ κατ' αὐτὸ μόνον ἴδιον, ἢ τούτων οὐδέτερον, τὸ δ' ἐξ ἀμφοῖν, ὡς ἂν ἐξ οἰκείου καὶ ἀλλοτρίου πυρὸς κρᾶμα; i. e. *Quid Luna porro? verum germanumque, an nothum præfert lumen? quod solaribus radiis illuceat? an propriis? An horum neutrum est? sed potius quoddam ex duobus temperamentum, ex proprio nimirum igne & alieno?* Duarum porro sententiarum quas memorat D. Augustinus, prima jamdiu probabilis esse desiit: altera, quamquam veritati propior, erroris aliquid nihilominus admixtum habet. Recentioribus enim Physicis & Astronomis certum & exploratum est, Lunam corpus esse opacum, & propria luce destitutum: recessu autem a Sole illuminari, accessu ad eumdem obscurari. Præterea, Lunam nobis eamdem semper faciem obvertere, quod e maculis in illa apparentibus manifestum fit. Hoc autem olim docuerat Aristoteles cap. 8. lib. 2. de Cælo. Volvitur ergo Luna in vorticem seu gyrum, quam conversionem δίνησιν Græci appellant; & suorum polorum alterum nobis obversum habet, alterum in parte opposita, quæ semper nos latet. Lucianus in Icaromenippo Lunam ipsam inducit ita de philosophis conquerentem: τὸ τελευταῖον δὲ, καὶ τὸ φῶς αὐτὸ, κλοπιμαῖόν τε καὶ νόθον εἶναί φασί μοι, ἄνωθεν ἧκον, παρὰ τοῦ ἡλίου. *Postremo ipsum quoque lumen ajunt mihi & furtivum esse & nothum: quodque superne a Sole proficiscatur.* Optima sunt quæ ad hunc Catulli locum illustrandum contulit Janus Douza filius.

v. 17. *Cursu menstruo* ] Varro pariter Rei Rusticæ lib. 1. cap. 5. *Quarta pars*, inquit, *de temporibus, quæ ad Solis circuitum annuum sint referenda, & quæ ad Lunæ menstruum cursum*. Cicero de Nat. Deorum lib. 2. *Sol duabus unius orbis ultimis partibus definiens motum, cursus annuos conficit. hujus hanc illustrationem, ejusdem incensa radiis, menstruo spatio Luna complet*. Iccirco Propertius Elegia 3. lib. 3.

- - - - - *unde coactis*
*Cornibus in plenum menstrua Luna redit*.

v. 20. *Tecta frugibus exples* ] Id etiam Lucilius Balbus apud Ciceronem lib. 2. de Nat. Deorum Lunæ tribuit his verbis: *Ab eoque ( Sole ) Luna illuminata graviditates & partus afferat, maturitatemque gignendi*. Copiosius vero Seneca lib. 4. de Benefic. cap. 23. *Num dubium est*, ait, *quin hoc humani generis domicilium, circuitus Solis ac Lunæ, vicibus suis temperet? quin alterius calore alantur corpora, terræ relaxentur, immodici humores comprimantur, alligantis omnia hiemis tristitia frangatur: alterius tepore effi-*

Sis quocumque tibi placet
Sancta nomine, Romulique,
Ancique, ut solita es, bona

So-

*efficaci & penetrabili rigetur maturitas frugum? quin ad hujus cursum fecunditas humana respondeat? quin ille annum observabilem fecerit circumactu suo; hac mensem, minoribus se spatiis flectens?* Quibus consentit Plinius lib. 18. cap. 13. Nat. Hist. *Crescente*, inquit, *Luna frumenta grandescunt*.

v. 21. *Sis quocumque tibi placet Sancta nomine* ] Plura nomina Dianæ fuisse, cum alii scriptores antiqui, tum Palæphatus testatur in libro de Incredibilibus cap. 32. cujus hæc sunt verba: καλοῦσι δὲ τὴν Ἀθηνᾶν Κυρηναῖοι Γοργόνην, ὥσπερ τὴν Ἄρτεμιν Θρᾶκες Βένδειαν, Κρῆτες δὲ Δίκτυνναν, Λακεδαιμόνιοι δὲ Οὖπιν. *Vocant autem Minervam Cyrenai Gorgonem, quemadmodum Dianam Thraces Bendeam, Cretes Dictynnam, Lacedæmonii vero Upin*. Horatius pariter Carmine seculari:

*Rite maturos aperire partus*
*Lenis Ilithyia, tuere matres:*
*Sive tu Lucina probas vocari,*
*Seu genitalis. .*

Quæ nomina Juppiter pater ei roganti concessit. Auctor Callimachus Hymno in eamdem v. 7. qui verbis ipsius ad Jovem ita cecinit:

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν,
Καὶ πολυωνυμίην - - - - -
*Da mihi virginitatem æternam, pater, servare,*
*Et multitudinem nominum* - - -

Ad quem locum vide doctissimum Spanhemium. Porro memorabile est quod scribit Plato in Cratylo de diis universis: ἐν ταῖς εὐχαῖς νόμος ἐστὶν ἡμῖν εὔχεσθαι οἵτινές τε καὶ ὁπόθεν χαίρουσιν ὀνομαζόμενοι (οἱ θεοὶ) ταῦτα καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς καλεῖν. i. e. *In precationibus lex jubet uti deos precemur iis nominibus quibus, & unde, quavisve ratione gaudent nominari; iis & illos nominibus invocemus*. Cui Platonis loco respondent verba illa D. Augustini lib. 21. de Civit. Dei cap. 6. *Neque enim potuit, nisi primum ipsis docentibus* (dæmonibus) *disci quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur: unde magicæ artes, earumque artifices extiterunt*. Ceterum, ut hanc πολυωνυμίαν profani scriptores diis gentium tribuunt, ad eorum multiplicem vim ac potestatem commodius exprimendam, ita, & potiori quidem jure, Christiani Theologi summo & omnium rerum principi Deo tribuendam esse docent. Audiamus Basilium Magnum lib. 1. contra Eunomium: Ἓν μὲν οὐδέν ἐστιν ὄνομα, inquit, ὃ πᾶσαν ἐξαρκεῖ τὴν τοῦ Θεοῦ φύσιν περιλαβὸν, ἱκανῶς ἐξαγγεῖλαι. πλείω δὲ, καὶ ποικίλα κατ' ἰδίαν ἕκαστον σημασίαν. *Nullum nomen est quod unum totam Dei naturam comprehendat, & quantum satis est, explicet. Quare multa sunt ac diversa, quæ singula propriam habent significationem*.

v. 23. *Ancique* ] Optimi regis, qui post Romulum alter quasi urbis conditor habitus est. De illo Ennius 3. Annali:

*Postquam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit*.

quem versum optime explicat Hieronymus Columna in Commentariis. Ceterum reges omnes Romanos qui Tarquinium Superbum ætate antecesserunt, laudibus ita extollit Livius initio lib. 2. ab U. C. *Quæ libertas ut lætior esset, proximi regis superbia fecerat. nam priores ita regnârunt, ut haud immerito omnes deinceps conditores partium cœpta urbis,*

quas

Sospites ope gentem.

## XXXV.

POETÆ tenero, meo sodali,
Velim Cæcilio, papyre, dicas:
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi

*quas novas ipsi sedes ab se aucta multitudini addiderunt, numerentur.*

ibid. *Bona ope* ] Noster infra Elegia ad Januam v. 2.

*Salve, teque bona Juppiter auctet ope.*

v. 24. *Sospites* ] Incolumem serves. Livius lib. 1. Histor. *Deinde a paucis initio facto, deum deo natum, regem parentemque urbis Romanæ salvere universi Romulum jubent: pacem precibus exposcunt, uti volens propitius suam semper sospitet progeniem.*

ARGUM. CARM. XXXV.] Cæcilium poetam, sodalem suum, Novocomo, ubi puellæ cujusdam eruditæ amoribus vacabat, rogatu amici communis Veronam arcessit.

v. 1. *Poeta tenero* ] Hinc facile colligere possumus, Cæcilium istum Lyricorum aut Elegorum scriptorem fuisse, atque Lyrico vel Elegiaco carmine magnam matrem, ejusque amores celebravisse. Qui enim hoc in genere stylum exercerent, *teneri* proprie vocabantur. Sane Pentameter versus, quo in Elegia utuntur, mollis & fractus est. Deinde materia ipsa horum carminum; luctus puta, amores, nuptiæ, convivia, & alia hujusmodi; ab heroica majestate prorsus abhorret. Testis locuples Ovidius in Remediis Amoris v. 757.

*Eloquar invitus: teneros ne tange poetas.*
*Summoveo dotes impius ipse meas.*
*Callimachum fugito; non est inimicus Amori:*
*Et cum Callimacho tu quoque, Coe, noces.*
*Me certe Sappho meliorem fecit amicæ:*
*Nec rigidos mores Teia Musa dedit.*
*Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli,*
*Vel tua, cujus opus Cynthia sola fuit?*
*Quis potuit lecto durus discedere Gallo?*
*Et mea nescio quid carmina dulce sonant.*

Amatorem, qui morbo suo mederi velit, deterret Ovidius a lectione tenerorum poetarum, in quorum numerum refert Callimachum & Philetam Coum, Elegiæ principes apud Græcos; Tibullum, Propertium, Gallum, se ipsum, eodem carminis genere excellentes apud Latinos; præterea Sappho, ac Tejum Anacreontem, Lyricos & amatorios scriptores. Vide Horat. Arte Poet. v. 83.

v. 2. *Cæcilio* ] Quis fuerit Cæcilius iste, Catulli amicus, ignotum est. Alius enim ab eo fuit Cæcilius Statius, poeta Comicus, cui palmam in scribenda Comœdia dare se ait Volcatius quidam Sedigitus apud Gellium, consentiente, quod attinet ad argumenta fabularum, M. Varrone: quem tamen *malum Latinitatis auctorem* Cicero alicubi appellat. nam Cæcilius ille longe ante Catulli tempora floruit.

ibid. *Papyre* ] Chartam suam alloquitur, e papyro confectam. Est autem papyrus frutex Ægyptiacus. Ita Ovidius sæpenumero ad epistolam, vel ad librum suum, sermonem convertit.

v. 3. *Novi relinquens Comi m.* ] De hoc oppido ita Strabo lib. 5. Geographiæ: αὕτη ( Κῶμον ) δ' ἦν μὲν κατοικία μι-

Comi mœnia, Lariumque litus.
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui, meique.
Quare si sapiet, viam vorabit;
Quamvis candida millies puella
Euntem revocet, manusque collo
Ambas injiciens roget morari:
Quæ nunc, si mihi vera nuntiantur,
Illum deperit impotente amore.
Nam quo tempore legit inchoatam

Din-

μετρία. Πομπήϊος δὲ Στράβων ὁ Μάγνου πατὴρ κακωθεῖσαν ὑπὸ τῶν ὑπερκειμένων Ῥαιτῶν συνῴκισεν· εἶτα Γάϊος Σκιπίων ὡς τρισχιλίους προσέθηκεν· εἶτα ὁ θεὸς Καῖσαρ πεντακισχιλίους ἐπισυνῴκισεν. ὧν οἱ πεντακόσιοι τῶν Ἑλλήνων ὑπῆρξαν οἱ ἐπιφανέστατοι. τούτοις δὲ καὶ πολιτείαν ἔδωκε, καὶ ἐνέγραψεν αὐτοὺς εἰς τοὺς συνοίκους· οὐ μέντοι ᾤκησαν αὐτόθι, ἀλλὰ καὶ τοὔνομά γε τῷ κτίσματι ἐκεῖνοι κατέλιπον. Νεοκωμῖται γὰρ ἐκλήθησαν ἅπαντες. τοῦτο δὲ μεθερμηνευθὲν Νοβουμκώμουμ λέγεται. i.e. *Fuit initio oppidum mediocre* (Comum): *sed Pompejus Strabo Magni pater afflictum a supra accolentibus Rhætis instauravit. Deinde C. Scipio ad tria colonorum millia adjecit. quibus iterum Divus Cæsar quinque millia addidit, de quibus quingenti fuerunt Græci, maxime illustres. His & jus civitatis dedit, & inter colonos eorum nomina retulit, qui tamen Græci ibi sedes non posuerunt, sed coloniæ isti nomen reliquerunt, ut Neocomitæ* (Græca scilicet lingua) *oppidani omnes appellarentur. Hoc autem oppidum Latino sermone Novum Comum dicitur.*

v. 4. *Lariumque litus* ] Ripam lacus Larii; de quo Strabo memoratus, eodem libro: Ἐγγὺς δὲ, inquit, τοῦ χωρίου τούτου λίμνη Λάριος καλουμένη. πληροῖ δ' αὐτὴν ὁ Ἀδούας ποταμός. *Prope hunc locum est Larius lacus, quem Addua fluvius facit.*

v. 7. *Si sapiet* ] Hac loquendi formula sæpius utebantur antiqui, ut apud Ovidium præcipue videre est; cujus hunc versiculum e poemate deperdito, Martialis affert Epigrammate 41. lib. 2.

*Ride, si sapis, o puella, ride.*

ibid. *Viam vorabit* ] Citissime conficiet, perinde ac helluones solent cibos appositos.

v. 8. *Candida puella* ] Formosa. candor enim ad formam pertinet. vide supra Carmen 13.

v. 9. *Euntem revocet* ] Id solenne amantibus. Propertius Elegia 6. lib. 1.

*Sed me complexæ remorantur verba puellæ,*
*Mutatoque graves sæpe colore preces.*

v. 12. *Illum deperit impotente amore* ] *Deperire*, est perdite amare, perire propter aliquid: *de* enim hic significationem intendit. *Impotens amor* est effrenis, qui se temperare non potest. Sic Aquilonem, ventum vehementissimum, *impotentem* vocavit Horatius Ode 30. lib. 3.

v. 13. *Quo tempore* &c. *ex eo* &c. ] Μετάθεσις verborum elegans. Est autem ordo: *Ex eo tempore quo legit* &c. Hujus figuræ insigne exemplum animadverti apud M. Tullium Epist. 4. lib. 2. (Exspectationem) *una re facillime vinces, si hoc statueris, Quarum laudum glo-*

*riam*

Dindymi dominam, ex eo misellæ
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignosco tibi, Sapphicâ puella
Musâ doctior; est enim venuste
Magna Cæcilio inchoata mater.

## X X X V I.

Annales Volusî cacata charta,
Votum solvite pro mea puella.
Nam sanctæ Veneri, Cupidinique

Vo-

*riam adamaris, quibus artibus ea laudes comparantur, in iis esse laborandum.*

ibid. *Inchoatam* ] Aut incœptam, & primis quasi lineamentis deformatam; aut perfectam, & ad umbilicum adductam: nam *inchoare*, nonnumquam esse *perficere*, & *consummare*, viri docti optime monuerunt. Priori explicationi favet locus ille Ciceronis in Oratore ad Brutum: *Referamus nos igitur ad eum quem volumus, inchoandum, & eadem eloquentia informandum, quam in nullo cognovit Antonius.*

v. 14. *Dindymi dominam* ] Cybelen, deorum genitricem; quæ & Rhea, & Berecynthia, & Ops, & magna mater, & Dindymene, quod in Dindymo Phrygiæ majoris monte coleretur. Vide Strabonem lib. 12. Geographiæ: item Pausaniam in Achaicis, Arcadicis, & Bœoticis.

v. 15. *Interiorem medullam* ] Eodem pacto infra de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 92.

*- - Toto concepit pectore flammam*
*Funditus, atque imis exarsit tota medullis.*

v. 16. *Sapphicâ Musâ doctior* ] I. e. Sappho ipsâ, poetriâ nobilissimâ, quæ Musarum decima ab antiquis habita est.

Argum. Carm. XXXVI. ] Puella Catulli amica voverat Veneri & Cupidini, si cum amatore in gratiam rediisset, pessimi poetæ scripta igni se daturam: nunc itaque Catullus ipsi reconciliatus, ut eam voti religione solvat, Annales Volusii, tamquam opus ineptissimum, cremandos ait.

v. 1. *Annales Volusî* ] Scripserat prior Q. Ennius Annales carmine, quem Volusius iste secutus est, sed iratis Musis, si Catullum audimus.

ibid. *Cacata charta* ] Rem similem verbo paullo minus fœdo significare voluit Martialis Epigram. 90. lib. 11.

*Attonitusque legis* terraï frugiferaï,
*Accius & quicquid, Pacuviusque vomunt.*

Nisi dicamus, *chartam cacatam* (sit honos auribus) esse quasi concacatam, seu stercore illitam. Phædrus Augusti libertus Fabula 17. lib. 4. de canibus ad Jovem legatis:

*Tum vero vultum magni ut viderunt Jovis,*
*Totam timentes concacârunt regiam.*

Nonnumquam enim poetæ verbis simplicibus utuntur pro compositis.

v. 2. *Votum solvite* ] Puellæ fidem liberate. Virgilius 1. Georgic. v. 436.

*Votaque servati solvent in litore nautæ*
*Cl...*

Vovit, si sibi restitutus essem,
Desissemque truces vibrare jambos,
Electissima pessimi poetæ
Scripta tardipedi deo daturam
Infelicibus ustulanda lignis.

Et

*Glauco, & Panopea, & Inoo Melicerta.*

v. 4. *Restitutus* ] Animo reconciliatus. Fuerant enim inimicitiæ Catullum inter & puellam. Vide supra Carm. 11. Id Horatius Ode 16. lib. 1. dixit *animum reddere*.

*- - - nunc ego mitibus*
*Mutare quæro tristia, dum mihi*
*Fias recantatis amica*
*Opprobriis, animumque reddas.*

v. 5. *Truces vibrare jambos* ] Tamquam sagittas venenatas. Est enim jambus, pes dicatus maledicentiæ & conviciis. Horatius in Arte v. 79.

*Archilochum proprio rabies armavit iambo.*

v. 6. *Electissima p. p. Scripta* ] Ut enim optima de bonis, ita pessima de malis eligi ac seponi dicuntur. Illud tamen proprie, hoc per *κατάχρησιν*.

v. 7. *Tardipedi deo* ] Vulcano claudicanti. De quo Auctor liberi carminis Epigr. 36.

*Tutela Lemni dispares movet gressus*: Hæc Vulcani debilitas diis reliquis ludibrio esse putabatur. Propterea fingit Homerus Iliados 1. v. 599. eo ministrante in deorum convivio, ac poculum circumferente, maximum in cælo risum excitatum.

v. 8. *Infelicibus ustulanda lignis* ] Quæ sint ligna felicia, quæ item infelicia, docet Pompejus Festus: *Felices*, inquit, *arbores Cato dicit, quæ fructum ferunt; infelices, quæ non ferunt*. Et copiosius Macrobius cap. 16. lib. 2. Saturnal. cujus hæc sunt: *Ait enim Veranius de verbis pontificalibus: - - Felices arbores putantur esse, quercus, æsculus, ilex, suber, fagus, corylus, sorbus, ficus alba, pirus, malus, vitis, prunus, cornus, lotus. - - Tarquinius item Priscus in Ostentario arborario sic ait: - - Arbores quæ inferorum deorum avertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominant, alternum sanguinem, filicem, ficum atram, quæque baccam nigram nigrosque fructus ferunt, itemque acrifolium, pirum silvaticum, ruscum, rubum, sentesque, quibus portenta prodigiaque mala comburi jubere oportet*. Utriusque generis multiplex erat usus apud Romanos varia superstitione laborantes. Fabius Pictor, historicus vetustissimus, referente Gellio lib. 10. cap. 15. *Unguium Dialis & capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur*. Livius contra lib. 1. Histor. de P. Horatio, qui tres Curiatios, & postea sororem suam interfecerat: *Lex*, ait, *horrendi carminis erat: Duumviri perduellionem judicent. Si a Duumviris provocâris, provocatione certato: si vincent, caput obnubito: infelici arbori reste suspendito*. Ceterum, *triste lignum* appellat Venusinus poeta id cujus improviso casu pæne oppressus fuerat, Ode 13. lib. 2.

ibid. *Ustulanda* ] Cremanda, comburenda. Ex hoc verbo derivata *ambustulatus* & *seminstulatus*. Plautus Rudente Ac. 3. Sc. 4. v. 65.

*Teque ambustulatum objiciam magnis avibus pabulum.*

Cicero pro Milone: *Tu P. Clodii cruentum cadaver........ infelicissimis lignis seminstulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.*

Q v. 9.

Et hæc pessima se puella vidit
Jocose & lepide vovere divis.
Nunc o cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium, Syrosque apertos,
Quæque Ancona, Cnidumque arundinosam
Co-

v. 9. *Pessima puella* ] Itali dicerent: *la fanciulla accortissima*. Sic infra Carmine 55.

*Camerium mihi, pessima puella.*

ubi τὸ *pessima* vox est blanditiarum. Contra, *homo minime malus* Ciceroni est homo simplex, & fraudis ignarus, qui ex sua natura ceteros æstimat, ideoque malorum insidiis apertum latus objicere solet. Porro, ut id obiter moneam, jocis liberioribus amici uti inter se consueverunt, qui si ex inimici, aut etiam minus familiaris ore prodirent, contumeliæ haberentur. Iccirco Terentius morem expressit, apud quem Eunucho Ac. 3. Sc. 5. v. 49. Antipho adolescens Chæream sodalem suum his verbis urbane illudit:

*Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem,*
*Qui esset status, flabellum tenere te asinum tantum.*

ibid. *Vidit* ] I. e. sensit, non ignoravit: vel curavit, cavit. quasi diceret Catullus: Vidit callida puella, Volusii Annales esse poematum omnium ineptissimum, ideoque non alia carmina, sed illos potissimum Vulcano se daturam juravit. Eodem prope pacto Cicero Epistola 2. lib. 7. ad M. Marium: *Sed eo vidisti multum, quod præfinisti, quo ne pluris emerem.* Et Oratione 3. in C. Verrem: *Etenim*, ait, *qua stultitia fuissem, si, quam diem qui illum eripiendum redemerunt, in cautione viderunt, quum ita caverent, si post Kal. Januarias in consilium iretur: in eam diem ego, quum potuissem vitare, incidissem?* Idem Tullius Academic. Quæst. editionis 1. lib. 2. *Nec quicquam aliud videndum est nobis, quos populus Romanus hoc in gradu collocavit, nisi ne quid privatis studiis de opera publica detrahamus.*

v. 12. *Syrosque apertos* ] Locus mirum in modum vexatus. Mihi hæc lectio præ ceteris placet, quam Vossius ex vestigiis antiquorum codicum eruit, atque optimis argumentis confirmavit. *Syri* hic sunt Assyrii; nam Assyria olim etiam *Syria* dicta; quos *apertos* propterea vocat poeta noster, quod planas & undique patentes regiones incolerent. Venus ab iis colebatur nomine Astarte. De qua ita Cicero lib. 3. de Nat. Deorum: *Quarta (Venus) Syria Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est.* Nec non Minutius Felix in Octavio: *Videmus colere Astarten Syros.* Fuit etiam insigne templum Veneris Cælestis Ascalone urbe Syriæ Palæstinæ, inter Gazam & Azotum, quod omnium Veneris templorum vetustissimum existimat Herodotus in Clio, ab eoque profecta narrat fana deæ nobilissima, Cyprium, & Cytheriacum.

v. 13. *Cnidumque* ] Cnidii Venerem in primis coluerunt; ejusque templa apud illos fuerunt variis deæ cognominibus: vetustissimum omnium Doritidis; Acreæ alterum; postremum, quam Cnidiam plerique omnes, at Cnidii Euplœan Venerem, non Cnidiam appellabant. teste Pausania capite 1. libri 1. Atticorum. De his regionibus & oppidis a Catullo memoratis consule Indicem nostrum.

v. 14.

Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos,
Quæque Durrhachium Hadriæ tabernam:
Acceptum face, redditumque votum,
Si non illepidum, neque invenuſtum eſt.
At vos interea venite in ignem
Pleni ruris, & inficetiarum,
Annales Voluſi cacata charta.

## XXXVII.

Salax taberna, voſque contubernales,

A

v. 14. *Golgos* ] Catullus iterum de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 96.

*Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondoſum*.

v. 15. *Durrhachium Hadriæ tabernam* ] Oppidum Macedoniæ, mercatura olim celebre, in quo Illyrii, & omnes Hadriaticum mare accolentes, negotiabantur; ut recte Voſſius. Græci libentius id Epidamnum appellabant. Livius teſtis lib. 43. Hiſtor. *Teneſtarum obſides*, ait, *Apolloniam, Parthinorum Dyrrhachium ( tum Epidamni magis celebre nomen Græcis erat ) miſſi*. Quemadmodum vero hanc urbem *Hadriæ tabernam* dicit Catullus, ita Sicilia ob tritici & aliarum frugum copiam, *horreum Romanorum* audiebat.

v. 16. *Acceptum face votum* ] Solve me voti religione.

v. 19. *Ruris* ] Infantiæ ac ſtribliginis, quæ ruſticum hominem, non urbanum, deceat. Supra Carmine 22.

*Idem infaceto eſt inficetior rure*
*Simul poemata attigit - - - - -*

Argum. Carm. XXXVII. ] Contubernalibus quibuſdam libidinoſis, qui puellam ab ipſo fugitivam apud ſe detinebant, ſupplicium & infamiam minatur.

v. 1. *Salax taberna* ] Fortaſſe Lesbia, ſeu quæcumque fuit puella iſta, de cujus fuga tantopere Catullus conqueritur, cauponam aliquam, videlicet tabernam vinariam, aut diverſoriam inſtituerat, quam καπήλιον καὶ πανδόκιον Suidas vocat; vel thermopolium, ubi antiqui calidam potare ſoliti erant: eoque in loco, advenientibus, ſive illi cives eſſent, ſive peregrini, largiſſime ſui copiam faciebat. Nam hujuſmodi mulieres plerumque ſaltatrices, & meretrices erant. Vetus Epigramma, quod communis eruditorum conſenſus Virgilio tribuit:

*Copa Syriſca, caput Graja redimita mitella,*
*Criſpum ſub crotalo docta movere latus:*
*Ebria famoſa ſaltat laſciva taberna,*
*Ad cubitum raucos excutiens calamos.*

Plautus Pſeudolo Ac. 2. Sc. 2. v. 63.

*Ego devortor extra portam huc in tabernam tertiam,*
*Apud anum illam diobolarem, eludam, craſſam, Chryſidem.*

Ad has porro tabernas conventus fiebant hominum otioſorum, & maxime Græculorum, qui ſedentes ibi diſputanteſque diem terebant. Idem Plautus teſtis Curculione Ac. 2. Sc. 3. v. 9.

*Tum iſti Græci palliati, capite operto qui ambulant,*

A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere quicquid est puellarum
Confutuere, & putare ceteros hircos?

An,

*Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis,*
*Constant, conferunt sermones inter sese drapetæ*
\- - - - - - - - - - -
*Quos semper videas bibentes esse in thermopolio:*
*Ubi quid surripuere, operto capitulo calidum bibunt.*

*Drapetæ* sunt servi fugitivi. Hinc autem colligere licet, furciferos hosce in tabernis nonnumquam delituisse. Lesbiam certe meretricium quæstum fecisse, aperte satis affirmat poeta noster Carmine 58. Verius tamen existimo, hanc *tabernam*, quam Catullus jure ac merito *salacem* appellat, fornicem ipsum, aut lupanar fuisse; *contubernales* autem quos memorat, scortatores, qui ad unam eamdemque meretricem ventitabant. Quam sententiam confirmant ea poetæ verba *Consedit istic:* scorta enim sedebant in hujusmodi tabernis, vel etiam pro foribus earum. Hinc *prosedæ*, & *prostibula*. Id porro Græci vocabant ἐπ' ἐργαστηρίου καθῆσθαι. Demosthenes contra Neæram, ita de hisce feminis, verbis legis: ὁπόσαι ἂν ἐπ' ἐργαστηρίου κάθωνται, ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσί τι ἀποπεφασμένως. *Quæcumque in taberna sederint, aut in foro aliquid palam vendiderint.* Neque solum infames mulierculæ, verum etiam impudici adolescentuli (honos sit auribus) in tabernis apud Græcos æra merebant, ibique sedentes amatorum adventum exspectabant. Id testatur Æschines in oratione adversus Timarchum, quem impudicitiæ accusat, οὗτος γὰρ, inquit, πρῶτον πάντων μὲν ἐπειδὴ ἀπηλλάγη ἐκ παίδων, ἐκάθητο ἐν Πειραιεῖ ἐπὶ τοῦ Εὐθυδίκου ἰατρείου· προφάσει μὲν τῆς τέχνης μαθητής, τῇ δ' ἀληθείᾳ πωλεῖν ἑαυτὸν προῃρημένος· ὡς αὐτὸ ἔδειξεν. i. e. *Iste primum omnium, pueritiam egressus, sedit in Pireæo, in Euthydici medici taberna, per caussam discendæ artis: eum, si res ipsa spectetur, se venditare instituisset: ut eventus declaravit.* Ex quo Æschinis loco satis apparet, medicinas, seu medicorum officinas, iis temporibus loca minus casta & severa fuisse.

v. 2. *A pileatis fratribus* ] Nimirum a templo Castoris & Pollucis, fratrum geminorum, quod Romæ situm erat in foro prope lacum Juturnæ. Hi autem pileati fingebantur, vel quod ex ovo prodiissent, cujus dimidiatum putamen pilei quodammodo figuram refert, vel quod pileus non libertatis modo, sed etiam nobilitatis insigne esset; ut recte Vossius. Porro Pausanias in rebus Messenicis cap. 27. describit nobis Gonippum & Panormum, Dioscuros se esse simulantes, gestantesque iccirco ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς πίλους. *pileos in capitibus.*

ibid. *Nona pila* ] Nam pilæ, seu columellæ ante tabernas statuebantur; quod facilius in oculos prætereuntium incurrerent. Horatius Satyra 4. lib. 1. v. 71.

*Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.*

v. 5. *Hircos* ] Et quidem vetulos, qui viribus defecti, *capreis naturam ligurriunt*, ut legitur apud Suetonium in Tiberio cap. 45. vel castratos, de quibus Demipho ille apud Plautum Mercatore Ac. 2. Se. 2. v. 3.

*Nec omen illud mihi, nec auspicium placet.*

Qua-

An, continenter quod sedetis insulsi
Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
Me una ducentos irrumare sessores?
Atqui putate; namque totius vobis
Frontem tabernæ scipionibus scribam.
Puella nam mea, quæ meo sinu fugit,

Ama-

*Quasi hircum, metuo, ne uxor me castret mea.*

Sunt qui *hirtos* interpretentur homines hircum olentes, i. e. tætro axillarum odore laborantes, quem odorem *tragum* vocat Martialis. Τράγος enim Græcis, id quod *hircus* Latinis. Hi autem puellis elegantioribus odiosi. Vide infra Carmen 68.

v. 6. *Continenter* ] Deinceps, perpetua quadam serie. Ut autem Catullus de loco, ita Cæsar lib. 1. Belli Gall. cap. 1. de tempore idem adverbium usurpavit. *Proximi sunt*, inquit, *Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt.*

v. 8. *Irrumare* ] Floccifacere, pro nihilo habere. Vide quæ diximus de hoc verbo ad Carmen 10. & 28.

v. 10. *Scipionibus* ] Semiustis baculis. Plerumque autem carbone inscribebantur fores. Plautus Mercatore Ac. 2. Sc. 3. v. 74.

*Impleantur meæ fores elogiorum, carbonibus.*

Verum frons tabernæ, quod altior esset, nonnisi scipionibus adhibitis notari poterat. De hujusmodi taberna ita Martialis Epigram. 118. lib. 1.

*Contra Cæsaris est forum taberna*
*Scriptis postibus hinc & inde totis,*
*Omnes ut cito perlegas poetas.*

Mos etiam fuit apud veteres, sacellorum parietes carminibus illinere, quæ ex tempore quis fecisset. Auctor Carminis in Priapum Epigram. 2.

*Ergo quicquid id est quod otiosus*
*Templi parietibus tui notavi,*
*In partem accipias bonam rogamus.*

Immo & fornices. Martialis modo memoratus Epigram. 61. lib. 12.

*Quæras, censeo, si legi laboras,*
*Nigri fornicis ebrium poetam,*
*Qui carbone rudi, putrique creta*
*Scribit carmina, quæ legunt cacantes.*

Hujus moris vestigium exstat apud Hesychium Illustrium, qui in Diodoro Crono ita scribit: ἀεὶ τότε φησὶ Καλλίμαχος ἐν ἐπιγράμμασι. αὐτὸς ὁ Μῶμος ἔγραφεν ἐν τοίχοις, ὁ Κρόνος ἐστὶ σοφός. i. e. *Ipse Momus inscripsit parietibus, Cronus est sapiens.*

v. 11. *Quæ meo sinu fugit* ] Puellæ & pueri pathici, *e sinu & complexu* dicebantur. Cicero Actione 3. in C. Verrem: *Calumniatores*, inquit, *ex sinu suo apposuit, qui illam hereditatem Veneri Erycinæ commissam esse dicerent.* Non erant hi familiares tantum prætoris, verum etiam exoleti, inter quos Verres ille spurcissime volutabatur. Sciunt eruditi, M. Tullium hujusmodi maledictis non pepercisse, cum illud monstrum hominis incesseret. Apertius tamen Oratione 2. in Catilinam: *Postremum autem genus est, non solum numero, verum etiam genere ipso atque vita, quod proprium est Catilinæ, de ejus delectu, immo vero de complexu ejus ac sinu.* Et paulo post: *In his gregibus aleatores omnes, omnes adulteri, omnes impuri, impudicique versantur.* lege reliqua. Certe Sallustius in Catilina cap. 14. paria de illo tradit his verbis: *Scio fuisse nonnullos qui ita existumarent, juventutem quæ domum Catilinæ frequentabat,*

pa-

Amata tantum, quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic. hanc boni, beatique
Omnes amatis, & quidem, quod indignum est,
Omnes pusilli, & semitarii mœchi.
Tu præter omnes une de capillatis,

Cu-

*parum honeste pudicitiam habuisse*. Græcos quoque eodem modo locutos invenio. Satis erit unum attulisse Plutarchum, qui in Catone minore ita scribit: ὑπάτους δὲ (ἐποίησαν) Πείσωνά τε Καλπούρνιον, ὃς ἦν πατὴρ τῆς Καίσαρος γυναικός, καὶ Γαβίνιον Αὖλον (sic enim omnino legendum, non Παῦλον, quod falso præferunt vulgatæ editiones) ἐκ τῶν Πομπηΐου κόλπων ἄνθρωπον, ὥς φασιν οἱ τὸν τρόπον αὐτοῦ καὶ τὸν βίον εἰδότες. i. e. *Consules fecerunt Calpurnium Pisonem, qui socer erat Cæsaris, & Aulum Gabinium, hominem ex Pompeji sinu, ut ajunt qui mores ejus & vitam nôrunt*. Hunc Plutarchi locum male interpretatur, vir ceteroqui doctissimus, Nicolaus Abramus in Commentariis ad Pisonianam M. Tullii. Eum scilicet aut minus intellexit, aut se minus intelligere simulavit, pudore, credo, impeditus. Ceterum, non negaverim, *de sinu & complexu alicujus esse*, dici posse etiam de homine familiarissimo, qui sit probis & pudicis moribus. Vide, si vacat, Petrum Ciacconium de Triclinio, ubi explicat, quid sit *in sinu recumbere*.

v. 13. *Bella pugnata* ] Locutio elegans, poetis & aliis Latinis scriptoribus frequenter usurpata. Horatius Ode 19. lib. 3.

*Narras & genus Æaci,*
*Et pugnata sacro bella sub Ilio.*

Idem Epistola 16. lib 1.

*Si quis bella tibi terra pugnata, marique*
*Dicat* - - - - -

Valerius Flaccus in calce lib. 1. Argonauticon:

*- - magnos obitus natumque, domumque,*
*Et genus Æolium, pugnataque poscere bella.*

Quibus addo Sallustium Belli Jugurthini cap. 58. *Quæ negotia*, inquit, *multo magis quam prœlium male pugnatum ab suis, regem terrebant*. Livium quoque lib. 8. ab U. C. *Hoc bellum a Consulibus bellatum quidam auctores sunt*.

v. 14. *Consedit istic* ] Sedem stabilem posuit. Porro sedebant meretrices in fornicum limine: atque inde *sellariæ* dictæ, ut docet vetus Scholiastes Juvenalis ad illud Satyræ 3. v. 136.

*Et dubitas alta Chionen deducere sella.*

ibid. *Boni beatique* ] Formosi, & locupletes. εἰρωνικῶς: mox enim ipsos contemnit.

v. 16. *Pusilli mœchi* ] Μικρόψυχοι, sordidi.

ibid. *Semitarii* ] Qui meretrices vilissimas consectamini, obolo in angiportis prostantes. *Semita* est angustior via, ut ex Plauto cognoscere licet, qui Curculione Ac. 2. Sc. 3. v. 8. *Quin tapite sistat in via de semita*. Phædrus prologo lib. 3. de Æsopo fabularum scriptore:

*Ego illius porro semita feci viam,*
*Et cogitavi plura quam reliquerat.*

v. 17. *Une* ] Varro de Lingua Latina lib. 7. testatur, sex hujus vocis esse casus: *unus, unius, uni, unum, une, uno*.

ibid. *De capillatis* ] Celtiberi enim & Hispani capillum promittebant.

v. 18.

Cuniculosæ Celtiberiæ fili,
Egnati, opaca quem bonum facit barba,
Et dens Hibera defricatus urina.

## XXXVIII.

MALE est, Cornifici, tuo Catullo,
Male est mehercule, & laboriose:

Ma-

v. 18. *Cuniculosæ* ] Cuniculos & lepusculos abunde ferentis, non fodinis & metallis excavatæ, ut male Parthenius.

v. 19. *Opaca quem bonum facit barba* ] Adolescentes mediis reipublicæ Romanæ temporibus, ad virilem usque ætatem barbam aluisse, recte docet Octavius Ferrarius Electorum lib. 2. cap. 12. quod Grævius animadvertit ad illud Ciceronis Oratione 2. in Catilinam: *Quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis.* Viri autem ætate provecti, & senes radebantur. Ceterum, similis Catullianæ Pacuvii locutio apud Festum:

*Nunc primum opacat flore lanugo genas.*

Nimis autem exquisite Julianus lib. 2. Anthologiæ cap. 13. εἰς δυσειδῆ

Ἀμητὸς πολύς ἐστι τεῶν κατὰ δάσκιον ὄψιν,
Τῷ σε χρὴ δρεπάνοισι, καὶ οὐ ψαλίδεσσι καρῆναι.

*Multa tibi vultum cum barba messis obumbret,*
*Tonderi facies tibi falce, haud forfice debet.*

v. 20. *Dens Hibera defricatus urina* ] Vide infra Carmen 39.

ARGUM. CARM. XXXVIII. ] Conqueritur de Cornificio sodali suo, quod se mœrore confectum ob amissos amores, vel (quod fortasse verius) ob mortem carissimi fratris, nullo sermone, vel tenui admodum & jejuno solatus esset.

v. 1. *Male est* ] Dicebant etiam *animo male est*, cum quis λειποθυμίᾳ, sive animi defectu laboraret. Plautus Amphitruone Ac. 1. Sc. 1. v. 6.

*Animo male est, aquam velim, corrupta sum, atque absumta sum.*
*Caput dolet, neque audio, neque oculis prospicio satis.*

Item, *animo male fit*, eadem significatione. Labrax leno apud eumdem Rudente Ac. 2. Sc. 6. v. 26.

*Perii, animo male fit, contine quæso caput.*

Quemadmodum vero Catullus *male esse*, ita Ovidius *pejus esse* dixit Epistola Medeæ v. 144.

*Quo propior vox hac, hoc mihi pejus erat.*

ibid. *Cornifici* ] Cornificius hic poeta fuit, Elegiarum scriptor, ut videtur; cujus meminit Ovidius lib. 2. Tristium v. 436. Hunc adversarium Virgilii, ejusque laudum obtrectatorem fuisse ferunt.

ibid. *Tuo Catullo* ] Ita superius Carmine 13.

*- - - - - tui Catulli*
*Plenus sacculus est aranearum.*

& Carmine 14.

*Quem tu scilicet ad tuum Catullum*
*Misti. - - - - - - -*

v. 2. *Mehercule, & laboriose* ] Post vocem *mehercule* negligitur synalœphe, atque hiatus relinquitur: aliter enim ratio versus non constaret. Hiatus hujus-

Magisque, & magis in dies & horas.
Quem tu, quod minimum facillimumque est,
Qua solatus es adlocutione?
Irascor tibi. sic meos amores?

Paul-

jusmodi amabant veteres poetæ. Hoc autem loco laborem ac mœrorem ipsi numeri exprimunt.

v. 3. *In dies & horas* ] Id quod Itali dicimus: *Di giorno in giorno, d' ora in ora*. Hirtius de Bello Africano cap. 1. *Ut omnes in dies horasque parati essent*.

v. 4. *Quod minimum facillimumque est* ] Verba enim minime sumtuosa. *Facile* antiqui dicebant vile, vulgare, quod minimo pretio constabat. Ovidius lib. 13. Metamorph. v. 431. verbis Polyphemi ad Galateam:

*Nec tibi deliciæ faciles, vulgataque tantum*
*Munera contingent*. - - -

Suetonius in Tiberio cap. 50. *Juliæ uxori tantum abfuit, ut relegatæ, quod minimum est, officii aut humanitatis aliquid impertiret, ut ex constitutione patris uno oppido clausam, domo quoque egredi, & commercio hominum frui vetuerit*. Similis interpositio Carmine superiori:

- - - - *& quidem, quod indignum est,*
*Omnes pusilli, & semitarii mœchi*.

v. 5. *Adlocutione* ] *Alloqui* nonnumquam est *solari*, quod Græcis παραμυθῆσαι. Ovidius Tristium lib. 1. Elegia 3.

*Alloquor extremum mæstos abiturus amicos*.

Varro lib. 5. de Lingua Latina: *Hinc allocutum mulieres ire ajunt, cum eunt ad aliquam locutum consolandi caussa*. Sed id jampridem viderunt interpretes nostri poetæ. Adi Petrum Victorium Variarum Lectionum lib. 8. cap. 23. *Allocutionem* pro *consolatione*, seu παραμυθία usurpavit Suetonius Tiberio cap. 23. *Jure autem*, inquit, *tribunitiæ potestatis coacto senatu, inchoataque allocutione, derepente velut impar dolori congemuit*. *Allocutio* hic est sermo quem Tiberius mente conceperat, ut senatum consolaretur, Augusti morte vehementer dolentem; ut recte explicat Samuel Pitiscus in Commentario. Seneca pariter Consolatione ad Marciam cap. 1. *Quis enim erit finis? Omnia in supervacuum tentata sunt; fatigatæ allocutiones amicorum; auctoritates magnorum & affinium tibi virorum; studia, hereditarium & paternum bonum, surdas aures, irrito, ac vix ad brevem occupationem proficiente solatio, transeunt*. Vulgatus quoque Interpres Sapientiæ Salomonis cap. 8. v. 9. *Erit allocutio cogitationis & tædii mei*. Rursus autem elegantissime cap. 19. v. 12. *In allocutione enim desiderii, ascendit illis de mari ortygometra*. ubi Græca sic habent: εἰς γὰρ παραμυθίαν ἀνέβη αὐτοῖς ἀπὸ θαλάσσης ὀρτυγομήτρα. Interdum & *alloquium* pro *solatio* ponitur. Horatius Ode 13. libri Epodon:

*Illic omne malum vino cantuque levato,*
*Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis*.

Et Ovidius Elegia 4. lib. 1. Tristium:

*Attonitum qui me (memini) carissime, primus*
*Ausus es alloquio sustinuisse tuo*.

v. 6. *Irascor tibi. sic meos amores?* ] Itáne meos amores, quorum ego amissionem tantopere doleo, tu, Cornifici, tamquam rem minimi pretii, despicatui habes? Itáne veteris necessitudinis, quæ mecum tibi intercedit, sanctissimum vinculum contemnis, ut mihi in tantis miseriis posito brevem aliquam allocutionem invidere veritus non sis? Hoc pacto sententia supplenda. Ellipsi

Paullum quidlibet adlocutionis
Mœstius lacrimis Simonideis.

## XXXIX.

**E**GNATIUS, quod candidos habet dentes,

Re-

psi enim Catullus utitur ad vim doloris magis ostendendam. Porro hunc versum ordine sextum esse oportet: male enim Scaliger loco movit. Verum quæ vir magnus, in hoc genere peccaverit, ad Tibullum & Propertium copiosius declarabimus. Janus Douza pater cap. ultimo Præcidan. pro Catullo, existimat, Cornificium ipsum *suos amores* a Catullo appellari, nempe amicum intima necessitudine ac familiaritate.

v. 7. *Quidlibet* ] Subaudi *satis fuerat*. Dum hæc lego, videor mihi audire lacrimantem hominem, cujus oratio frequenti singultu ac gemitu interrumpatur.

v. 8. *Mœstius lacrimis Simonideis* ] Cum Simonides, unus e novem poetis Lyricis, qui apud Græcos floruerunt, in rebus lugubribus carmine describendis mirum in modum excelluerit, suspieari propterea possumus, Catullum a sodali Cornificio Elegiam aliquam, vel flebile aliud carmen optavisse, quod dolori suo mederetur. De Simonide, præter ceteros, nonnulla tradit Phædrus Fabula 21. & 24. libri 4.

ARGUM. CARM. XXXIX. ] Egnatium temere ubique ridentem, quo dentium candorem urinæ haustu quæsitum ostentaret, naso suspendit.

v. 1. *Egnatius* ] Verisimile est, hunc Egnatium malum quemdam fuisse poetam; cum apud Macrobium Saturnaliorum lib. 6. cap. 5. Egnatii mentio fiat, qui de Rerum Natura scripserit: ubi etiam hi ejus versus afferuntur e libro primo:

*Denique Mulciber ipse ferens, altissima cæli*
*Contingunt* - - - - - - &:
*Roscida noctivagis astris labentibus Phœbe*
*Pulsa loco cessit concedens lucibus altis.*

Hoc prius animadvertit Achilles Statius.

ibid. *Quod candidos habet dentes* ] Id mulierecularum est, quæ opinione formæ sibi ipsæ blandiuntur. Hoc enim genus bona corporis venditare, atque in promtu habere, mala contra omni ratione obtegere, ac dissimulare consuevit. M. Antonius Muretus, & Theodorus Marcilius versus nonnullos Alexidis Comici ad hunc locum attulerunt, quos Athenæus recitat lib. 13. Deipnosophiston. In illis videlicet meretricum artes ad juvenum animos inducendos graphice ob oculos ponuntur. Ego vero operæ pretium me facturum arbitror, si eos integros, Latineque redditos, iterum proferam. Sunt autem hujusmodi:

Τυγχάνει μικρά τις οὖσα; φελλὸς ἐν τοῖς καττύσιν
Ἐγκεκάττυται. μακρά τις; διάβαθρον λεπτὸν φορεῖ,
Τήν τε κεφαλὴν ἐπὶ τὸν ὦμον καταβαλοῦσ' ἐξέρχεται.
Τοῦτο τοῦ μήκους ἀφεῖλεν· οὐκ ἔχει τις ἰσχία;
Ὑπενέδυσ' ἐρραμμένα αὐτήν. ὥστε τὴν εὐπυγίαν
Ἀναβοᾶν τοὺς ἰδόντας. κοιλίαν ἁδρὰν ἔχει τις; τιτθείας
Ταυτασὶ τούτων, ὧν ἔχουσ' οἱ κωμικοί



Op-

Renidet usquequaque: si ad rei ventum est

Sub-

Ὀρθὰ προσθεῖσαι, τοιαῦτα γοῦν αὐτῶν ἡ κοιλίας;
Ὡσπερεὶ κοντοῖσι τούτοις εἰς τὸ πρόσθ' ἀπήγαγον.
Τὰς ὀφρῦς πυῤῥὰς ἔχει τις; ζωγραφοῦσιν ἀσβόλῳ.
Συμβέβηκ' εἶναι μέλαιναν; κατέπλασε ψιμμυθίῳ.
Λευκόχρως λίαν τίς ἐστι; παιδέρωτ' ἐντρίβεται.
Καλὸν ἔχει τοῦ σώματός τι; τοῦτο γυμνὸν δείκνυται.
Εὐφυεῖς ὀδόντας ἔχει; ἐξ ἀνάγκης δεῖ γελᾶν,
Ἵνα θεωροῖεν οἱ παρόντες τὸ στόμ', ὡς κομψὸν φορεῖ.
Ἂν δὲ μὴ χαίρῃ γελῶσα, διατελοῦσι τὴν ἡμέραν
Ἔνδον, ὥσπερ τοῖς μαγείροις ἃ παράκειθ' ἑκάστοτε,
Ἡνίκ' ἂν πωλῶσιν αἰγῶν κρανία, ξυλήφιον
Μυῤῥίνης ἔχουσι λεπτὸν ὀρθὸν ἐν τοῖς χείλεσιν,
Ὥστε τῷ χρόνῳ σεσηρέναι, ἄντε βούλωντ' ἄντε μή.
Ὄψεις διὰ τούτων σκευοποιοῦσι τῶν τεχνῶν.

Quæ ita Latine vertas licet:

*Brevi corpore quædam est? suber crepidis*
*Infarcitur. Grandior est? solea tenui calceus suppingitur;*
*Et capite in humerum dejecto prodit. Hoc de proceritate nonnihil adimit. Si cui gracilior coxa est,*
*Assuta subtus veste induit, ut pulchris esse natibus*
*Exclament, qui viderint. Tumidiore ventre est? fasciis*
*Hisce rite obstringitur quas Comici gerunt.*
*A tergo si gibbus prominet, virgulis statim & tabellis,*
*Ut contis, in adversam partem repellunt.*
*Rufa cui supercilia sunt, pingunt fuligine.*
*Quæ nigro colore est, cerussa oblinitur.*
*Si qua nimis candida est, paderota huic affricant.*
*Quod in corpore pulchrum est, nudum id ostenditur.*
*Habet aliqua elegantes natura dentes? enimvero ridere necesse est,*
*Ut qui adsunt, cernant quam ei venustum sit os.*
*At quæ ridendo sibi non placent, totum diem agunt*
*Domi, &, quæ sæpenumero coquis præsto est,*
*Caprarum dum vendunt calvas, virgulam*
*Myrteam in labris tenuem rectamque habent,*
*Ut cum voluerint, opportune dentes retegant, cum voluerint, abstineant.*
*His artibus faciem concinnant, & interpolant.*

v. 2. *Renidet*] *Renidere*, proprie videtur esse hilarem & placidum se præbere, ac modico risu labia diducere; quod Græci dicunt μειδιᾶν, ὑπομειδιᾶν, Itali *sorridere*, *sogghignare*, *tenere la bocca in riso*. Existimo autem, hoc verbum factum a *ridere*, per epenthesin syllabæ *en*. Horatius Ode 5. lib. 2. hoc μειδίαμα Lunæ tribuit his verbis:

*Ut pura nocturno renidet*
*Luna mari. - - -*

Cujus Horatiani loci unicus interpres Petronius Arbiter in Satyrico: *Delectata illa*, inquit, *risit tam blandum, ut videretur mihi plenum os extra nubem Luna proferre*. Qui potissimum ridendi modus puellas deceat, summus ille nugarum magister Naso his versibus tradit lib. 3. Artis Amat. v. 279.

*Si niger, aut ingens, aut non erit ordine natus*
*Dens tibi, ridendo maxima damna feres.*
*Quis credat? discunt etiam ridere puellæ:*

*Quæ-*

Subsellium, quum orator excitat fletum,
Renidet ille: si pii ad rogum filî
Lugetur, orba quum flet unicum mater,
Renidet ille: quicquid est, ubicumque est,
Quodcumque agit, renidet. hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati:



*Quæritur atque illis hac quoque parte decor.*
*Sint modici rictus, sint parvæ utrimque lacunæ;*
*Et summos dentes ima labella tegant.*
*Nec sua perpetuo contendant ilia risu:*
*Sed leve nescio quid, femineumque sonent.*

ibid. *Usquequaque* ] I. e. ubique locorum, ubique gentium. Cicero lib. 2. de Inventione: *Atque hoc non alienum est, quod ad multa pertineat, ne aut nusquam, aut usquequaque dicatur, hic admonere.*

ibid. *Si ad rei* ] Vossii lectionem probo, *si* pro *seu* reponentis, ut durissimam illam & inusitatam elisionem tollat. Quod etiam elegantius est. Nam illud Horatii Epistola 1. lib. 1. v. 94. simillimum, ac pæne geminum:

*Si curtatus inæquali tonsore capillos*
*Occurro; rides: si forte subucula pexa*
*Trita subest tunicæ, vel si toga dissidet impar,*
*Rides - - - - -*

v. 3. *Subsellium* ] Cœlius ad Ciceronem Epistola 8. lib. 8. *At ego simul atque audivi, invocatus ad subsellia rei occurro.* Paullus Manutius in Commentario ad Orationem Ciceronis pro Sex. Roscio Amerino cap. 5. trina subsellia fuisse scribit, judicum, reorum, accusatorum. Hinc *ex accusatorum subselliis surgere* legitur apud M. Tullium pro Flacco. *Subsellia* porro dicebantur quod essent tribunalibus humiliora. Usus eorum in foro Veneto adhuc retinetur.

ibid. *Excitat fletum* ] Miserabili scilicet dicendi genere, figurisque ad perturbandos judicum animos comparatis, quod in peroratione fieri solet. *Fletum excitare* dixit Cicero pro Sextio: *Sic egit* (Æsopus tragœdus) *ut demonstrata pristina fortuna, cum se convertisset:* Hæc omnia vidi inflammari - *fletum etiam inimicis atque invidis excitaret.* Contra Cornelius Nepos in Hannibale cap. 11. *risum excitare.*

v. 4. *Pii filî* ] Pietas enim filii vita functi, qua matrem ille dum viveret prosequebatur, majore desiderio & ipsam, & alios quoque afficit.

v. 5. *Lugetur* ] ἀπροσώπως, ut apud Terent. Andria Ac. 1. Sc. 1. v. 101. *Ad sepulcrum venimus: In ignem posita est: fletur.* ubi Donatus: *Hic bene impersonaliter, fletur ab omnibus; extrema enim quæque mortuorum omnes commovent ad lacrimas.*

ibid. *Flet unicum* ] Ovidius in Remediis Amoris v. 463.

*Fortius e multis mater desiderat unum,*
*Quam quæ flens dicit, Tu mihi solus eras.*

v. 6. *Quicquid est* ] Omni tempore; sive Sol sit, sive pluvia: seu calor, seu frigus: seu dies festi, seu profesti. vel *quicquid est*, quamcumque ipse personam gerit. vel tandem, quicquid novi in urbe acciderit.

Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Umber, aut obesus Etruscus,
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,

Aut

v. 10. *Urbanus* ] Romanus, ex urbe ipsa: Roma enim dicta urbs κατ' ἐξοχὴν.

ibid. *Sabinus* ] Quem nimius risus propterea quoque dedecuisset, quod Sabini tristitia & severitate insignes erant.

ibid. *Tiburs* ] Illustris fama fuit apud veteres, aeri Tiburtino eam facultatem inesse quæ rebus candorem conciliare posset. Martialis Epigram. 63. lib. 4.

*Tibur in Herculeum migravit fusca Lycoris,*
*Omnia dum fieri candida credit ibi.*

De hac re dicemus uberius in Commentariis nostris ad illud Propertii Elegia 7. lib. 4.

*Ramosis Anio qua pomifer incubat arvis,*
*Et numquam Herculeo numine pallet ebur.*

Fortasse igitur Catullus hoc loco Tiburtinorum mentionem injicit, quod candidos dentes haberent.

v. 11. *Porcus Umber* ] Pingui omaso distentus, voluptatibus deditus. Horatius Epistola 4. lib. 1.

*Me pinguem, & nitidum bene curata cute vises,*
*Si ridere voles Epicuri de grege porcum.*

Legitur & *parcus:* magis tamen placet vulgata lectio. Umbrorum enim regio opima & fertilis est; abundat nimirum oleo, zea sive alica, tum glande, qua pinguescunt apri maxime laudati. Plinius Hist. Natur. lib. 3. cap. 5. *Nusquam*, inquit, *generosior oleæ liquor. Et hoc quoque certamen humanæ voluptatis tenuerunt Osci, Græci, Umbri, Tusci, Campani.* Strabo lib. 5. Geographiæ ita de Umbria: ἅπασα δ' εὐδαίμων ἡ χώρα, μικρῷ δ' ὀρεινοτέρα, ζειᾷ μᾶλλον ἢ πυρῷ τοὺς ἀνθρώπους τρέφουσα. *Tota ea felix est regio, aliquantum tamen montosior, zea magis quam tritico homines alens.* Horatius tandem Satyra 4. lib. 2. v. 40.

*Umber, & iligna nutritus glande, rotundas*
*Curvet aper lances carnem vitantis inertem:*
*Nam Laurens malus est, ulvis & arundine pinguis.*

Beatæ vero regionis incolæ cuticulam curare, & ventri indulgere solent.

ibid. *Obesus Etruscus* ] Hoc nonnulli ad sacrificia referunt, quæ veteribus Etruscis nimia superstitione imbutis frequentissima erant. Carnibus porro victimarum saturi & pingues fiebant.

v. 12. *Aut Lanuvinus ater, atque dentatus* ] Atrum colorem, & dentes prægrandes, hominis ad laborem facti signa esse animadvertit Josephus Roccus Vulpius e Soc. Jesu, frater meus carissimus, quem honoris & pietatis caussa nomino, Veteris Latii Profani lib. 8. cap. 8. Lanuvinos autem, laborum, præsertim militiæ, patientissimos fuisse; quod præclari bello viri ex illo oppido, ab ipso recensiti & laudati, satis declarent.

v. 13. *Transpadanus* ] De Italia Transpadana consule Plinium Hist. Natur. lib. 3. cap. 17. Eam Strabo ita definit lib. 5. Geographiæ: Ἔστι δὲ πεδίον εὔδαιμον σφόδρα (regio nempe illa Italiæ quæ sub alpibus jacet) καὶ γεωλοφίαις εὐκάρποις πεποικιλμένον. διαιρεῖ δ' αὐτὸ μέσον πως ὁ Πάδος. καὶ καλεῖται τὸ μὲν ἐντὸς τοῦ Πάδου, τὸ δὲ πέραν. ἐντὸς μὲν ὅσον ἐστὶ πρὸς τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι, καὶ τῇ Λιγυστικῇ, πέραν δὲ τὸ λοιπόν. οἰκεῖται δὲ τὸ μὲν

ὑπὸ

Aut quilibet qui puriter lavit dentes,
Tamen renidere uſquequaque te nollem.
Nam riſu inepto res ineptior nulla eſt.
Nunc Celtiber in Celtiberia terra
Quod quiſque minxit, hoc ſolet ſibi mane
Dentem, atque ruſſam defricare gingivam.

Ut

ὑπὸ τῶν Λιγυστικῶν ἐθνῶν καὶ τῶν Κελτικῶν, τῶν μὲν ὑπὸ τοῖς ὄρεσιν οἰκούντων, τῶν δ' ἐν τοῖς πεδίοις· τὸ δ' ὑπὸ τῶν Κελτικῶν καὶ Ἑνετῶν. *Eſt ea planities admodum felix, & collibus frugiferis diſtincta. Mediam fere Padus dividit, unde regionis pars Ciſpadana, quæ eſt ad Apenninum & Liguriam, reliqua Tranſpadana dicitur. Illam Liguſtica & Gallicæ gentes colunt, partim in montibus degentes, partim in campeſtribus: hanc Galli & Veneti.* Sed Plinius modo memoratus Tranſpadanam, regionem Italiæ undecimam ſtatuit, ejuſque initium ſub alpium radicibus ponere videtur: decimam vero regionem Venetiam facit, eamque a Tranſpadana manifeſto excludit. Propterea ſi Verona Venetiæ oppidum fuit, Catullus cum Strabone conſentit; niſi dicamus, omnes Italiæ populos qui Romanis trans Padum erant, Tranſpadanos ab ipſis communi nomine appellatos fuiſse; quod veriſſimum judico.

v. 14. *Puriter lavit dentes* ] Non lotio, ut Hiſpani, ſed aqua ſimplici, aut vino, adhibito etiam fortaſse *candifico* illo *pulviſculo*, de quo L. Apulejus in Apologia. *Puriter* αὐτὸ τὸ *pure*; quemadmodum & infra Carmine 75. v. 19. *ſi vitam puriter egi*. Hujuſmodi adverbiis antiqui gaudebant. Soſipater Chariſius teſtis lib. 1. Grammaticæ: *Dixerunt veteres*, ait, *naviter, & duriter, & humaniter: quæ nos nave, dure, humane. Lavit* autem pro *lavat*, ἀρχαϊκῶς, a *lavo, lavis, lavere*. Horatius Epod. 17. v. 50.

*- - - - - & tuo*
*Cruore rubros obſtetrix pannos lavit.*

v. 16. *Riſu inepto res ineptior nulla eſt* ] Serenus Sammonicus lib. de Medicina, eo capite in quo remedia proponit ſpleni curando, v. 25. ita loquitur:

*Splen tumidus nocet, & riſum tamen addit ineptum.*

ἄκαιρον γέλωτα Græci appellant. Pueri & mulierculæ, quibus minus eſt conſilii, de nihilo rident. Contra viri graves riſui temperant, ut Xenocrates ille ſeverioris notæ philoſophus, qui caperata fronte ſemper fuit; iccirco appellatus ἀγέλαστος. Eſt tamen riſus aliquis qui ſapientem deceat, qualis erat Democriti, quem Seneca tantopere laudat, fletuique Heracliti longe anteponit cap. 15. de Tranquillitate animi. Ceterum *cachinnum, qui eſt cum voce riſus laſcivior, Græci* μωρὸν γέλωτα i. e. ſtultum & ineptum riſum, *proprie vocant*, ſi veterem Perſii Scholiaſtem audimus ad verſum 12. Satyræ 1.

v. 17. *Celtiber* ] Hi populi a Gallis originem ducebant. Lucanus lib. 4. v. 9.

*- - - profugique a gente vetuſta*
*Gallorum Celtæ miſcentes nomen Hiberis.*

ibid. *In Celtiberia terra* ] Eodem pacto dicebant *terram Italiam, terram Galliam, terram Africam, terram Campaniam*, & ſimilia. Tibullus Elegia 10. lib. 1.

*Non tibi ſi pretium Campania terra daretur.*

v. 19. *Ruſſam* ] Rubentem. Hinc Italicum *roſso*.

ibid.

Ut quo iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet loti.

## X L.

QUÆNAM te mala mens, miselle Ravide,

Agit

ibid. *Defricare* ] L. Apulejus in Apologia hunc versum proferens, legit *pumicare*.

v. 20. *Iste vester dens* ] Ita superius Carm. 29. *ista vestra mentula*. *Vester* autem dixit, non Egnatium solum, sed Hispanos universos accusans; quemadmodum Penelope Ovidiana in Epistola ad Ulixem v. 75.

*Hæc ego dum stulte meditor ( quæ vestra libido est )*

*Esse peregrino captus amore potes.*

*vestra libido*; i. e. virorum pæne omnium, cum ab uxoribus absunt. Et Propertius ad amicam Elegia 13. lib. 3.

*Nescit vestra ruens ira referre pedem.*

*vestra ira*, nempe muliebris, quæ impotentior fere est, quam virilis.

v. 21. *Prædicet* ] Declaret, patefaciat. Vocem tribuit rebus anima carentibus, ut solent poetæ. Superius Carm. 6.

*Nam te non viduas jacere noctes*

*Nequicquam tacitum cubile clamat.*

ibid. *Loti* ] Urinæ.

Argum. Carm. XL. ] Ravido cuidam, si pergat porro rivalem agere, jamborum acerbitate insolentiam ejus ulturum minatur.

v. 1. *Mala mens* ] Eorum quæ quis per imprudentiam, vel etiam per malitiam peccavisset, culpam omnem in animum, mentem, genium veteres haud raro conferebant. Terentius Andria Ac. 1. v. 134.

*Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia*

*Facturum, magis id adeo, mihi ut incommodet,*

*Quam ut obsequatur gnato.* S O. *quapropter?* S I. *rogas?*

*Mala mens, malus animus* - - - -

loquitur ibi senex paterfamilias de Davo servo callido, & nequam. L. Florus libro 2. cap. 6. de Hannibale, qui Cannensi victoria uti nesciverat: *Tum quidem illum, ut dici vulgo solet, aut fatum urbis imperaturæ, aut ipsius mens mala, & aversi a Carthagine dii in diversum abstulerunt*. Idem scriptor lib. 4. cap. 7. *Ipsique Bruto, per noctem, cum illato lumine, ex more aliqua secum agitaret, atra quadam imago se obtulit, &, quæ esset, interrogata, Tuus, inquit, malus Genius*. nimirum κακοδαίμων. quem Dantes princeps poeta apud Etruscos ( Purgatorii cantu 5. v. 112.) vocavit *mal volere*. Hinc ipsi qui peccaverant, excusationem petebant, atque ita se abunde satisfacere existimabant iis quos injuria affecissent. Homerus Iliados 9. v. 119. verbis Agamemnonis iratum Achillem donis placare studentis:

Ἀλλ' ἐπεὶ ἀασάμην, φρεσὶ λευγαλέῃσι πιθήσας.

*Verum quoniam peccavi, menti lævæ obsecutus.*

Eodem pertinet illustris locus Tibulli ex Elegia 5. lib. 2.

*Ingeret hic potus juvenis maledicta puellæ,*

*Postmodo quæ votis irrita facta velit.*

*Nam ferus ille suæ plorabit sobrius idem,*

*Et se jurabit mente fuisse mala.*

ibid. *Ravide* ] Versus hypermeter, cu-

Agit præcipitem in meos ïambos?
Quis deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora vulgi?

Quid

cujus postrema syllaba eliditur a vocali unde incipit versus qui proxime sequitur. Fortasse autem *Ravidus* non est nomen proprium, sed appellativum: *ravidi* enim oculi dicebantur qui erant ravo colore, medio scilicet inter flavum, & cæsium.

v. 2. *Agit præcipitem* ] Lucretius pariter lib. 3. v. 37.

*Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus*
*Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo.*

ibid. *In meos ïambos* ] Ravidus iste, cum se rivalem Catulli aperte profiteretur, in ejusdem odium atque offensionem irruebat. Ut autem *in jambos agi* eleganter dicitur qui eos, tamquam irritatas canes, quodammodo lacessit, & ipse contra se instigat; sic Horatius dixit Ode 16. lib. 1. poetam ipsum ira excandescentem *in jambos mitti*:

*- - - me quoque pectoris*
*Tentavit in dulci juventa*
*Fervor, & in celeres iambos*
*Misit furentem - - -*

v. 3. *Deus non bene advocatus* ] Non rite scilicet. Simile proverbium Italorum: *Non ti segnasti bene questa mattina*. Ceterum deos ipsos tamquam malorum suasores & impulsores poetæ nonnumquam inducunt. Homerus Iliados 17. v. 469.

Αὐτόμεδον, τίς τοι νυ θεῶν νηκερδέα βουλὴν
Ἐν στήθεσσιν ἔθηκε, καὶ ἐξέλετο φρένας ἐσθλάς;

*Automedon, quisnam tibi deorum, inutile consilium*
*Pectoribus indidit, & abstulit mentem sanam?*

Sophocles vero in Antigone v. 634.

τῷ δ᾽ ὅτῳ φρένας θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν.
*Illum cui mentem deus impellit ad exitium.*

Δαιμόνων ἀνθισταμένων τισὶ πράξεσι, *deorum adversantium certis actionibus* meminit Plato lib. 5. de Legibus. Neque illud Quinctiliani prætermittendum, proœmio lib. 6. Instit. Orat. ubi orbitatem suam deflet: *Esse nescio quam, quæ spes tantas decerpat, invidiam; ne videlicet ultra quam homini datum est, nostra provehantur*. Porro mentem & deos conjunxit etiam Herodotus in Clio, verbis Crœsi: αἲ γάρ, inquit, τοῦτο θεοὶ ποιήσειαν ἐπὶ νόον νησιώτῃσι, ἐλθεῖν ἐπὶ Λυδῶν παῖδας σὺν ἵπποισι. quod ita vertit Laurentius Valla: *Utinam dent dii hanc insulanis mentem Lydos invadendi cum equis*.

v. 4. *Vecordem rixam* ] Imparem scilicet, in qua tibi jugulum adversario præbere necesse fuerit: vel cujusmodi fuit Glauci, & Diomedis apud Homerum lib. 6. Iliados, de qua Horatius Satyra 7. lib. 1. v. 16.

*Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi*
*Cum Lycio Glauco, discedat pigrior, ultro*
*Muneribus missis - - - - -*

Lepide Juvenalis Satyra 3. v. 289.

*Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.*

ibid. *Parat excitare* ] Eodem pacto Venusinus poeta Satyra 3. lib. 2. v. 13.

*Invidiam placare paras virtute relicta?*

v. 5. *Pervenias in ora vulgi?* ] Ita *pervenire in scripta alicujus*, legitur apud Tullium insigni illa ad Luccejum Epistola, quæ est 12. lib. 5. *Atque hoc*, inquit, *præstantius mihi fuerit & ad la-*

Quid vis? qualubet esse notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longa voluisti amare pœna.

## X L I.

Ah me, an illa puella defututa
Tota, millia me decem poposcit?

Ista

*lætitiam animi, & ad memoriæ dignitatem, si in tua scripta pervenero quam si in cæterorum. Pertrahi per ora vulgi* dixit Valerius Maximus lib. 9. cap. 2. de Crudelitate.

v. 6. *Quid vis?* ] Quid tibi vis? quid cupis? quid expetis? Vossius *cuivis* legendum putat.

ibid. *Qualubet esse notus optas?* ] Dummodo famam assequaris, bonáne, an pessima ea futura sit, minime sollicitus vivis. *Qualubet*; quacumque ratione ac via. Infra Carmine 75.

*Difficile est longum subito deponere amorem:*

*Difficile est; sed tu qualubet efficias.*

v. 8. *Cum longa pæna* ] Significat poeta, jambos quibus Ravidum ulcisci statuerat, *plus uno sæclo perennes mansuros*, ut loquitur Carmine 1.

Argum. Carm. XLI. ] Puellam turpiculam, quæ ab ipso immanem pecuniæ summam pro nocte poposcerat, delirare ait. Porro Petrus Victorius Variarum Lectionum lib. 2. cap. 15. recte monuit, hoc Epigramma ab eo quod proxime sequitur, disjungendum, cum antea male conjungeretur. Argumentum enim longe diversum est.

v. 1. *Defututa Tota* ] Libenter assentior Passeratio, qui primus omnium ita interpunxit, cum antea legeretur *Tota millia*, id est, ut ipse interpretatur, ne nummo quidem minus. Lectio enim Passeratii licentiam Catulli magis redolet; cui scilicet *puella defututa tota*, meretrix est vilissima & perditissima, quæ petentibus nihil negat, a nullo impudicitiæ genere abhorrens, atque *omnibus modis larga*, ut loquitur Martialis Epigr. 66. lib. 12. vel *cujus ne quidem spiritus purus est*, quæ Petronii verba sunt in Satyrico. Huic simile scortum optare se fatebatur idem poeta Hispanus Epigr. 33. lib. 9.

*Hanc volo quam redimit totam denarius alter;*

nempe meretricem, cum qua, pretio duorum assium oblato, scortatores quidlibet facere possint. Eodem pacto quo puella Catulliana, affectus erat P. Clodius, impurissimus nebulo, si Tullio credimus in Oratione de Haruspicum responsis: *Quis minus*, ait, *umquam pepercit hostium castris, quam ille omnibus corporis sui partibus? quæ navis umquam in flumine publico tam vulgata omnibus, quam istius ætas fuit?* Ad quem Ciceronis locum respicere videtur Lactantius lib. 1. Divin. Instit. cap. 20. his verbis: *Nulla pudicitia; libidinibus effrenatis omnem sexum, & omnes corporis partes contaminantibus.*

v. 2. *Millia decem* ] Decem millia sestertiûm nummorum; quæ summa CCL. scutatis argenteis, quibus hoc tempore utimur, ferme respondet. Vide scriptores de re nummaria, Budæum præcipue, Lipsium, Gronovium.

De

Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani?
Propinqui, quibus est puella curæ,
Amicos, medicosque convocate.
Non est sana puella. nec rogate,
Qualis sit. solet hæc imaginosum.

ADE-

De immanibus porro scortorum pretiis apud veteres Græcos ita Philetærus in Venatrice, cujus versus affert Athenæus lib. 13. Deipnosophiston:

*Οὐχὶ Κερκώπη μὲν ἤδη γεγόνει ἔτι τρισχίλια;*

*Ἡ δ᾽ ἢ Διοπείθυς ἀηδὴς Τέλεσις ἕτερα μύρια;*

*Num adfuit etiam Cercópe, cui dabantur* drachmarum *tria millia?*

*Num & Diopeithus filia Telesis, velo cooperta, cui decem millia numerabant?*

v. 3. *Turpiculo naso* ] Sima fortasse, quales capellæ. Hoc vitium tamen in puellis ad venustatem detorquebant perditi atque insani amatores. Lucretius testis lib. 4. v. 1162.

*Simula, σιληνὴ ac Satyra est - - - -*

v. 4. *Decoctoris amica Formiani* ] Mamurræ videlicet, Equitis Romani, Formiis nati, quemadmodum tradit Cornelius Nepos apud Plinium Nat. Hist. l. 36. cap. 6. qui amplissimum patrimonium, rapinis & sinistra Julii Cæsaris liberalitate congestum atque exaggeratum, luxuria & libidine absumsit, ac præterea alienum æs grande contraxit. Videtur autem Mamurra, postquam decoxisset, vilia scorta & diobolaria sectari cœpisse.

v. 5. *Propinqui*, &c. ] Si quis furore, aut amentia correptus fuisset, is in tutela propinquorum seu agnatorum erat, lege ita jubente. Varro Rei Rusticæ lib. 1. cap. 2. *Quorum si alterutrum decollat, & nihilominus quis vult colere, mente est captus, atque ad agnatos & gentiles est deducendus.* Auctor Rhetoric. ad Herennium lib. 1. cap. 13. *Lex est, Si furiosus exsistit, agnatûm gentiliumque in eo, pecuniaque ejus potestas esto.* Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 214. & sequentibus:

*Si quis lectica nitidam gestare amet agnam, &c.*
*- - - interdicto huic omne adimat jus*
*Prætor, & ad sanos abeat tutela propinquos.*

Ex hoc porro fonte Cicero lib. 2. Tuscul. Quæstionum nobilem & gravem allegoriam derivavit. *Si turpissime*, inquit, *se illa pars animi geret quam dixi esse mollem, si se lamentis muliebriter lacrimisque dedet; vinciatur & constringatur amicorum propinquorumque custodiis.*

v. 8. *Solet hæc imaginosum* ] Josepho Scaligero non est obscurum, quid hic subaudiatur. Existimat enim, *solere imaginosum* nihil aliud esse, quam solere imaginosum morbum ægrotare. Me vero non latet, Græcos quidem dixisse *νόσον νοσεῖν*, & multa similia: sed nullus Latinus auctor mihi occurrit qui dixerit *ægrotare morbum*. Puto igitur, hoc Catulli Epigramma vel corruptum, vel saltem decurtatum esse. Ceterum, amentiæ hujus de qua poetam loqui interpretes pæne omnes exploratum habent, ea plane similis est cujus meminit Horatius Epistola 2. lib. 2. his versibus:

*- - - fuit haud ignobilis Argis*
*Qui se credebat miros audire tragœdos*
*In vacuo lætus sessor, plausorque theatro.*

Et post nonnulla:

# XLII.

Adeste, hendecasyllabi, quot estis
Omnes undique, quotquot estis omnes.
Jocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat mihi vestra reddituram

Pu-

*Hic ubi cognatorum opibus, curisque refectus*
*Expulit helleboro bilem, morbumque meraco,*
*Et redit ad sese, Pol me occidistis, amici,*
*Non servâstis, ait; cui sic extorta voluptas,*
*Et demtus per vim mentis gratissimus error.*

Imagines & spectra in hominum mentibus excitari radice solani (quod genus herbæ Græci στρύχνον vocant) propinata, tradit Theophrastus lib. 9. Historiæ Plantarum cap. 12. δίδοται δ' αὐτῆς, inquit, ἐὰν μὲν οὕτως ὥστε παίζειν καὶ δοκεῖν ἑαυτῷ κάλλιστον εἶναι, δραχμὴ σταθμῷ. ἐὰν δὲ μᾶλλον μαίνεσθαι, καὶ φαντασίας τινὰς φαίνεσθαι, δύο δραχμαί. ἐὰν δὲ ὥστε μὴ παύσασθαι μαινόμενον, τρεῖς. i.e. *Ea drachmæ pondere datur, ut quis ludat, ac se pulcherrimum existimet: duplicato pondere, magis insanit, conspicuis spectris animo obversantibus: triplicato, perpetua subeant furiæ.* Mirifica est Isaaci Vossii conjectura legentis hoc loco Catulli pro *solet hac imaginosum*, *solet ἰχμαγεῖον ὄζειν*. id est, *olere spongiam*; sed quin ea falsa sit, non dubito. Quid enim si Plato appellavit lienem ἐκμαγεῖον? & si, teste Cornelio Celso, qui lienis magnitudine laborant, iis gingivæ malæ sunt, & os olet? & si medici affirmant, hujusmodi vitio affectos sæpenumero delirare? Num propterea Catullum, quo nemo dilucidius & apertius locutus est, hac verborum & sententiarum obscuritate delectatum fuisse dicemus? *credat Judæus apella, Non ego.* Sed vetus jam querela est, scriptores optimos a Criticorum libidine pessime habitos, multisque vulneribus confossos, ut vix eosdem esse cognoscas. Minimum est, lector, quod te monitum velim; nimirum, ut Catullus hoc loco *imaginosum* pro certo morbi genere, ita Lactantium lib. 5. Divin. Institut. cap. 13. *terram digitis imaginatam* pro simulacris deorum fictilibus posuisse.

Argum. Carm. XLII. ] Hendecasyllabos convocat, ut ad extorquenda pugillaria de manibus furaci cuidam & impudicæ mulierculæ sibi opem ferant.

v. 1. *Adeste, hendecasyllabi* ] Quemadmodum Catullus hendecasyllabos, ita Martialis Epigrammate 97. lib. 1. blande compellat Scazontem:

*Si non molestum est, teque non piget, Scazon,*
*Nostro rogamus pauca verba Materno*
*Dicas in aurem, sic, ut audiat solus.*

v. 3. *Jocum me putat esse* ] Pupam ceream, de qua sibi ludos faciat. Horatius Sat. 5. lib. 2. v. 36.

- - - - - *hac mea cura est,*
*Ne quid tu perdas, neu sis jocus* - -

vidit hoc Achilles Statius.

v. 4. *Et negat m. v. redditurам P. si pati potestis* ] Deest *se*; quod subaudiendum. Hujus loci geminus est ille Epigram. 50. in Priapum:

*Quadam, si placet hoc tibi, Priape,*

Fi-

Pugillaria, ſi pati poteſtis.
Perſequamur eam, & reflagitemus.
Quæ ſit, quæritis? illa quam videtis
Turpe incedere, mimice, ac moleſte,

Ri-

*Ficsſiſſima me puella ludit;*
*Et non dat mihi, nec negat daturam.*

ibid. *Veſtra pugillaria* ] I. e. codicillos pugillares, in quibus vos, o hendecaſyllabi, ſcribere ſoleo. Pugillaria, ſeu pugillares, Latinis erant libelli, qui pugillo comprehendi poterant: Græcis ἐγχειρίδια. Etymologiam reſpexit Martialis Epigrammate 3. lib. 1.

*Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis.*
*Scrinia da magnis: me manus una capit.*

Parabantur e membrana, ebore, citro, buxo, lignis vilioribus, in quibus, antea cera illitis, graphio litteras exarabant. A numero paginarum dicti fuerunt duplices, triplices, quincuplices: Græce autem δίπτυχα, τρίπτυχα, πεντάπτυχα. Lege Martialis modo memorati Apophoreta Epigram. 3. 4. 5. 6. 7. & ad ea Raderi Commentarium.

v. 6. *Reflagitemus* ] Convicio efflagitemus, atque ita extorqueamus. Cicero Epiſt. 10. lib. 2. ad Q. Fratrem: *Epiſtolam hanc convicio efflagitârunt codicilli tui.*

v. 7. *Illa quam videtis* ] Eodem pacto Carmine 4. *Phaſelus ille, quem videtis.*

v. 8. *Turpe incedere* ] Pro *turpiter*. Horatius pariter Ode 22. lib. 1.

*Dulce ridentem Lalagen amabo,*
*Dulce loquentem.*

pro *dulciter*.

ibid. *Incedere* ] Verbi hujus proprietatem optime notat Servius ad illud Virgilii Æneid. 1. v. 46. *Aſt ego, qua divûm incedo regina. Incedere*, ait, *proprie eſt nobilium perſonarum. hoc eſt cum aliqua dignitate ambulare: ut 1. Æn. Regina ad templum forma pulcherrima Dido Inceſſit. Et, Aut jaculo incedit melior. Salluſtius: Incedunt per ora veſtra magnifici.*

ibid. *Mimice* ] Falluntur qui legunt *myrmice*, & interpretantur *formicino gradu, ita lente ut formicæ ſolent;* quod videlicet Græci formicam appellent μύρμηκα. Nam ſecunda ſyllaba produceretur, & ſpondæum pro trochæo efficeret contra legem Phalæcii. Legendum igitur *mimice*, id eſt more mimorum, & comœdorum. Cui lectioni favit olim Hadrianus Turnebus, apud Petrum Pithœum J. C. Adverſar. Subſeciv. lib. 1. cap. 17. Id me monuit frater meus cariſſimus, CAJETANUS VULPIUS, vir ſingulari diligentia, de me, de ſtudiis meis, de Cominiana typographia, & de Itala juventute præclare meritus. Sic *aſtare comœdice* dixit Plautus Milite Glorioſo Ac. 2. Sc. 2. v. 58.

*Euge, euge, euſcheme hercle aſtitit, & dulice, & comœdice.*

Veteres enim Romani pueros comœdo fingendos dabant, ut ſtatum, inceſſum, geſtumque decorum apud eum addiſcerent. Huic autem rei præcipue ſtudebant qui ſe in oratores olim evadere optabant. Quod tamen ſtudium certis finibus contineri debebat, ſi quis ex eo laudem non reprehenſionem colligere vellet. Operæ pretium eſt audire Quinctilianum Inſtit. Orator. lib. 1. cap. 11. *Dandum*, inquit, *aliquid comœdo quoque, dum eatenus, qua pronuntiandi ſcientiam futurus orator deſiderat.* Et nonnullis interjectis: *Ne geſtus quidem omnis ac motus a comœdis petendus eſt. Quamquam enim utrumque eorum ad quem-*

 *dam*

Ridentem catuli ore Gallicani.

Cir-

*dam modum praestare debet orator; plurimum tamen aberit a scenico, nec vultu, nec manu, nec excursionibus nimius. Nam si qua in his ars est dicentium, ea prima est, ne ars esse videatur.* Et rursus cap. 3. lib. 11. quod est de pronuntiatione: *Hujus quoque loci*, ait, *clausula sit eadem quae ceterorum est, regnare maxime modum. Non enim comoedum esse, sed oratorem volo. Quare neque in gestu persequemur omnes argutias, nec in loquendo distinctionibus, temporibus, affectionibus moleste utemur.* Porro, quid sit *turpe ac mimice incedere*, Suetonius etiam satis declarare videtur in Tiberio cap. 68. *Incedebat*, inquit, *cervice rigida & obstipa: adducto fere vultu, plerumque tacitus: nullo, aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoque tardissimo: nec sine molli quadam digitorum gesticulatione. Quae omnia ingrata, atque arrogantia plena, & animadvertit Augustus in eo, & excusare tentavit saepe apud senatum & populum, professus, naturae vitia esse, non animi.* In his Tranquilli verbis *mollis digitorum gesticulatio* totam fere mimorum rationem significat, nobisque imperatorem χειρονόμον ob oculos ponit. Cum vero ait Historicus, *omnia ista* fuisse *ingrata, atque arrogantia plena*, unice explicavit τὸ *moleste* Catullianum; de quo tamen proxima adnotatione copiosius agimus.

ibid. *Moleste* ] I. e. curiose nimis, ἀπείρως, μετὰ κακοζηλίας, ut Graeci loquuntur. Augustus apud Suetonium in Vita ejus cap. 86. *quadam epistola, Agrippinae neptis ingenium collaudans, Sed opus est, inquit, dare te operam, ne moleste scribas, aut loquaris.* Molestus enim Latinis interdum est nimis exquisitus, quem Itali dicimus *affettato*. Ovidius lib. 1. Artis Amatoriae v. 463. ubi docet, qua ratione juveni amanti scribenda sit epistola ad amicam:

*Sed lateant vires; nec sis in fronte disertus.*
*Effugiant cerae verba molesta tuae.*
*Quis, nisi mentis inops, tenerae declamet amicae?*
*Saepe valens odii littera caussa fuit.*

Quinctilianus pariter lib. 11. cap. 3. *Quare*, inquit, *non immerito reprehenditur pronuntiatio vultuosa, & gesticulationibus molesta, & vocis mutationibus resultans.* Cicero quoque in Bruto: *Volo enim ut in scena, sic etiam in foro, non eos modo laudari qui celeri motu & difficili utantur, sed eos etiam quos statarios appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta.* Et saepius allatus Tranquillus in Tiberio cap. 55. *Zenonem quemdam*, inquit, *exquisitius sermocinantem, cum interrogasset, quaenam illa tam molesta dialectos esset* &c. Denique Catullus ipse supra Carmine 10.

*Sed tu insulsa male & molesta vivis.*

ubi notat mulierem invenustam. Eadem significatione *molestia* nonnumquam usurpatur. Cicero iterum in Bruto: *Latine loquendi accurata, & sine molestia diligens elegantia.* quod Itali redderent, *senza affettazione, senza superstizione, senza scrupolo.* Haec porro minus viderunt λεξικογράφοι.

v. 9. *Ridentem catuli ore Gallicani* ] Canes Gallicos, quibus utebantur venatores, patulo rictu fuisse constat, qui propterea utilis erat ad feras mordicus tenendas. Ovidius lib. 1. Metamorph. v. 533.

*Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo*
*Vidit; & hic praedam pedibus petit, ille salutem;*
*Alter inhaesuro similis, jam jamque tenere*
*Sperat, & extento stringit vestigia rostro &c.*

Risum hunc puellarum minus decorum idem

Circumſiſtite eam, & reflagitate:
Mœcha putida, redde codicillos.
Redde, putida mœcha, codicillos.
Non aſſis facis? o lutum, lupanar,
Aut ſi perditius poteſt quid eſſe!
Sed non eſt tamen hoc ſatis putandum.
Quod ſi non aliud pote eſt, ruborem

Fer-

idem poeta reprehendit lib. 3. Artis Amatoriæ v. 287. hoc pacto:

*Eſt quæ perverſo diſtorqueat ora cachinno:*
*Cum riſu læta eſt altera, flere putes.*

v. 10. *Circumſiſtite* ] Qui contumeliam petulantius jactant, & conviciis aliquem conſectantur, ſi plures fuerint, eum cui maledicunt, & quem illudunt, circumſiſtere ac circumſtare ſolent. Tibullus Elegia 5. lib. 1. de ſene deliro, amori intempeſtive operam dante:

*Hunc puer, hunc juvenis turba circumſtetit arcta:*
*Deſpuit in molles & ſibi quiſque ſinus.*

v. 11. & 12. *Redde, redde codicillos* ] Vehemens repetitio, ſive ἀναδίπλωσις, iratis conveniens. Ita Daniſta apud Plautum Moſtellaria Ac. 3. Sc. 1. v. 74.

*Cedo fœnus. redde fœnus. fœnus reddite.*
*Daturin' eſtis fœnus actutum mihi?*
*Date mihi fœnus - - - - -*

Idem poeta in Perſa Ac. 3. Sc. 3. v. 17.

*Cedo ſis mihi argentum: da mihi argentum, impudens:*
*Poſſum a te exigere argentum? argentum, inquam, cedo.*
*Quin tu mihi argentum reddis? nihilne te pudet?*

Terentius vero Phormione Ac. 2. Sc. 3. v. 5. eadem propemodum figura verborum qua Catullus:

*Negat Phanium eſſe hanc ſibi cognatam Demipho?*
*Hanc Demipho negat eſſe cognatam? - -*

v. 13. *Non aſſis facis* ] Auctor Carminis in Priapum Epigram. 7.

*Non aſſis faciunt, euntque recta.*

Samuel Pitiſcus ad Suetonii Tiberium cap. 45. male hunc poetæ noſtri verſum ita profert:

*Non aſſis facis, olidum lupanar.*

metri enim ratio aperte huic lectioni adverſatur, cum vox *olidum* primam ſyllabam corripiat.

ibid. *O lutum* ] Sic appellabant quos maxime contemnerent, nulloque numero haberent. Plautus Pœnulo Ac. 1. Sc. 1. v. 29.

*- - - ſed lenone iſtoc Lyco,*
*Illius domino, non lutum'ſt lutulentius.*

Idem Perſa Ac. 3. Sc. 3. v. 2.

*- - - eho lutum lenonium,*
*Commiſtum cœnum, ſterquilinium publicum.*

Cicero Oratione pro Domo ſua: *O cœnum! o portentum! o ſcelus!*

v. 15. *Non eſt tamen h. ſ. putandum* ] Nullis enim maledictis, impudicæ hujus turpitudinem ac rapacitatem ſatis ulciſci poſſumus.

v. 16. *Si non aliud pote eſt* ] Subaudi *exprimi*.

ibid. *Ruborem* ] Recte monuit Joſephus Scaliger, hic ſubaudiendum eſſe *ut*.

ibid. *Ruborem exprimamus* ] Inſigne eſt quod de rubore animadvertit Seneca Epiſtola 11. his verbis: *Artifices ſcenici, qui imitantur affectus, qui metum & trepidationem exprimunt, qui triſtitiam repræſentant, hoc indicio imitantur verecundiam: dejiciunt vultum, verba ſubmittunt, figunt in terram oculos & deprimunt*

Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce:
Mœcha putida, redde codicillos.
Redde, putida mœcha, codicillos.
Sed nil proficimus, nihil movetur.
Mutanda est ratio, modusque vobis,
Si quid proficere amplius potestis:
Pudica & proba, redde codicillos.

Sal-

*munt, ruborem sibi exprimere non possunt: nec probibetur hic, nec adducitur.* Dicitur etiam *ruborem alicui elicere, & pudorem imponere.* Auctor ad Herennium lib. 4. cap. 10. *Tum vero iste cœpit clamare voce ista, qua vel facile cuivis rubores elicere posset.* Martialis Epigram. 53. lib. 1.

*Hac si terque quaterque clamitâris,*
*Impones plagiario pudorem.*

v. 17. *Ferreo canis ore* ] Isaacus Vossius nimis aberrare mihi videtur a germana hujus loci interpretatione, dum hoc pacto explicat: *Forsan id ita accipiendum, ac si dixisset fidiculis exprimamus. Notum enim, canem, vel catellum esse vinculi genus.* Equidem non ignoro, catellum, vel canem, vinculi genus antiquis fuisse. Id me docuit Festus: *Catulus*, inquit, *genus quoddam vinculi, qui interdum canis appellatur. Lucilius: "Cum manicis, catulo, collarique, ut fugitivum Deportem."* Meminit & Livius lib. 39. Histor. *Quintius*, inquit, *alter prætor suos equites catellis ac fibulis donavit.* E duplici autem vocabuli significatione jocum petivit Plautus Curcul. Ac. 5. Sc. 3. v. 13. ubi Phædromus adolescens ita lenoni minatur:

*Delicatum te hodie faciam cum catello ut accubes,*
*Ferreo ego dico - - - - - -*

Sed profecto *ferreum canis os* Catullo hic idem est quod Græcis κυνώπης, nempe *impudens*, & *perfrictæ frontis*; ducta metaphora ab eo genere animalium, quæ passim & in quadriviis coeunt, & alia fœda committunt. κυνώπην per summam contumeliam vocat Achilles iratus Agamemnonem apud Homerum Iliados 1. v. 59.

Τιμὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ, σοί τε, κυνῶπα,
Πρὸς Τρώων, τῶν οὔτι μετατρέπῃ, οὐδ' ἀλεγίζεις.

*Ulturi, Menelai, tuique gratia, o caninum os,*
*Trojanos; quos neque revereris, neque curas.*

Vide Longinum de Sublimitate Sect. 4. *Ruborem* igitur exprimere *ferreo canis ore*, est inverecundam feminam si minus ad reddenda pugillaria, saltem ad aliquam faciei mutationem conviciis & clamoribus adigere.

v. 23. *Si quid proficere amplius potestis* ] Si spes ulla superest, vos aliquid profecturos.

v. 24. *Pudica & proba* ] Laudibus enim fortasse obtinebitis quod conviciis & maledictis non potestis. Pudicitia & probitas præcipuæ sunt mulierum laudes. Horatius Epodo 17. ad Canidiam veneficam:

*- - - - - - tu pudica, tu proba*
*Perambulabis astra sidus aureum.*

Quod occupavit Achilles Statius, & Janus Douza pater cap. 7. Præcidan. Afranius apud Nonium Marcellum in *Comparare*: *Nam proba & pudica quia sum, consulo, & parco mihi.*

Ar-

# XLIII.

SALVE, nec nimio puella naſo,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore ſicco,

Nec

ARGUM. CARM. XLIII. ] Deformis puellæ, quam audierat a provincialibus cum Lesbia inepte comparari, vitia ſigillatim enumerat.

v. 1. *Nec nimio naſo* ] Voſſius legere mavult: *nec minimo naſo*; non quod puella iſta naſo longiore fuerit, ſed quod ei naſus omnino deeſſet, adeoque dici poſſet, eam ne minimo quidem naſo inſtructam eſſe. Mihi tamen lectio Scaligeri magis arridet: *nec nimio naſo*; quæ ſequuntur enim, huic lectioni favere & convenire videntur. Ludovicus Areoſtus, majorum gentium apud Italos poeta, Cantu 7. Strophe 12. Rolandi Furentis, ubi mulierem formoſiſſimam deſcribit, hoc pacto de naſo verba facit:

*Quindi il naſo per mezzo il viſo ſcende,*
*Che non trova l' invidia ove l' emende.*

ἀμώμητ☉ videlicet, atque ἀμύμων, ut Græci poetæ loqui amant. Duo ſunt præcipua naſi vitia, γρυπότης καὶ σιμότης, de quibus Ariſtoteles lib. 1. Rhetoric. cap. 4. ὥσπερ, inquit, καὶ ἡ γρυπότης, καὶ ἡ σιμότης, οὐ μόνον ἀνιέμεναι ἔρχεται εἰς τὸ μέσον, ἀλλὰ καὶ σφόδρα γρυπὰ γινόμενα, ἢ σιμὰ, οὕτω διατίθεται τὴν ῥῖνα, ὥστε μηδὲ μυκτῆρα δοκεῖν εἶναι. i. e. Petro Victorio interprete: *Quemadmodum contingit in naſi vitiis: grypus enim & ſimus, non ſolum cum remittuntur, perveniunt ad medium; ſed etiam valde grypi vel ſimi facti, ita depravant naſum, ut ne nares quidem eſſe videantur.* γρύπους appellant Græci quibus naſi dorſum eminet valde: σιμοὺς, contra, quibus naſi pars media, cava & depreſſa eſt. ea porro vitia ſi magis intendantur, naſum e facie omnino tollunt.

v. 2. *Nec bello pede* ] Pes exiguus, gracilis, & ſubrotundus in puellis laudatur. Idem Areoſtus Cantu eodem Strophe 15.

*Si vede al fin della perſona auguſta*
*Il breve, aſciutto, e ritondetto piede.*

ibid. *Nec nigris ocellis* ] Rurſum Areoſtus eodem Cantu Strophe 12.

*Sotto duo negri, e ſottiliſſimi archi*
*Son duo negri occhi, anzi duo chiari*
*Soli.*

Supercilia nigros ac tenuiſſimos arcus appellat.

v. 3. *Nec longis digitis* ] Elegantes formarum ſpectatores, manus & digitos longiuſculos, ac teretes in muliere probant. Areoſtus ibid. Strophe 15.

*Moſtran le braccia ſua miſura giuſta,*
*E la candida man ſpeſſo ſi vede*
*Lunghetta alquanto, e di larghezza*
*anguſta,*
*Dove nè nodo appar, nè vena eccede.*

Contra Franciſcus Bernius Florentinus, lepidiſſimo vir ingenio, anum quamdam turpiſſimam irridens in Epigrammate quodam Italico, manus ejus & digitos εἰρωνικῶς ita laudat:

*- - - e quelle, ond' io m' accoro,*
*Dita, e man dolcemente groſſe, e corte.*

ibid. *Nec ore ſicco* ] Parum emunctæ naris; vel immundis labiis amatores conſpuens, dum eos oſculatur. Niſi malis hoc tribuere ceruſſæ, atque id genus venenis, quæ guttatim e facie defluerent. Admodum eleganter Petronius

in

Nec ſane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' provincia narrat eſſe bellam?
Tecum Lesbia noſtra comparatur?
O ſæclum inſipiens, & inficetum!

## X L I V.

O Funde noſter, ſeu Sabine, ſeu Tiburs,
Nam

in Satyrico: *Perfluebant per frontem ſudantis acacia rivi, & inter rugas malarum tantum erat creta, ut putares detectum parietem nimbo laborare.* Cui concinit Juvenalis Satyra 6. v. 460.

*Interea fœda aſpectu, ridendaque multo*
*Pane tumet facies, aut pinguia Poppaana*
*Spirat, & hinc miſeri viſcantur labra mariti.*

& infra v. 470.

*Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur*
*Tot medicaminibus, coctaque ſiliginis offas*
*Accipit, & madida, facies dicetur, an ulcus?*

v. 4. *Nec ſane nimis elegante lingua* ] Sic ſuperius, *nec nimio naſo.* Eadem figura uſus Auctor liberi Carminis Epigrammate 49.

*Tu quicumque vides circa tectoria noſtra*
*Non nimium caſti carmina plena joci.*

Infantia porro, inops & jejuna oratio, verba parum electa, horrida, inurbana, de trivio arrepta, puellis etiam formoſis fraudi ſæpe ſunt. Ovidius lib. 3. Artis v. 482.

*Et nocuit forma barbara lingua bonæ.*

Propertius contra Elegia 2. lib. 1. Cynthiam ſuam laudat a ſermonis elegantia:

*Unica nec deſit jucundis gratia verbis,*
*Omnia quæque Venus, quæque Minerva probat.*

Sed fortaſſe Catullus id vitium in puella reprehendit de quo Lucretius lib. 4. v. 1157.

*Balba, loqui non quit, τραυλίζει - - -*

v. 5. *Decoctoris a. F.* ] Vide ſupra Carmen 41. v. 4.

v. 6. *Provincia* ] Joſephus Scaliger cenſet, poetam provinciæ Galliæ mentionem facere, cujus pars eſſet Tranſpadana, in qua & amica Mamurræ, & Catullus ipſe cum hæc ſcriberet, morabantur.

ibid. *Narrat eſſe bellam* ] *Narrat* pro *ait, affirmat.* Terentius Andria Ac. 3. Sc. 1. v. 19.

*Num immemores diſcipuli? D. ego quid narres neſcio.*

Neque illud ejuſdem Eunucho Ac. 3. Sc. 1. v. 17. valde diſſimile: *Hui! regem elegantem narras.* Tibullus pariter Elegia 6. lib. 1.

*Et pudet, & narrat ſcire nefanda mea.*

v. 8. *O ſæclum inſipiens, & inficetum!* ] Hoc verſu notari videntur provinciales homines, tamquam rudes & inepti. Elegantiores enim in urbe vivebant. *Sæclum* pro γενεᾷ, natione, progenie uſurpavit: quemadmodum ſæpe Lucretius.

Argum. Carm. XLIV. ] Fundo ſuo gratias agit, in quo gravedinem

Nam te esse Tiburtem autumant quibus non est
Cordi Catullum lædere: at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.
Sed seu Sabine, sive verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana

Vil-

nem e frigidissima Sestii oratione contractam, vacatione a negotiis, accurataque victûs ratione depulerat.

v. 1. *Seu Sabine, seu Tiburs* ] Catulli fundus, quod in Sabinorum & Latinorum finibus situs esset, ideo regioni alterutri commode attribui poterat. Finiebatur vero Sabina regio Tiberi ad occasum; Aniene, fluvio agri Tiburtini, ad meridiem. Janus Rutgersius Venusinar. Lection. cap. 30. animadvertit, veterem scriptorem Vitæ Horatii Flacci eodem pacto locutum. *Vixit*, inquit, *plurimum in secessu ruris Sabini aut Tiburtini*. non quod Horatius duo prædia possederit, Sabinum unum, Tiburtinum alterum: sed quod ejus prædium fines utriusque regionis attingeret. Horatius ipse Sat. 1. lib. 2. v. 34. eodem Rutgersio monente, scribit, incertum esse, Lucania sibi patria foret, an potius Appulia:

*--- Lucanus, an Appulus, anceps;*
*Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.*

v. 2. *Autumant* ] Dicunt. Plautus prologo Menæchmorum v. 7.

*Atque hoc poetæ faciunt in comœdiis:*
*Omnes res gestas esse Athenis autumant,*
*Quo vobis illud Græcum videatur magis.*

ibid. *Quibus n. e. cordi Catullum lædere* ] Optime hoc loco Muretus, *Tiburtinæ regionis*, inquit, *summa amœnitas fuit ------ & magno in pretio erant Tiburtina prædia. quo fit, ut Catullus, fundum suum dicat ab iis qui sibi gratificari velint, Tiburtem; Sabinum ab aliis nominari. ad dignitatem enim fundi putabat pertinere, ut Tiburs potius, quam Sabinus, diceretur*. Porro Tiburtem terram neque lætissimam, neque jejunam fuisse, uberiori tamen proximam, tradit Varro de Re Rust. lib. 1. cap. 9. his verbis: *In mediocri autem terra, ut in Tiburti, quod propius accedit ut non sit macra, quam ut sit jejuna, eo ad omnes res commodior, quam si inclinavit ad illud quod deterius*.

v. 4. *Quovis Sab. pignore esse contendunt* ] Sponsionem facere parati sunt, deposita quavis pecuniæ summa, nisi, o funde, Sabinus sis. Quibuscum enim de re aliqua controversia erat, pignus deponebant, quod amitterent, ni res ita esset uti affirmabant. Plautus prologo Casinæ v. 75.

*Id ni fit, mecum pignus, si quis volt, dato*
*In urnam mulsi, Pœnus dum judex siet.*

Ovidius autem lib. 1. Artis v. 167. de sponsionibus quæ fiebant in foro, diebus spectaculorum, cum alii alium victorem fore affirmarent:

*Dum loquitur, tangitque manum, poscitque libellum,*
*Et quærit posito pignore, vincat uter;*
*Saucius ingemuit. - - - -*

v. 5. *Sed seu Sabine, sive verius Tiburs* ] Eodem orationis lepóre, ac figura Tibullus Elegia 1. lib. 3.

*Teque suis jurat caram magis esse medullis:*
*Sive sibi conjux, sive futura soror;*
*Sed potius conjux - - - - -*

v. 6. *In tua suburbana Villa* ] Agri & villæ suburbanæ magno æstimabantur, ob plures opportunitates. Tempori-

Villa, malamque pectore exspui tussim;
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumtuosas appeto, dedit, cœnas.
Nam Sestianus dum volo esse conviva,

Ora-

poribus autem Plinii Cæcilii carius venibant, ut ipse testatur Epistola 19. lib. 6. *Scis tu accessisse pretium agris, præcipue suburbanis.*

v. 8. *Meus venter* ] Mea edacitas, & exquisitiorum epularum appetitus. *Ventrem* pro esurie posuit Persius in prologo Satyrarum:

*Magister artis, ingenîque largitor*
*Venter, negatas artifex sequi voces.*

v. 9. *Dum sumtuosas appeto, dedit, cœnas* ] Impedita syntaxis; cujusmodi est illa Ovidii Epistola Sapphûs v. 191.

*At quanto melius jungi mea pectora tecum,*
*Quam poterant saxis præcipitanda dari.*

Nemo non videt, in his Catulli & Ovidii locis τὸ *dedit*, & τὸ *poterant* male admodum collocata esse. Porro cœnam sumtuosam improbat Seneca Epistola 95. *Quid est*, inquit, *cœna sumtuosa flagitiosius, & equestrem censum consumente?*

v. 10. *Sestianus dum volo esse conviva* ] Dum apud Sestium cœnare cupio.

ibid. *Conviva* ] Lautiores, qui oratoris vel poetæ nomen sibi sumsissent, scripta sua recitaturi, amicos ad cœnam vocabant, ut ii scilicet, hujusmodi officio corrupti, ficta fronte secundum ipsos sententiam dicerent. Hinc illæ Persii querelæ Sat. 1. v. 53.

*- - - calidum scis ponere sumen,*
*Scis comitem horridulum trita donare lacerna,*
*Et Verum, inquis, amo: verum mihi dicite de me.*
*Qui pote? vis dicam? nugaris - - -*

Insigne pravæ hujus consuetudinis exemplum occurrit apud Martialem Epigrammate 50. lib. 3. quod totum afferre non piget:

*Hæc tibi, non alia, est ad cœnam caussa vocandi,*
*Versiculos recites ut, Ligurine, tuos.*
*Deposui soleas; affertur protinus ingens*
*Inter lactucas, oxygarumque liber.*
*Alter perlegitur, dum fercula prima morantur:*
*Tertius est, nec adhuc mensa secunda venit.*
*Et quartum recitas, & quintum denique librum.*
*Putidus est, toties si mihi ponis aprum.*
*Quod si non scombris scelerata poemata donas,*
*Cœnabis solus jam, Ligurine, domi.*

Meminit etiam Lucianus ἐν τῷ πρὸς ἀπαίδευτον, καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον. cujus hæc verba sunt: φασὶ δέ σε καὶ λόγους ἐπιδείκνυσθαι αὐτοῖς ἐπὶ δείπνῳ, κἀκείνους χερσαίων βατράχων δίκην διψῶντας ἐκκεκραγέναι, ἢ μὴ πίνειν, ἐὰν μὴ διαρραγῶσι βοῶντες. Σὺ γὰρ ὐκ οἶδ᾽ ὅπως ῥᾷστος εἶ, τῆς ῥινὸς ἕλκεσθαι, καὶ πιστεύεις αὐτοῖς ἅπασι. i. e. *Ajunt autem, te orationes etiam in convivio recitare, ac illos terrestrium ranarum instar sitibundos exclamare, nec potare, nisi prius clamore disrupti fuerint. Nam nescio quo pacto facillime nare traheris, illisque in omnibus credis.* Ceterum vere docti, dum cœnarent, librum aliquem sibi recitari jubebant, ut mentem una cum corpore pascerent; quod narrat Cornelius Nepos de T. Pomponio Attico, in Vita ejus cap. 14. *Nemo*, inquit, *in convivio ejus aliud acroama audivit quam anagnosten: quod nos quidem jucundissimum arbitramur. Neque umquam sine aliqua lectione apud eum*

cæ-

Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni, & pestilentiæ legit.
Hic me gravedo frigida, & frequens tussis
Quassavit, usquedum in tuum sinum fugi,
Et

*cœnatum est: ut non minus animo quam ventre convivæ delectarentur. Namque eos vocabat quorum mores a suis non abhorrerent*

v. 11. *In Antium petitorem* ] Ita hunc locum refinxit Vossius ex vestigiis priscæ scripturæ. Existimat autem, Antium istum fuisse C. Antium Restionem, qui legem tulit sumtuariam, & qui proscriptus a triumviris anno U. C. 711. mira servi fidelitate evasit; testibus Macrobio & Appiano Alexandrino. Hæc Vossii conjectura mihi non displicet. *Petitor* porro dicebatur qui in veste candida magistratum a populo petebat. Horatius Ode 1. lib. 3.

- - - *hic generosior*
*Descendat in campum petitor.*

i. e. in campum Martium, ubi populi comitia fiebant.

v. 12. *Plenam veneni & pestilentiæ* ] Ineptissimam, & cicuta frigidiorem, quæ convivas omnes, tamquam pestilenti sidere afflatos, vel occidere posset. αὔξησις ποιητική. Supra Carm. 14. de pessimis quibusdam poetis:

- - - *Cæsios, Aquinios,*
*Suffenum, omnia colligam venena.*

v. 13. *Gravedo frigida* ] Hunc morbum ita describit Cornelius Celsus lib. 4. de Medicina cap. 2. *Aliud autem, quamvis non multum distans, malum, gravedo est. Hæc nares claudit, vocem obtundit, tussim siccam movet. Sub eadem vero salsa est saliva, sonant aures, venæ moventur in corpore, turbida urina est. Hæc omnia κορύζας Hippocrates nominat.* Frigida vocatur gravedo, quod a frigore proficiscatur; frigus enim, exiguis cutis meatibus oppilatis, fuligines, & vapores qui e toto ambitu corporis assidue foras effluunt ( ἄδηλον διαπνοὴν Græci appellant ) liberius exire prohibet; hi vero interclusi, & crassiores effecti, destillationes & gravedines pariunt. Quemadmodum vero Catullus urbane admodum ait, se gravedinem contraxisse e frigida Sestii oratione, ita Guathæna scortum Atticum, dicacitate insigne, Diphilum, comicum poetam, a quo perdite amabatur, in convivio momordit. Obtulerat ei scyphum vini frigidissimi, utpote cui nivem immiscuisset: cum vero ille miratus exclamâsset: Per Minervam, & omnes deos gelidum puteum habes, Gnathæna; respondit illico pessima meretricula: Data scilicet opera, comœdiarum tuarum prologos in eum conjecimus. Rem enarrat Athenæus lib. 13. Ad hoc jocandi genus pertinet etiam Epigramma 61. in Priapejis lusibus, quod cum sit elegantissimum, meretur ut hic quoque legatur. Est autem hujusmodi:

*Quid frustra quereris, colone, mecum,*
*Quod quondam bene fructuosa malus*
*Autumnis sterilis duobus adstem?*
*Non me prægravat, ut putas, senectus,*
*Nec sum grandine verberata dura,*
*Nec gemmas modo germine exeuntes*
*Seri frigoris ustulavit aura,*
*Nec venti, pluviave, siccitasve,*
*Quod de se quereret, malum dederunt:*
*Non sturnus mihi, graculusve raptor,*
*Aut cornix anus, aut aquosus anser,*
*Aut corvus nocuit siticulosus:*
*Sed quod carmina pessimi poetæ*
*Ramis sustineo laboriosis.*

v. 14. *Quassavit* ] Tussi laborantibus pectus & abdomen valde concutiuntur. Suetonius Octavio cap. 81.

Et me recuravi otioque, & urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulte peccatum.
Nec deprecor jam, si nefaria scripta
Sestî recepso, quin gravedinem & tussim
Non mi, sed ipsi Sestio ferat frigus,
Qui tunc vocat me quum malum legit librum.

Ac-

*Austrinis tempestatibus gravedine tentabatur. Quare quassato corpore, neque aestus, neque frigora facile tolerabat.* Ex Macrobio autem Saturnaliorum libri 6. cap. 7. discimus, *Quassare quam quatere gravius violentiusque esse.* Idem scriptor Saturnal. 7. cap. 15. memorat *tussim nimis asperam, & alias quassationes usque ad vexationem salutis, quae nascantur si quando casu aliquid paullo densius in pulmonem violentia spiritus trahente deciderit.*

ibid. *Usquedum* ] Terentius pariter Heautont. Ac. 1. Sc. 1. v. 84.

*Nam usque dum ille vitam illam colet*
*Inopem, carens patria ob meas injurias,*
*Interea usque illi de me supplicium dabo.*

Eadem significatione idem poeta usurpat *usque donec* Adelphis Ac. 4. Sc. 6. v. 6.

*- - - - - nunc vero domi*
*Certum obsidere est usque donec redierit.*

v. 15. *Otioque* ] Ita legit Vossius; cui assentior. Alii *Ocimoque*.

ibid. *Et urtica* ] Hoc olus in tussi utiliter sumi narrat Plinius lib. 22. cap. 14. Nat. Hist. *Condidit*, inquit, *laudes ejus Phanias physicus, utilissimam cibis coctam conditamve professus arteriae, tussi, ventris destillationi.* Parcos, immo & avaros homines urtica victitâsse, docemur ab Horatio Epistola 12. lib. 1. v. 7.

*Si forte in medio positorum abstemius, herbis*
*Vivis & urtica; sic vives protenus, ut te*
*Confestim liquidus fortunae rivus inauret.*

v. 17. *Meum quod non es ulte peccatum* ] Sic legere placet, ut Gabriel Faernus olim emendabat, teste Achille Statio. Pergit Catullus alloqui fundum suum: adhibet vero vocandi casum pro recto; quod & Persius fecit Satyra 3. v. 28.

*Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis:*
*Censoremve tuum vel quod trabeate salutas?*

*millesime*, ac *trabeate*, pro *millesimus*, ac *trabeatus*. Si tamen legendum omnino sit *ulta*, dicemus, Catullum sermonem convertere ad ipsam gravedinem, cui poenas morte non dederit.

v. 18. *Nefaria scripta* ] Ultima syllaba in voce *nefaria* producitur hoc loco, ob insequentem trium consonantium positionem, quamquam in alia voce. Qua de re & superius non semel diximus, & olim plura dicturi sumus ad Tibullum Elegia 5. lib. 1. v. 26.

v. 19 *Sestî* ] Q. Sextii patris (an Sestii potius?) e Stoicorum grege philosophi, librum miris laudibus effert Seneca Epistola 64. Quis vero hic Sestius fuerit, de quo Catullus, divinare vix possumus.

ibid. *Recepso* ] Pro *recepero*, ἀρχαϊκῶς.

v. 20. *Sed ipsi Sestio* ] Jocus παρὰ προσδοκίαν.

ibid. *Ferat frigus* ] Orationis frigus quid sit, explicat Dionysius Longinus Sect. 3. περὶ ὕψους. Τί ποτ' οὖν, ait, τὸ μειρακιῶδές ἐστιν; ἢ δῆλον, ὡς σχολαστικὴ νόησις, ὑπὸ περιεργίας λήγουσα εἰς ψυχρότητα.

# XLV.

ACMEN Septimius suos amores
Tenens in gremio, Mea, inquit, Acme,
Ni te perdite amo, atque amare porro
Omnes sum assidue paratus annos,
Quantum qui pote plurimum perire;
Solus in Libya, Indiave tosta
Cæsio veniam obvius leoni.

Hoc

ντικα. Ὀλισθαίνουσι δ' εἰς τοῦτο τὸ γένος ὀρεγόμενοι μὲν τοῦ περιττοῦ, καὶ πεποιημένου, καὶ μάλιστα τοῦ ἡδέος· ἐποκέλλοντες δὲ εἰς ζοπικὸν, καὶ κακόζηλον. i. e. *Quod si forte quæras, quidnam hic appellem puerile; nil aliud esse dicam, quam scholasticum dicendi genus nimia concinnitatis consectatione frigidum. In quod vitium illi prolabi solent qui quod argutum est, & vibrantibus sententiolis pictum, ac prædulce affectantes, in figuratum praveque æmulationis dicendi genus deflectunt.* Ut autem Catullus, ab orationis frigore gravedinem ac tussim Sestio ferri, exoptat, ita Plinius junior Epist. 15. lib. 6. *frigus afferre* dixit, pro, intempestivo & deliro aliquo joco recitanti obstrepere, fervoremque audientium & admirationem, tamquam frigida suffusa, restinguere. *Passienus Paullus*, inquit, ........ *eum recitaret, ita cœpit dicere,* ." *Prisce jubes*"? *Ad hoc Jabolenus Priscus (aderat enim ut Paullo amicissimus)* " *Ego vero non jubeo.*" *Cogita qui risus hominum, qui joci.* & infra: *Interim Paullo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit.*

ARGUM. CARM. XLV. ] Acmes & Septimii mutuas blanditias, maximeque felices amores elegantissime describit. Cum his Catulli hendecasyllabis confer, mi lector, Oden 9. lib. 3. Carminum Horatii, & pretium operæ feceris.

v. 3. *Porro* ] Deinceps, in posterum.

v. 5. *Perire* ] I. e. amare, deperire. Vetus Epigramma incerti scriptoris:

*Nam forma exemplum periit cum obiit mea Lyde:*
*Quam periere homines, vel periere dii.*

v. 6. *Solus in Libya* ] Sociorum ope destitutus, in desertis Africæ litoribus.

ibid. *In Libya* ] *Aridam leonum nutricem* appellat Horatius Ode 22. lib. 1. *Jubæ tellurem*, nimirum Africam, vel Mauritaniam Africæ regionem, ubi regnavit Juba.

v. 7. *Cæsio leoni* ] Glauci, sive cæsii ferarum oculi terribiles occurrentibus esse solent; leonum præcipue. Hesiodus in Scuto Herculis v. 430. leonem furentem ita describit:

Γλαυκιόων δ' ὄσσοις δεινὸν, πλευράς τε καὶ ὤμους
Οὐρῇ μαστιγόων, ποσὶ γλάφει - - - -
*Ac cæsiis intuens oculis sævum, costasque & humeros*
*Cauda flagellans, pedibus scalpit* - - - -

Theocritus vero Idyllio 15. v. 142. dixit σκύτος χαροποῖο λέοντος. *pellem cæsii leonis.* Quem oculorum colorem draconibus quoque tribuit Pindarus Ode 6. Olympiorum strophe 3. his verbis: δύο δὲ γλαυκῶπες αὐτὸν δαιμόνων βουλαῖ-

Hoc ut dixit, Amor finistra * ut ante,
Dextram sternuit adprobationem.
At Acme leviter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos

Illo

λαῖσιν ἐθρέψαντο δράκοντες. i. e. *duo vero casii ipsum, deorum consiliis, enutriverunt dracones*. Memorabile porro est quod scribit Plinius lib. 8. cap. 16. N. H. *omnem* scilicet *leonis vim in oculis constare*, ideoque tenui velamine supra caput injecto, furorem ejus continuo languescere. Cur autem Septimius e tot tantisque periculis, vitæ hominum ubique infestis, leonis potissimum mentionem facit? Dicam, lector. Consuetudo fuit, primum apud exteros reges, deinde apud Romanos, eos qui se atroci aliquo scelere obstrinxissent, leonibus in cavea devorandos objicere. Profecto Lysimachus ob venenum Callistheni datum, qui nimia verborum licentia Alexandrum offenderat, eique postea mutilatis auribus, & naso, omnibusque contumeliis affectus, graves pœnas persolverat; tamquam majestatis reus, jussu regis leoni ferocissimo ad dilaniandum expositus est; quem tamen ille mira fortitudine, *arrepta lingua exanimavit*, ut loquitur Justinus Histor. Trogi lib. 15. cap. 3. Vide & Pausaniam in Atticis cap. 9. Licet Q. Curtius fabulam hanc esse dicat lib. 8. cap. 1. Alexandri crudelitatem dissimulare studens. E scriptoribus autem rerum Romanarum, Lampridius in Commodo, inter alias Senatus acclamationes, post obitum illius tæterrimi monstri, hanc quoque recenset: *Delatores ad leonem*. Quod, homicidarum supplicium fuisse, Tertullianus testatur in libro de Spectaculis: *Et qui*, ait, *insigniori cuique homicidæ leonem poscit, item gladiatori atroci petat*. Hæc pluribus exsequi operæ pretium esse existimavi, ne cui forte antiquitatis ignaro frigidus Catullus videretur.

v. 8. *Ut ante* ] Locus misere corruptus; quem tamen Vossius ita restituere conatur: *Amor sinister ante*; nempe Amor, qui antea iniquus & adversus fuerat Septimio & Acme, eosque sollicitos habuerat; cum inter se quidem amarent, neuter tamen se carum esse alteri certo sciret; datis tandem & acceptis optimæ fidei mutuæque voluntatis quasi pignoribus, eorum promissa & jusjurandum sternutamento sanxit atque approbavit. Hanc porro Vossii conjecturam parum abest quin vero proximam judicem.

v. 9. *Sternuit* ] Plinius lib. 2. Natur. Hist. cap. 7. *Atque etiam ( parva dictu ) in auguriis sternutamenta, & offensiones pedum*. Ita Penelope apud Homerum Odysseæ lib. 17. cum de procorum insolentia, qui absente Ulixe rem ipsius comedebant, cum filio Telemacho vehementer admodum locuta fuisset, isque valide sternuisset, ut domus concussa resonaret, ex eo signo, mortem raptoribus portendi non inanem conjecturam cepit. Non solum autem deorum & hominum, verum etiam lucernæ sternutamentum, seu crepitus, cum videlicet oleum scintillat, in bonis auspiciis a poetis interdum numeratur. Ovidius Epistola Herûs v. 151.

*Sternuit & lumen: posito nam scribimus illo.*
*Sternuit; & nobis prospera signa dedit.*

v. 10. *Leviter caput reflectens* ] Solennes amantium blanditiæ. Simillimum est illud Lucretii lib. 1. v. 36.

de

Illo purpureo ore suaviata,
Sic, inquit, mea vita Septimille,
Huic uno domino usque serviamus,
Ut multo mihi major, acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis.
Hoc ut dixit, Amor sinistra, ut ante,
Dextram sternuit adprobationem.
Nunc ab auspicio bono profecti,
Mutuis animis amant, amantur.

Unam

de Marte in gremio Veneris recubante:

*Atque ita suspiciens tereti cervice reposta*
*Pascit amore avidos inhians in te, dea, visus,*
*Eque tuo pendet resupini spiritus ore.*

Eodem pacto Licymnia Horatiana, Ode 12. lib. 2. *flagrantia detorquet ad oscula Cervicem.*

v. 11. *Ebrios ocellos* ] Amore imbutos, quemadmodum ebrii vino madent. Dixerunt enim poetæ *bibere amorem*, qui profecto non faucibus, ut vinum, sed oculis bibitur. Virgilius Æneidos 1. v. 748.

*Nec non & vario noctem sermone trahebat*
*Infelix Dido, longumque bibebat amorem.*

ad quem locum Taubmannus notavit, Theocritum dixisse πίνειν ἔρωτα, Anacreontem vero μεθύειν ἔρωτι. Vel molliter nutantes, cujusmodi oculos Horatius Ode 36. lib. 1. *putres* appellat:

*Omnes in Damalin putres*
*Deponent oculos* - - -

Ovidius autem lib. 2. Artis v. 721. ita expressit:

*Aspicies oculos tremulo fulgore micantes,*
*Ut Sol a liquida sæpe refulget aqua.*

Tremere porro, ac nutare, ebriorum est. Persius denique Satyra 1. v. 17. de quodam tenerrimo recitatore:

- - - - *liquido cum plasmate guttur*
*Mobile collueris, patranti fractus ocello.*

Quid sibi velit hoc Persii loco τὸ *patranti*, nemo paullo eruditior ignorat.

v. 12. *Purpureo ore* ] Quod proprie diis convenit. Venusinus poeta de Augusto in deorum concilium adscripto, Ode 3. lib. 3.

*Quos inter Augustus recumbens*
*Purpureo bibit ore nectar.*

Ad quem tamen locum videsis Notas viri diligentissimi, maximeque ingeniosi Richardi Bentleji.

v. 13. *Mea vita Septimille* ] Ὑποκοριστικὸν amatorium, a *Septimius*. Legitur tamen etiam in Romanis Inscriptionibus apud Gruterum, pag. MCXXXIV. num. 6. AELIO. SEPTIMILLO. NEPOTI. Diminutiva hujusmodi, præsertim derivata e nominibus numeralibus feminarum, sæpius occurrunt in eodem opere Inscriptionum Romanarum, & nonnumquam apud veteres auctores. A *Prima* enim & *Primia* originem ducunt *Primilla*, *Primula*: a *Secunda*, vel *Secundia* fit *Secundilla*: a *Tertia*; *Tertulla*, *Tertullia*, *Tertullina*, *Tertyllina*: a *Quarta*, *Quartilla*. A *Quincta* porro, & *Quinctia*, sive *Quinta*, & *Quintia*, oriri videas *Quinctulam*, *Quinctiliam*, *Quintulam*, *Quintiliam*, *Quintillam*: a *Sextia*, *Sexciliam*: a *Septimia*, *Septiminam*: ab *Octavia* denique *Octavillam*.

v. 14. *Huic uno domino* ] *Uno* pro *uni*, ἀρχαϊκῶς. Ita superius Carm. 17. *nec pili facit uni*; pro *unius*.

AR-

Unam Septimius misellus Acmen
Mavult, quam Syrias, Britanniasque:
Uno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias, libidinesque.
Quis ullos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auspicatiorem?

## X L V I.

Jam ver egelidos refert tepores,
Jam cæli furor æquinoctialis
Jucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicææque ager uber æstuosæ.
Ad claras Asiæ volemus urbes.

Jam

Argum. Carm. XLVI.] Iturus in Asiam proprie dictam, Phrygiæ majori, ac Bithyniæ vale dicit.

v. 1. *Egelidos tepores* ] Tempestatem gelu solutam.

v. 2. *Cæli furor æquinoctialis* ] Video, Palladium Fuscum, Muretum, Marcilium, & Statium hoc ἐπίθετον Zephyro tribuere; per me quidem licet: sed ego libentius cælo tribuo. sub æquinoctium enim vernum venti vehementius flare solent, præsertim Subsolanus, sive Apeliotes. Audi Senecam Natur. Quæst. lib. 5. cap. 16. *Ventus qui surgit ab oriente æquinoctiali, Subsolanus apud nos dicitur, Græci illum ἀφηλιώτην vocant*. Præterea si post *furor*, auferas ὑποδιαστολὴν, magis concinna fit oratio.

v. 4. *Phrygii campi* ] Ætate Catulli Bithynia erat pars Phrygiæ majoris. In Bithyniam vero profectus erat Catullus, Memmium prætorem secutus.

v. 5. *Nicææque ager uber æstuosæ* ] De hac urbe ita Strabo lib. 12. Geographiæ: Νίκαια ἡ μητρόπολις τῆς Βιθυνίας, ἐπὶ τῇ Ἀσκανίᾳ λίμνῃ· περίκειται δὲ κύκλῳ πεδίον μέγα, καὶ σφόδρα εὔδαιμον, οὐ πάνυ γε ὑγιεινὸν τοῦ θέρους. i. e. *Nicæa metropolis Bithyniæ, ad Ascanium lacum. circumjacet magna planities, & admodum fæcunda, sed per æstatem minus salubris.* Quæ Strabonis verba Catullum mire illustrant.

ibid. *Æstuosæ* ] Quamquam Bithynia hieme, valde frigida sit regio, Nicæa vero a Galeno locis Bithyniæ frigidioribus annumeretur, teste Isaaco Vossio, æstate nihilominus magni calores ibi erant. Culpam confert Vossius in aerem crassum & palustrem, qui conceptum frigus atque calorem servet quam diutissime.

v. 6. *Ad claras Asiæ volemus urbes* ] Auctore Varrone lib. 4. de Lingua Latina cap. 3. *Asia dicitur modis duobus. Nam & Asia, quæ non Europa, in qua est Syria: & Asia dicitur prioris pars Asiæ, in qua est Ionia, & provincia nostra Cilicia*. Præterea fuit Asia, Romanis

Jam mens prætrepidans avet vagari,
Jam læti ſtudio pedes vigeſcunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longe quos ſimul a domo profectos,
Diverſos variæ viæ reportant.

Por-

nis hoc nomine proprie dicta, quam Strabo, & alii Græci Geographi *ἰδίως λεγομένην Ἀσίαν* appellant. Hæc, ſi Ptolemæum audimus lib. 4. Geographiæ cap. 2. Helleſpontum, Æolidem, Ioniam, Cariam, Lydiam, Phrygiam minorem comprehendebat. De hac autem potiſſimum Catullus loqui videtur. Nobiliores Aſiæ civitates commemorat Cicero Agrar. 2. cap. 15. his verbis: *Commodum erit, Pergamum, Zmyrnam, Tralles, Epheſum, Miletum, Cyzicum, totam denique Aſiam populi Romani factam eſſe.* Earum urbium celeberrima Zmyrna fuit; quam propterea Marmor Arundelianum appellat *γῆν πρώτην τῆς Ἀσίας κάλλει καὶ μεγέθει, καὶ λαμπροτάτην, καὶ μητρόπολιν τῆς Ἀσίας, καὶ κόσμον τῆς Ἰωνίας*. i. e. *Terram Aſiæ principem pulchritudine & magnitudine; tum præclaram, & Aſiæ metropolin, & ornamentum Ioniæ.* Quomodo autem Zmyrna jure ac merito dici potuerit *μητρόπολις τῆς Ἀσίας*, explicat Chriſtophorus Cellarius, vir doctiſſimus, Geographiæ antiquæ lib. 3. cap. 3. *Urbium Aſiæ nobilium* meminit etiam Phædrus fabula 21. lib. 4.

ibid. *Volemus*] Navi enim (aut ego fallor) in Aſiam proficiſci cogitabat poeta. Supra Carm. 4. de Phaſelo:

- - - - *ſive palmulis*
*Opus foret volare, ſive linteo.*

De terreſtri tamen itinere Cicero pro Sextio cap. 4. *Ego litteris eum Capua arceſſivi cum illo exercitu quem tum ſecum habebat. quibus hic litteris lectis, ad urbem confeſtim incredibili celeritate advolavit.*

v. 7. *Prætrepidans*] Feſtinans, moræ impatiens. Perſius Sat. 2. v. 54. *lætari prætrepidum cor.* i. e. mirum in modum geſtiens atque exſultans. *Trepidare* pro *feſtinare* uſurpavit Horatius Ode 4. lib. 2.

*Cujus octavum trepidavit ætas*
*Claudere luſtrum.*

v. 8. *Pedes*] Hoc de funibus velorum fortaſſe accipiendum, qui pedes vocabantur. Vide quæ de illis diximus ad Carmen 4. v. 21.

v. 11. *Diverſos*] Ita legere malo, quam *diverſe*: hoc enim elegantius mihi videtur. *Diverſi* ſunt qui non una via iter faciunt. Plautus Rudente Ac. 4. Sc. 7. v. 26.

*Cum inde ſuam quiſque ibant diverſi domum.*

Cornelius Nepos in Datami cap. 10. *Cum aliquamdiu in colloquio fuiſſent, & diverſi diſceſſiſſent.* Livius lib. 10. *Scipioni Etruria, Fulvio Samnites obvenerunt: diverſique ad ſuum quiſque bellum proficiſcuntur.* Seneca Troadibus v. 512.

*Procul hinc recede, teque diverſum amove.*

Sunt etiam *diverſi*, quorum alius ab alio ſejunctus eſt. Salluſtius Catilin. cap. 20. *Sed ego quæ mente agitavi, omnes jam antea diverſi audiſtis.* Ovidius Triſtium lib. 1. Elegia 3.

*Nata procul Libycis aberat diverſa ſub oris.*

V Ar-

# XLVII.

Porci, & Socration, duæ ſiniſtræ
Piſonis, ſcabies fameſque *Memmî*;

Vos

Argum. Carm. XLVII. ] Indignatur, Porcium, & Socrationem, flagitioſos & nequam homines, Veranio, & Fabullo, amicis ſuis, honeſtis adoleſcentibus, a Piſone prætore antepoſitos, & valde locupletatos.

v. 1. *Socration* ] Græcum eſt nomen, fortaſſe liberti cujuſdam, ut recte ſuſpicatur Muretus.

ibid. *Duæ ſiniſtræ Piſonis* ] *Quorum operâ furari & compilare ſolitus Piſo*, inquit Paſſeratius. Optime: ſiniſtra enim furtis dicata; quod oſtendimus ad Carmen 12. v. 1. Ita Verrem, famoſum illum Siciliæ prætorem, *pluribus canibus quam Scyllam ſuccinctum* vocat Cicero Actione in eum 3. per quos videlicet in ſociorum facultates impetum faceret. De Piſone vide ſuperius, Carmen 28.

v. 2. *Scabies fameſque* Memmî] Exiſtimo, Porcium, & Socrationem fuiſſe Memmio *A voluptatibus*, qualis erat Tiberio Priſcus eques Romanus & Neroni C. Petronius, teſtibus Suetonio in Tiberio cap. 42. & Cornelio Tacito Annal. lib. 16. c. 18. Quod eſſet munus ejuſmodi hominum, ita declarat M. Tullius Oratione poſt reditum in Senatum: *His utitur* ( Piſo Cæſonius ) *quaſi præfectis libidinum ſuarum: hi voluptates omnes veſtigant atque odorantur: hi ſunt conditores inſtructoreſque convivii: iidem expendunt, atque æſtimant voluptates, ſententiamque dicunt, & judicant, quantum cuique libidini tribuendum eſſe videatur*. Seneca item Epiſt. 47. *Adjice*, inquit, *obſonatores, quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt: qui ſciunt, cujus rei illum ſapor excitet, cujus delectet aſpectus, cujus novitate nauſeabundus erigi poſſit, quid jam ipſa ſatietate faſtidiat, quid illo die eſuriat*. Et rurſus cap. 12. libri de Brevitate Vitæ: --- *quos quando lavari debeant, quando natare, quando cœnare, alius admonet, & uſque eo nimio delicati animi languore ſolvuntur, ut per ſe ſcire non poſſint an eſuriant*. Porro Perſarum regibus olim ſolenne fuit, certos homines circum ſe habere, qui omne voluptatum genus ipſis terra marique conquirerent, uti narrat e Xenophonte Athenæus lib. 4. περὶ δὲ, inquit, τῆς τρυφῆς τῶν ἐν Πέρσαις βασιλέων Ξενοφῶν ἐν Ἀγησιλάῳ οὕτω γράφει. τῷ μὲν γὰρ Πέρσῃ πᾶσαν γῆν περιέρχονται μαστεύοντες, τί ἂν ἡδέως πίοι· μυρίοι δὲ τεχνῶνται τί ἂν ἡδέως φάγοι· ὅπως γε μὴν καταδάρθοι, οὐδ᾽ ἂν εἴποι τις ὅσα πραγματεύονται. i. e. *De luxu regum Perſiæ ita ſcribit Xenophon in Ageſilao: Perſarum regi, univerſum terrarum orbem circumeunt, perquirentes, quid illi potu jucundum ſit: innumeri ſollerter excogitant, quid libenter edat, ubi quiete dormiat: nec proclive dictu eſt, quam anxii & ſolliciti de ea re vivant*. *Xerxes* præcipue ( ſi Tullio credimus Tuſculanarum Quæſtionum lib. 5. ) *refertus omnibus præmiis doniſque fortunæ............ præmium propoſuit, qui inveniſſet novam voluptatem: qua ipſe inventa non fuit contentus: neque enim umquam finem inveniet libido*. Ceterum *ſcabiem* pro libidine, & pruritu voluptatis uſurpavit idem Cicero lib. 1. de Legibus. *Voluptatis*, inquit, *blanditiis corrupti, quæ naturâ bona ſunt, quia dulcedine hac & ſcabie carent, non cernimus ſa-*

Vos Veranniolo meo, & Fabullo
Verpus præposuit Priapus ille?
Vos convivia lauta sumtuose
De

*satis*. Martialis quoque lib. 11. Epigrammate 8. ad mulierem quamdam impudicam:

*Penelopa licet esse tibi sub principe Nerva:*
*Sed prohibet scabies, ingeniumque vetus.*

Videsis Ausonii Epigramma 108. Non abs re igitur Catullus *scabiem* appellaverit impurissimos bipedum, qui cessantem prætoris pruritum exquisitis urticis & stimulis excitarent: quemadmodum Lucanus lib. 7. v. 557. ubi puguam illam Pharsalicam describit, appellat Cæsarem *rabiem populi*, *stimulumque furoris*. Famem vero novis ciborum condimentis instaurari solitam, Juvenalis testatur Satyra 4. v. 136. loquens de Montano senatore, gulæ ac ventri dedito:

\- - - - - - - - *noverat ille*
*Luxuriam imperii veterem, noctesque Neronis*
*Jam medias, aliamque famem, cum pulmo Falerno*
*Arderet* - - - -

At Heliogabalus *amabat sibi pretia rerum earum majora dici qua mensa parabantur, orexim convivio hanc esse asserens*. verba sunt Lampridii.

ibid. *Memmî* ] Non dissimulo, veteres codices hoc loco mirum in modum inter se dissentire; præferunt enim vel *mundi*, vel *mondi*, vel *mandi*, vel alias voces depravatas. Verisimile tamen est, viri alicujus nomen hic delitescere. Nullo enim pacto Jani Meleagri sententiam probare possum, qui legendum putat *scabies famesque mundi*, quasi dicas, *scabiosissimi & jejuniosissimi in mundo*; nam quomodo pannis obsiti, impetigine laborantes, fameque confecti homines tempestiva convivia parare & concelebrare possunt? quod tamen probrum illis objicit poeta noster.

v. 3. *Veranniolo meo, & Fabullo* ] Supra Carm. 12.

\- - - - *hac amem necesse est*
*Ut Veranniolum meum, & Fabullum.*

v. 4. *Verpus Priapus* ] Homo scilicet libidinosus, & pudendi magnitudine insignis: præterea circumciso præputio, apella, recutitus, more Judæorum. Id enim significat *verpus*. Non ignorant eruditi, Romanorum nonnullos ea superstitione imbutos fuisse, ut sacris Judaicis initiarentur, & ἀκροβυστίαν æquo animo paterentur. Ejus insaniæ meminit Juvenalis Satyra 14. his versibus:

*Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,*
*Nil præter nubes, & cæli numen adorant;*
*Nec distare putant humana carne suillam,*
*Qua pater abstinuit. mox & præputia ponunt.*
*Romanas autem soliti contemnere leges,*
*Judaicum ediscunt, & servant, ac metuunt jus,*
*Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.*
*Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti:*
*Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.*
*Sed pater in caussa: cui septima quaque fuit lux*
*Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.*

De die facitis; mei sodales
Quærunt in triviis vocationes?

## XLVIII.

Mellitos oculos tuos, Juventi,
Si

v. 6. *De die* ] Hæc dicebantur convivia tempestiva, quibus tantummodo intererant homines otio & luxuria diffluentes. Negotiis enim publicis, aut familiaribus impediti, sub vesperam demum cœnabant. M. Tullius Oratione frumentaria in C. Verrem: *Statuitur Lollius in illo tempestivo gladiatorum convivio*. Plaut. Asinaria Ac. 4. Sc. 2. v. 16.

*Cum suo sibi gnato unam ad amicam de die*
*Potare - - - - -*

Terentius Adelphis Ac. 5. Sc. 9. v. 7. *εὐμνδόμεθα*:

*- - - - - obsonare, cum fide*
*Scortum adducere: apparare de die convivium:*
*Non mediocris hominis hæc sunt officia - - -*

Horatius Satyra 8. lib. 2. v. 2.

*Nam mihi quærenti convivam dictus here illic*
*De medio potare die - - - - -*

Idem Epistola 14. lib. 1. v. 34. vocat se *bibulum liquidi media de luce Falerni*. Livius lib. 23. *Cœperunt epulari de die, & convivium non ex more Punico, aut militari disciplina esse: sed ut in civitate, atque etiam domo divite, ad varias omnium voluptatum illecebras instructum*. Loquitur de Hannibale Capuæ desidente. Polybius in Excerptis Histor. lib. 8. ὁ Γάϊος ἀκπαύητο μεθύων, ὡς εἰκὸς ἐστι τὸς ἀφ' ἡμέρας πίνοντας. *At Cajus vino gravis somno indulgere, sicut ii solent qui de die compotationes inierunt*. Quemadmodum vero *de die*, ita etiam *de nocte* Latini dicebant. Plautus Rudente Ac. 4. Sc. 1. v. 7. *De nocte qui abiit piscatum ad mare*.

v. 7. *Quærunt in triviis vocationes* ] Domicœnium videlicet cane pejus & angue vitantes. Hominem hujusmodi graphice describit Martialis Epigr. 14. lib. 2. quod vide. A *vocando*, sive ad cœnam invitando, *vocatores* dicti servi quibus id a domino mandatum erat. Seneca lib. 3. de Ira cap. 37. *Minus honorato loco positus, irasci cœpisti convivatori, vocatori, ipsi qui tibi præferebatur*. Ut autem *vocare* hac significatione accipiebant, ita *revocare*, interdum erat eum ad convivium arcessere qui prior convivio excepisset. Cicero pro Sex. Roscio Amerino: *Domum suam istum non fere quisquam vocabat. nec mirum. qui neque in urbe viveret, neque revocaturus esset*. Invenitur & *devocare*. Corn. Nepos Cimone cap. 4. *Quotidie sic cœna ei coquebatur, ut quos non vocatos vidisset in foro, omnes devocaret: quod facere nullum diem prætermittebat*. Porro etiam mulieres adulteræ, & meretrices dicebantur *vocari*, si quis eas ad concubitum *poposcisset*. Horatius Satyra 3. lib. 2. v. 237.

*Sume; tibi decies: tibi tantumdem: tibi triplex,*
*Unde uxor media currat de nocte vocata.*

Propertius Elegia 8. lib. 4.

*His ego constitui noctem lenire vocatis,*
*Et Venere ignota furta novare mea.*

Argum. Carm. XLVIII. ] Blanditur Juventio, formoso puero.

v. 1. *Oculos tuos basiare* ] Qui oculos diffuaviantur, ipsum animum τοῦ ἐρωμένου attingere quodammodo, atque osculari sibi videntur. Hujus consuetu-

Si quis me finat usque basiare,
Usque ad millia basiem trecenta;
Nec umquam saturum inde cor futurum est:
Non si densior aridis aristis
Sit nostræ seges osculationis.

## XLIX.

DISERTISSIME Romuli nepotum,

Quot

tudinis mentio frequens apud antiquos. Homerus Odysseæ lib. 16. v. 15.

*Κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε, καὶ ἄμφω φάεα καλά,*
*Χεῖράς τ' ἀμφοτέρας - - - -*
*Osculatusque est ipsius caputque, & ambo lumina pulchra,*
*Manusque ambas - - - -*

Quod repetit ejusdem operis lib. 17. v. 39. Plautus Casina Ac. 1. Sc. 1. v. 48.

*Sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea.*

Q. Cicero Tironi Epistola ultima lib. 16. ad familiares: *Ego vos ad diem III. Kal. videbo, tuosque oculos, etiam si te veniens in medio foro videro, suaviabor*. Poeta noster superius Carm. 45.

*Et dulcis pueri ebrios ocellos*
*Illo purpureo ore suaviata.*

De osculis τῶν παίδων plura, sed lasciviora disputat Achilles Tatius in calce lib. 2. τῶν ἐρωτικῶν.

v. 4. *Nec umquam saturum i. cor f. e.* ] Isaacus Vossius ita hunc versum legit e priscis codicibus:

*Nec umquam inde ero satur futurus.*

*biante*, inquit, *syllaba, ut solet Catullus*. An bene, judicent in hoc genere exercitati. Ceterum, osculorum nullam esse satietatem, contendit, paullo ante memoratus Achilles lib. 4. his verbis: *τὸ μὲν γὰρ ἔργον Ἀφροδίτης καὶ ὅρον ἔχει καὶ κόρον, καὶ οὐδέν ἐστιν ἐὰν ἐξέλῃς αὐτοῦ τὰ φιλήματα. φίλημα δὲ καὶ ἀόριστόν ἐστι, καὶ ἀκόρεστον, καὶ καινὸν ἀεί.* i. e. *Opus Veneris profecto & modum, & satietatem habet, nec prorsus quicquam est, si basia eximas: basium vero nullo fine terminatur, nulla satietate afficit, sed semper est recens*. Cui loco Achillis geminus est alter in fragmentis Petronii, quem recitare non pigebit. Est autem hujusmodi:

*Fœda est in coitu & brevis voluptas,*
*Et tadet Veneris statim peractæ.*
*Non ergo, ut pecudes libidinosæ,*
*Cæci protinus irruamus illuc:*
*Nam languescit amor, peritque flamma.*
*Sed sic, sic sine fine feriati,*
*Et tecum jaceamus osculantes.*
*Hic nullus labor est, ruborque nullus:*
*Hoc juvit, juvat, & diu juvabit:*
*Hoc non deficit, incipitque semper.*

v. 5. *Aridis aristis* ] D. August. lib. 4. de Civ. Dei cap. 8. *Cui non sufficere videretur illa Segetia, quamdiu seges ab initiis herbidis usque ad aridas aristas perveniret?* Horatius pariter Ode 4. lib. 3. v. 31. *arentes arenas* dicere non dubitavit.

ARGUM. CARM. XLIX. ] M. Tullio Ciceroni gratias agit; sed quamobrem agat, longinqui temporis vitio, minus compertum est.

v. 1. *Disertissime Romuli nepotum* ] Quapropter non injuria Cornelius Severus, poeta magni spiritus, apud Senecam

Quot ſunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque poſt aliis erunt in annis;
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, peſſimus omnium poeta:
Tanto peſſimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

## L.

Hesterno, Licini, die otioſi
Multum luſimus in meis tabellis,
Ut convenerat eſſe: delicatos

Scri-

cam patrem Suaſoria 7. canit, mortuo Cicerone obmutuiſſe Romanam eloquentiam. Audi verſus:

*Abſtulit una dies ævi decus, iſtaque luctu*
*Conticuit Latia triſtis facundia lingua.*

Tu lege reliqua, ſi vacat; pretium enim operæ feceris.

v. 2. *Quot ſunt, quotque fuere* ] Similiter locutus Plautus Bacchid. Ac. 5. Sc. 1. v. 1.

*Quicumque ubique ſunt, qui fuere, quique futuri ſunt poſthac*
*Stulti, ſtolidi - - - - - - -*
*Solus ego longe anteeo ſtultitia, & moribus indoctis.*

Idem Perſa Ac. 5. Sc. 2. v. 1.

*Qui ſunt, qui erunt, quique fuerunt, quique futuri ſunt poſthac,*
*Solus ego omnibus antideo facile, miſerrimus hominum ut vivam.*

Neque ab hac loquendi ratione Cicero abhorruit Epiſtola 21. lib. 11. ad Decimum Brutum: *Dii iſti Segulio malefaciant, homini nequiſſimo omnium qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt.* Neque Livius lib. 29. verbis P. Scipionis, e Sicilia in Africam trajicentis: *Quæ*, inquit, *in meo imperio geſta ſunt, geruntur, poſtque gerentur.*

v. 6. *Tanto peſſimus* ] Hic verſus abeſt a libris melioribus.

v. 7. *Optimus omnium patronus* ] Longe difficilius eſſe oratione ſcribenda excellere, quam poemate, pluribus diſputat Iſocrates in Evagora, m. pag. 450. ab illis verbis: *τοῖς μὲν γὰρ ποιηταῖς πολλοὶ δέδονται κόσμοι.* Verum is arti quam profitebatur, blanditus eſt.

Argum. Carm. L. ] Ad Licinium Calvum ſodalem ſuum, poetam & oratorem egregium: ſe ita familiaritatem & convictum ejus deperire, ut ægre admodum ab eo divelli poſſit.

v. 2. *In meis tabellis* ] In meis pugillaribus ligneis. Antiqui tabulis ceratis ad ſcribendum utebantur, quod nemo eruditus ignorat.

v. 3. *Ut convenerat eſſe delicatos* ] In eo loco ad quem alter alteri condixeramus. *Ut* pro *ubi*: quemadmodum ſuperius Carm. 11.

*Litus ut longe reſonante Eoa*
*Tunditur unda.*

& Carm. 17. *Totius ut lacus...... maxime eſt profunda vorago.* *Delicatos* porro,

ro,

Scribens versiculos uterque nostrûm,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per jocum, atque vinum.
Atque illinc abii tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Ut nec me miserum cibus juvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos:
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, simulque ut essem.
At defessa labore membra postquam

Se-

ro, deliciis, otio, mero, genio indulgentes. Vossius inter τὸ *esse*, ac τὸ *delicatos* ponit ὑποδιαστοχλεῖν, quasi Catullus & Calvus oblectarent se scribendis *versiculis delicatis*, nimirum, ut poeta noster alibi loquitur, *molliculis, & parum pudicis*; vel *minutis*, & brevioribus, cujusmodi sunt hendecasylbi, glyconii, & alii similes; quod Sentius Augurinus apud Plinium Juniorem Epistola 16. lib. 4. de se ipse fatetur:

*Canto carmina versibus minutis,*
*His olim quibus & meus Catullus,*
*Et Calvus, veteresque - - -*

Ceterum, *delicati sermonis, & convivio digni* meminit Cicero lib. 1. Officiorum cap. 40. quamquam ibi pro *convivio dignum*, *convivii dicta* mavult legere Grævius, e duobus vetustis codicibus.

v. 4. *Scribens versiculos u. n.* ] Ita exercentur nonnumquam ingeniosi homines, & litterarum amantes, quorum ne ludi quidem utilitate omnino vacant. Atque ita ludebant olim, seriis in aliud tempus dilatis, Leo X. Pont. Max. & Camillus Quernus, cui summam condendi ex tempore carminis facultatem adepto Archipoeta nomen fuit. Sed & maligni homines, qui alienam gloriam iniquo animo ferrent, hoc certamen certare cupiebant. Horatii testimonium satis fuerit Satyra 4. lib. 1. v. 13. - - - - *Ecce*

*Crispinus minimo me provocat: Accipe, si vis,*
*Accipe jam tabulas: detur nobis locus, hora,*
*Custodes: videamus uter plus scribere possit.*

v. 5. *Numero modo hoc, modo illoc* ] I. e. vario carminis genere. Neque enim Fulvii Ursini sententiam probo, qui in Appendice ad librum Petri Ciacconii de Triclinio, talorum jactum hoc loco significari existimat.

v. 6. *Per jocum, atque vinum* ] Plautus Pœnulo Ac. 5. Sc. 5. v. 41.

*Heus tu, si quid per jocum dixi, nolito in serium convertere.*

Dicebant etiam *in joco, atque vino*, ut noster supra Carmine 12. Terentius vero Heautontimor. Act. 3. Sc. 3. v. 7. *Vel here in vino quam immodestus fuisti!*

v. 11. *Indomitus furore* ] I. e. non domitus a somno, ob furorem, sive animi æstum, quo jactabar; cum tamen somnus curarum domitor sit.

v. 15.

Semimortua lectulo jacebant,
Hoc, jucunde, tibi poema feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax cave sis: precesque nostras
Oramus, cave despuas, ocelle,
Ne poenas Nemesis reposcat a te.

v. 15. *Semimortua* ] ὕπνον βαθὺν, καὶ ἡμιθνῆτα: *somnum profundum, & qui semimortuos efficiat*, memorat Philostratus lib. 2. de Vita Apollonii cap. 36.

v. 17. *Meum dolorem* ] Quem scilicet ex absentia tua conceperam.

v. 18. *Audax cave sis* ] Noli superbire, lepóris & virtutum tuarum tibi conscius. Homines enim cum laudantur, & se ab aliis magni fieri vident, nihil sibi non arrogant. Lege Propertii Elegiam ultimam tertii libri. Eodem pacto adverbium *audacius* usurpavit Tibullus Carm. 14. lib. 4. puellam formosam allocutus, cui jurejurando promiserat, se ab ea numquam discessurum:

*Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures.*
*Hoc peperit misero garrula lingua malum.*

ibid. *Precesque nostras* ] Cum aliquid a te expetemus, necessitate compulsi: maxime vero jucundissimum congressum tuum.

v. 19. *Despuas* ] Contemnas, pro nihilo habeas. Despuimus enim vilissima quæque.

v. 20. *Ne pœnas Nemesis r. a te.* ] Hæc dea, ut antiquis persuasum erat, superbos, pervicaces, & qui humanæ imbecillitatis immemores, ob prosperam fortunam fastidio nimiaque lætitia efferrentur, ulciscebatur, & in ordinem cogebat. Rhamnunte vero, Atticæ regionis pago, templum celeberrimum habebat, summaque religione colebatur, teste, præter ceteros, Pausania in Atticis cap. 33. cujus hæc verba sunt: Μαραθῶνος δὲ σαδίους μάλισα ἑξήκοντα ἀπέχει Ῥαμνοῦς τὴν παρὰ θάλασσαν ἰοῦσιν ἐς Ὠρωπόν. Καὶ αἱ μὲν οἰκήσεις ἐπὶ θαλάσσῃ τοῖς ἀνθρώποις εἰσὶ, μικρὸν δὲ ἐπὶ θαλάσσης ἄνω Νεμέσεώς ἐσιν ἱερόν· ἣ θεῶν μάλισα ἀνθρώποις ὑβρισαῖς ἐσιν ἀπαραίτητος. i. e. *A Marathone stadia sexaginta Oropum versus per litus progressis Rhamnus occurrit, ubi & hominum sunt ædes, & paullum supra mare Nemesis deæ fanum. Hæc se deorum una insolentioribus hominibus maxime implacabilem præbet*. Post multa vero, hæc subjungit: πτερὰ δ' ἔχον οὐδὲ τοῦτο τὸ ἄγαλμα Νεμέσεως, οὔτε ἄλλο πεποίηται τῶν ἀρχαίων. Ἐπειδὴ δὲ Σμυρναίοις τὰ ἁγιώτατα ξόανα ἔχειν πτερὰ οἶδα ὕσερον, ἐπιφαίνεσθαι γὰρ τὴν θεὸν μάλισα ἐπὶ τοῖς ἐρᾷν ἐθέλουσιν, ἐπὶ τούτῳ Νεμέσει πτερὰ ὥσπερ Ἔρωτι ποιοῦσι. i. e. *Nemesis neque hoc, neque aliud vetus signum alas habet. Apud Zmyrnæos quæ maxima cum religione coluntur ejus deæ signa, alas habere, postea animadverti. cujus rei eam esse caussam suspicor, quod eum ejus numen ad amatores maxime pertineat, iccirco ei ut Cupidini alas addunt*. Porro Isaacus Vossius hunc Catulli versum ita legere amat:

*Ne pœnas Nemesis reponat. Ate*
*Est vehemens dea - - -*

Quam lectionem sumsit e Jani Meleagri Spicilegio; nec tamen fatetur. Sed profecto Ate, si Homerum audimus Iliados lib. 19. v. 90. & sequu. dea est Jovis filia, hominibus infesta, non

Est vehemens dea; lædere hanc caveto.

## L I.

ILLE mi par esse deo videtur,

Ille

solum injustis & contumeliosis, verum etiam virtute præditis; eorumque malis gaudens: ideoque a Nemesi diversam esse crediderim. Quod si eadem fuerit, quare Catullus eam alio nomine subito debuerit appellare, minus intelligo. Vulgata igitur lectio non sollicitanda.

v. 21. *Est vehemens dea* ] βαρὺς θεός: quomodo Theocritus Amorem vocat Idyllio 3. v. 15. Duæ primæ syllabæ in voce *vehemens*, κατὰ συναίρεσιν in unam coalescunt. Ita & Lucretius lib. 3. v. 153.

*Verum ubi vehementi magis est commota metu mens.*

ARGUM. CARM. LI. ] Ceteris hominibus eos anteire fortunis judicat, quibus aspectu Lesbiæ frui contingat: deinde, quasi resipiens, otium damnat, quod pabulum amori præbeat. Hoc autem Carmine Oden elegantissimam poetriæ Sapphûs, quam Dionysius Longinus, rhetor excellens, in libello περὶ ὕψους ab interitu vindicavit, Catullus Latine exprimendam suscepit. Nonnulla tamen vel ipse penitus intacta reliquit, vel si ab eo conversa fuerunt, longinqua vetustate postea deleta sunt. Gratum vero facturus adolescentibus harum litterarum studiosis, qui Græca Sapphûs cum Latinis Catulli conferendo, magnum ex ea re fructum & voluptatem percipient, integrum decimæ illius Musæ Carmen, ut est a viris doctissimis emendatum, hic legendum exhibeo. quod hujusmodi est:

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν
Ἔμμεν' ὠνὴρ, ὅςις ἐναντίος τοι
Ἰζάνει, καὶ πλασίον ἀδὺ φωνεύ-
σας ὑπακούει,
Καὶ γελώσας ἱμερόεν· τό μοι τὰν
Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν·
Ὡς ἴδον σε, ὡς βρόγχον ἐμοὶ γὰρ αὐδᾶς
οὐδὲν ἔτ' ἥκει.
Ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσ' ἔαγ'. ἂν δὲ λεπτὸν
Αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν·
Ὀμμάτεσσιν δ' οὐδὲν ὄρημι· βομβεῦ-
σιν δ' ἀκοαί μοι.
Καδδ' ἱδρὼς ψυχρὸς χέεται· τρόμος δὲ
Πᾶσαν αἱρεῖ· χλωροτέρη δὲ ποίας
Ἔμμι· τεθνάναι δ' ὀλίγω δέουσα
Φαίνομαι ἄπνους.

Postremam strophen ita vertit Henricus Stephanus, ut ea quæ in Catullo desiderantur, suppleret:

*Manat & sudor gelidus, tremorque*
*Occupat totam; velut herba pallent*
*Ora; spirandi neque compos, Orco*
*Proxima credor.*

Hanc Sapphûs Oden, tamquam exemplum sublimis dicendi generis proponit memoratus Longinus; docet enim, τὴν ἐκλογὴν τῶν λημμάτων, καὶ τὴν πύκνωσιν τῶν ἐκλελεγμένων τὸ ἀκροατὴν προσάγεσθαι. nimirum, *summorum maximeque efficacium consequentium delectum, deinde eorumdem frequentationem & coacervationem, mira vi auditorem conciliandi pertrahendique præditam esse:* quæ duo in Carmine Sapphûs optime adhibita sint.

v. 1. *Ille mi par esse deo videtur* ] Veteres cum præclarum aliquod & exoptatum bonum se consecutos existimâssent, statim cum deorum immortalium fortunis suas comparare non dubitabant, neque ab impiis vocibus abstinebant. Horatius Ode 1. lib. 1. ob Lyricæ poesis facultatem ita insolescit,

Ille, si fas est, superare divos,
Qui sedens adversus identidem te
Spectat, & audit
Dulce ridentem, misero quod omnes

Eri-

ut se divinæ naturæ compotem quodammodo effectum prædicet.

*Me*, inquit, *doctarum edera præmia frontium*
*Diis miscent superis* - - - -

Amantium præcipue hæc insania erat; qui nimirum cæci cupiditate, divitias, potentiam, gloriam, immortalitatem, bona denique omnia in eo collocant, ut amicæ aspectu, colloquio, osculis, amplexibus quam sæpissime potiantur. Audi quid effutiat Phædromus ille amore perditus, apud Plautum Curculione Ac. 1. Sc. 3. v. 11. & quid illi respondeat servus haud paullo sapientior.

PH. *Est lepida?* PA. *nimis lepida*.
PH. *sum deus*. PA. *immo homo haud magni pretii*.
PH. *Quid vidisti, aut quid videbis magis diis æquiparabile?*
PA. *Male valere te, quod mihi ægre est* - - -

Pamphilus vero Terentianus Hecyra Ac. 5. Sc. 4. v. 3. in re non dissimili: *Deus sum, si hoc ita est*. Quibuscum concinit Propertius Elegia 12. lib. 2. E. B.

*Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis:*
*Nocte una quivis vel deus esse potest*.

Ineptiis amatorum conjungendæ sunt magnificæ quædam & παράδοξα Stoicorum sententiæ, qui Sapientem, ipsorum præceptis formatum, modo similem Deo, modo parem, modo etiam superiorem affirmare non verentur. Seneca de Constantia Sapientis cap. 8. *Sapiens autem vicinus proximusque diis consistit, excepta mortalitate similis Deo*. Idem Epistola 83. *Solebat Sextius dicere, Jovem plus non posse quam bonum virum. Plura Juppiter habet, quæ præstet hominibus: sed inter duos bonos non est melior, qui locupletior*. & paullo post: *Deus non vincit sapientem felicitate, etiam si vincit ætate. non est virtus major, quæ longior*. & rursus: *Sapiens tam æquo animo omnia apud alios videt contemnitque, quam Juppiter. & hoc se magis suspicit, quod Juppiter uti illis non potest, sapiens non vult*. Denique Epistola 53. *Est aliquid quo sapiens antecedat Deum. ille naturæ beneficio, non suo sapiens est: ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei*. Modestiores igitur fuerunt ex eadem schola philosophi quos irridet Flaccus in calce Epistolæ 1. lib. 1. Eorum enim decretum fuit:

- - *sapiens uno minor est Jove, dives,*
*Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum*.

v. 2. *Superare divos* ] Hoc addidit Catullus de suo: neque enim legitur in Sapphûs Ode.

v. 3. *Sedens adversus* ] Italice dicimus *dirimpetto, incontra*. Joannes Boccatius ἐν δεκαημέρῳ, Fabula 10. Diei 5. *Alla quale Pietro postosi a seder dirimpetto, disse*. Ludovicus Areostus sub finem Cantus 27. præclari Poematis:

*Perch' io possa udir meglio, e tu narrarmi,*
*Siedimi incontra, ch' io ti vegga in faccia*.

*Residere adversus* dixit Cornelius Celsus lib. 3. Medicinæ cap. 6. *Medicus neque in tenebris, neque a capite ægri debet residere; sed illustri loco adversus eum, ut omnes notas, ex vultu quoque cubantis perspiciat*. Hoc ita expressit Homerus Iliados 9. v. 190.

Ila-

Eripit ſenſus mihi: nam ſimul te,
Lesbia, aſpexi, nihil eſt ſuper mi
* * *
Lingua ſed torpet, tenuis ſub artus
Flam-

*Πάτροκλος δέ οἱ οἶος ἐναντίος ἧστο σιωπῇ*
*Δέγμενος Αἰακίδην ὁπότε λήξειεν ἀείδων.*
*Patroclus autem ei ſolus adverſum ſedebat tacitus,*
*Exſpectans Æacidem quando deſineret canere.*

& v. 218. ejuſdem libri:

*Αὐτὸς δ' ἀντίος ἷζεν Ὀδυσσῆος θείοιο.*
*Ipſe autem ſedit adverſus Ulixem divinum.*

Vide & Odyſſeæ lib. 5. v. 198. item lib. 14. v. 79. Ceterum, ad hunc Sapphûs locum reſpexit Lucianus, ſeu quiſquis eſt auctor, in Amoribus; quod animadvertit etiam Ægidius Menagius. Luciani verba ſunt: Ἀλλ' ἐμοὶ μὲν, δαίμονες οὐράνιοι, βίος εἴη διηνεκὴς οὗτος, ἀπαντικρὺ τοῦ φίλου καθέζεσθαι, καὶ πλησίον ἡδὺ λαλοῦντος ἀκούειν. i. e. *At mihi quidem, o dii cæleſtes, utinam perpetua ſit hæc vita, ex adverſo amici ſedere, & ſuave loquentem prope audire.*

v. 6. *Eripit ſenſus mihi* ] Horatius Ode 13. lib. 4. de Lyce: *Quæ me ſurpuerat mihi*. Propertius Elegia 9. lib. 2. ubi vulgatam Cupidinis picturam laudat:

*Is primum vidit ſine ſenſu vivere amantes.*

His verbis Catullus reddere conatus eſt illud Sapphûs: τό μοι τὰν καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν. *quod mihi cor in pectore perterrefacit, obſtupefacit.*

ibid. *Simul aſpexi* ] Subaudi *ac. toſto che.* Horatius pariter Ode 12. lib. 1.

*- - quorum ſimul alba nautis*
*Stella refulſit,*
*Defluit ſaxis agitatus humor.*

& alibi ſæpius.

v. 7. *Nihil eſt ſuper mi* ] Nihil mihi supereſt: nihil mihi reliquum eſt.

*** ] Hanc lacunam ingenioſe quidem, ſed ſatis audacter olim Parthenius expleverat, addito verſiculo: *Quod loquar amens*. In bonis enim auctoribus aliquid ſimile præſtare, flagitium eſt: ſiquidem vetuſta ſimulacra, mutila magis placent, quam novi operis adjunctione perfecta. In Codice MSto membranaceo Bibliothecæ Saibantium Nobilium Veronenſium, num. 323. ita hic locus poetæ noſtri conſtituitur:

*Lesbia aſpexi nihil eſt ſuprema.*

deinde Adonius deſideratur. In duobus vero chartaceis ejuſdem Bibliothecæ, altero num. 324. altero num. 329. hoc pacto:

*Leſbia aſpexi nihil eſt ſuprema*
*Voce locuta.*

Ex qua ſcriptura ingenioſior aliquis veram ſortaſſe lectionem exſculpere poterit. Hos Codices accurate conſuluit V. C. PAULUS GALEARDUS, Canonicus Eccleſiæ Brixianæ.

v. 9. *Lingua ſed torpet* ] Id amantibus uſuvenire, teſtatur Virgilius, qui Æneidos 4. v. 76. de Didone Æneam depereunte:

*Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.*

Horatius pariter Ode 1. lib. 4.

*Sed cur heu, Ligurine, cur*
*Manat rara meas lacrima per genas?*
*Cur facunda parum decoro*
*Inter verba cadit lingua ſilentio?*

Idem Epodo 11.

*Conviviorum & pænitet,*
*In queis amantem & languor, & ſilentium*
*Arguit, & latere*
*Petitus imo ſpiritus.*

Antiquorum vero felix æmulator Franciſcus Petrarc. (*nel Son. 41. della 1. Par.*)

X 2 Per-

Flamma dimanat, sonitu suopte
Tintinant aures, gemina teguntur

Lu-

*Perch' io t' abbia guardato di menzogna*
*A mio podere, ed onorato assai,*
*Ingrata lingua, già però non m' hai*
*Renduto onor, ma fatto ira, e vergogna:*
*Che quando più 'l tuo ajuto mi bisogna*
*Per dimandar mercede, allor ti stai*
*Sempre più fredda; e se parole fai,*
*Sono imperfette, e quasi d' uom che sogna.*

Porro, consequentia hæc, quæ Sappho & Catullus coacervant, etiam Theocritus congerit in Pharmaceutria v. 106. ubi mulierem subito dilecti adolescentis aspectu obstupefactam ita describit:

Πᾶσα μὲν ἐψύχθην χιόνος πλέον, ἐκ δὲ μετώπω
Ἱδρώς μευ κοχύεσκεν ἴσον νοτίαισιν ἐέρσαις·
Οὐδέ τι φωνᾶσαι δυνάμαν, οὐδ᾽ ὅσσον ἐν ὕπνῳ
Κνυζῶνται φωνεῦντα φίλαν ποτὶ ματέρα τέκνα·
Ἀλλ᾽ ἐπάγην δαγῦδι καλὸν χρόα πάντοθεν ἴσα.

*Tota quidem obrigui, plus nive: ex fronte vero*
*Mea sudor abunde defluebat similis australibus pruinis,*
*Neque quicquam eloqui poteram, ne tantum quidem quantum in somnis*
*Murmurant clamantes caram ad matrem pueri:*
*Sed obrigui toto corpore, sicut monile riget.*

Hunc Theocriti locum attulit Janus Douza filius, sed Latine reddere neglexit. Græcos poetas imitatur Horatius Ode 13. lib. 1. loquens de amante zelotypo:

*Tunc nec mens mihi, nec color*
*Certa sede manet: humor & in genas*
*Furtim labitur, arguens*
*Quam lentis penitus macerer ignibus.*

His adjungendus Plato in Phædro. Ἰδόντα δ᾽, inquit, αὐτὸν, (τὸν ἐρώμενον, τὰ παιδικά) οἷον ἐκ τῆς φρίκης, μεταβολή τε καὶ ἱδρὼς καὶ θερμότης ἀήθης λαμβάνει. i. e. *Conspicatum vero ipsum* (amasium) *velut ex horrore habitus permutatio, sudor & ardor insolitus occupat.* Græcorum vero & Latinorum exempla, quamquam non æquis passibus, nos quoque ita secuti sumus in Ecloga quam *Charidemum* inscripsimus:

*Cor salit, & celeres trepidant in corpore venæ,*
*Hæret lingua metu, caligine lumina torpent,*
*Membraque frigidulo sensim sudore madescunt,*
*Si tenues pueri voces, & sibila nota*
*Me feriant: quid si optati lux fulgeat oris?*
*Tunc mihi visceribus concrescit sanguis in imis.*

Loquitur ibi Neæra puella; de Charidemi pastoris amore confessa. Porro, quæ amantibus contingere videmus, improviso etiam terrore correpti experiri solent: id quod Lucretius animadvertit lib. 3. v. 153.

*Verum ubi vehementi magis est commota metu mens,*
*Consentire animam totam per membra videmus:*
*Sudores itaque, & pallorem exsistere toto*
*Corpore, & infringi linguam, vocemque aboriri;*
*Caligare oculos, sonere aureis, succidere artus.*

Nec mirum, amantibus ac timentibus convenire: amantes enim, quem absentem dolent atque suspirant, præsentem reverentur, admirantur, & metuunt.

ibid. v. 9. *Tenuis flamma* ] Sappho, λεπτὸν πῦρ. Quam dicendi elegantiam Franciscus Petrarcha, tametsi Græce nesciret, sola ingenii præstantia est assecutus. Ait enim (*nel Sonetto* 152. *della* 1. *Parte*)

--e'l

Lumina nocte.
Otium, Catulle, tibi molestum est:
Otio exsultas, nimiumque gestis:
Otium & reges prius, & beatas
Perdidit urbes.

LII. QUID

*- - - - - e'l tacito focile*
*D' Amor trazge indi un liquido sottile*
*Foco, che m' arde alla piu algente bruma.*

Ceterum Aristoteles lib. 1. de Anima ipsum ignis elementum appellat λεπτομερέστατον, i. e. *partium tenuissimarum*.

v. 10. *Flamma dimanat* ] Eodem pacto Lucretius lib. 1. v. 495.

*Permanat calor argentum, penetraleque frigus,*
*Quando utrumque, manu retinentes pocula rite*
*Sensimus infuso lympharum rore superne.*

& v. 356. libri ejusdem:

*- - rigidum permanat frigus ad ossa.*

v. 11. *Tintinant aures* ] Sappho: βομβεῦσιν δ' ἀκοαί μοι.

ibid. *Gemina teguntur Lumina nocte* ] Oculorum caliginem appellat *noctem*. Ita Ovidius Metamorph. lib. 7. v. 2. cæcitatem vocat *noctem perpetuam*.

*Perpetuaque trahens inopem sub nocte senectam*
*Phineus visus erat - - -*

Quemadmodum vero Catullus dixit *gemina nocte*, idem poeta Sulmonensis de Argo a Mercurio interfecto, contra cecinit Metamorph. 1. v. 721.

*--- centumque oculos nox occupat una.*

v. 13. *Otium, Catulle* ] Pulcherrima, & quantivis pretii παρέκβασις, dithyrambico poetæ valde conveniens.

ibid. *Tibi molestum est* ] Martialis pariter Epigram. 13. lib. 10. in divitem quemdam, qui nimio luxu corruptus in amorem inciderat:

*Vis dicam, male sit cur tibi, Tucca? bene est.*

Increpat igitur seipsum Catullus, quasi veterno amoris tantisper excusso. Eodem prope pacto Virgilius Ecloga 2. v. 69.

*Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?*
*Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.*
*Quin tu aliquid saltem potius quorum indiget usus,*
*Viminibus, mollique paras detexere junco?*

Theophrastus apud Stobæum Sermone 62. interrogatus, quid esset Amor, sapientissime respondit, πάθος ψυχῆς σχολαζούσης. *affectus animæ otiosæ*. Et Franciscus Petrarcha, Musarum deliciæ ac nostræ, ita in Amoris Triumpho cap. 1.

*Ei naeque d'ozio, e di lascivia umana,*
*Nutrito di penser dolci, e soavi,*
*Fatto signor' e dio da gente vana.*

v. 14. *Otio exsultas, n. gestis* ] Exsultare, gestire, lascivire, hominum est otio abundantium. Livius lib. 2. Histor. *Decernunt ut delectum quam acerrimum habeant. otio lascivire plebem*. Justinus lib. 16. cap. 4. de Heracleensibus: *Postremum adversus plebem nimio otio lascivientem, auxilia a Timotheo Atheniensium duce, mox ab Epaminonda Thebanorum petivere.*

v. 15. *Otium & reges prius, e. b. P. u.* ] Verissima sententia, cui omnium temporum monumenta suffragantur. Thucydides lib. 6. Histor. in oratione Alcibiadis: Νομίσατε, inquit, ........: τὴν πόλιν, ἂν μὲν ἡσυχάζῃ, τρίψεσθαί τι αὐτὴν περὶ ἑαυτὴν, ὥσπερ καὶ ἄλλο τι, καὶ πάντων τὴν ἐπιστήμην ἐγγηράσεσθαι. i. e. interprete Jobo Veratio: *Existimate ..... fore ut civitas, si sit in otio, in se ac per se ipsam atteratur, more aliarum rerum,*

*& o-*

# L I I.

QUid est, Catulle, quod moraris emori?
Sella

*& omnium apud nos disciplina consenescat.* Sallustius Bello Jugurth. cap. 45. *Ceterum mos partium popularium, & senati factionum, ac deinde omnium malarum artium, paucis ante annis Romæ ortus est otio, atque abundantia earum rerum quæ prima mortales ducunt.* lege reliqua. Florus lib. 4. Historiæ Romanæ cap. 2. de bello Cæsaris & Pompeji: *Caussa tantæ calamitatis, eadem quæ omnium: nimia felicitas.* L. Seneca Epistola 74. *Hoc multarum tibi urbium ostendet eventus, quarum in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt, & quidquid virtute erat partum, intemperantia corruit.* Juvenalis denique Sat. 6. v. 291.

*Nunc patimur longæ pacis mala: sævior armis*
*Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.*

Est tamen otium aliquod utile civitatibus & rebuspublicis: tranquillitatem potius vocaveris; quod Pindarus Ode 4. Olympiorum v. 26. appellat ἡσυχίαν φιλόπολιν. Iccirco M. Tullius in Oratione pro Sextio *communem salutem & otium* haud semel conjungit.

Argum. Carm. LII. ] Nonium Strumam, & P. Vatinium, improbos homines, curulem magistratum consecutos, vehementer indignatur.

v. 1. *Quid est, C. quod m. emori?* ] Illud Ovidii non dissimile Epistola Dejaniræ v. 146.

*Impia, quid dubitas, Deïanira, mori?*

Legendum vero *quid est, quod,* non *quid est? quid;* etsi plerique codices dissentiunt. Id M. Tullii consuetudo satis ostendit, qui ita fere loqui amat. Etenim principio Orationis pro Sex. Roscio Amerino: *Credo ego vos, judices, mirari, quid sit, quod cum tot summi oratores, hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim.* Et pro P. Sextio: *Si quis antea, judices, mirabatur, quid esset, quod pro tantis opibus reipublicæ, tantaque dignitate imperii, nequaquam satis multi cives forti & magnanimo animo invenirentur* &c. Et libro 1. de Nat. Deorum: *Quid est, quod signis & luminibus mundum ornare concupisceret Deus?* & alibi sæpius. Cives porro boni, & amantes patriæ, cum improbis & facinorosis hominibus aperte inimicitias gerunt, vitamque sibi acerbam putant, si quemquam eorum ad reipublicæ administrationem iniquo suffragio evectum viderint. Hujusmodi se profitetur M. Tullius Epistola 16. lib. 2. *Nosti enim,* inquit, *non modo stomachi mei, cujus tu similem quondam habebas, sed etiam oculorum, in hominum insolentium dignitate fastidium.* Cum Cicerone consentit Auctor Declamationis in Sallustium Crispum, ipsi Ciceroni falso tributæ: *Quid enim gravius pati potuimus, quam quod te incolumem in hoc ordine videamus?* Valde memorabiles in hanc rem sunt Laberii versus, quos recitat Gellius lib. 10. Noct. Attic. cap. 17.

*Democritus Abderites physicus philosophus*
*Clypeum constituit contra exortum Hyperionis,*
*Oculos effodere ut posset splendore æreo.*
*Ita radiis Solis aciem effodit luminis,*
*Malis bene esse ne videret civibus.*

Ob eamdem caussam nonnulli mortem ipsi sibi consciverunt. Audi Ciceronem pro P. Sextio: *In qua civitate ipse meminissem, patrem hujus M. Crassi, fortissi-*

Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle, quod moraris emori?

LIII. RISI

*tissimum virum, ne videret victorem vivus inimicum, eadem sibi manu vitam exhausisse, qua mortem sæpe hostibus obtulisset.* Et Philippica 2. *Placuit idem*, ait, *quod consularibus, M. Catoni: qui cum multa, vita excedens providit, tum quod te consulem non vidit.* L. certe Arruntius sibi ipse violentas manus intulit, ne Caligulæ imperium, & Macronis potentiam videret; quod testatur Tacitus lib. 6. Annalium cap. 48. Interdum tamen etiam homines nobiles, civitati non inutiles, ignobilium civium, sed virtute præstantium, honoribus invident, eosque iniquissimo animo ferunt. Sallustius Bello Jugurth. cap. 91. *Exercitus ei ( Mario sc. ) traditur a P. Rutilio legato. Nam Metellus conspectum Marii fugerat, ne videret ea, quæ audita animus tolerare nequiverat.* Metellus nimirum, vir vetere nobilitate, Marium, cui nullæ erant majorum imagines, præ se vehementer contemnebat.

v. 2. *Sella in curuli Struma Nonius sedet* ] Prætor puta, vel Ædilis: non certe Consul. Sella enim curulis erat majorum magistratuum, videlicet Consulum, Prætorum, Censorum, Ædilium, non plebejorum quidem, sed qui de patribus creati fuissent. Huc pertinent verba L. Pisonis in tertio Annali, apud A. Gellium lib. 6. cap. 9. de Cn. Flavio, libertini generis homine, quem, tametsi scriptum fecisset, pro tribu ædilem curulem renuntiaverant. *Idem*, inquit, *Cn. Flavius Annii filius dicitur ad collegam venisse visere ægrotum, &, in conclave postquam introivit, adolescentes ibi complures nobiles sedebant contemnentes eum: assurgere ei nemo voluit. Cn. Flavius Annii filius ædilis id arrisit. Sellam curulem jussit sibi afferri, eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset: utique ii omnes inviti viderent sese in sella curuli sedentem.*

ibid. *Struma Nonius* ] Tumorem quemdam cervicis, & aliarum etiam corporis partium, in quo pus & sanguis colligitur, veteres Medici *strumam* appellant. Primus igitur e gente Nonia cui *Struma* cognomen fuit, hoc morbo laboraverat: hic vero Nonius, de quo Catullus, id cognomen a majoribus accepisse videtur, ut recte notat Josephus Scaliger. Ceterum, a vitiis corporis non singulos tantum homines, verum etiam totas familias Romani vocare soliti erant. Hinc enim Capitones, Frontones, Labeones, Nasieæ, Nasones, Ocellæ, Pœti, Pedones, Planci, Plauti, Scauri, Pansæ, Varii, Vatiæ, Vatinii. Vide Plinium lib. 11. Nat. Hist. cap. 45.

v. 3. *Per consulatum pejerat Vatinius* ] Jurabant veteres per ea quæ magno æstimabant, & carissima habebant. Sic apud Eupolidem Comicum jurat quidam ( Miltiades, ut puto ) per suum prœlium ad Marathona. ejus poetæ versiculos recitat Longinus Sect. 16. καὶ ὅψεις. Mirum porro non est, Vatinium pejerare solitum per consulatum suum, in quo scilicet nullam divinitatem esse existimaret. Ita Ovidius in Remediis Amoris v. 783. de Agamemnone:

*Nam sibi quod numquam tactam Briseida jurat*
*Per sceptrum; sceptrum non putat esse deos.*

Donatistæ olim, pessimum genus ἑτεροδόξων, per canos Donati magistri sui jurabant. Testis D. Augustinus Enarra-

## LIII.

Risi nescio quem modo in corona;
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicasset,

Ad-

ratione in Psalmum 10. num. 5. *Illi timeant*, inquit, *qui confidunt in homine*, *& de parte hominis se esse negare non possunt*, *per cujus canos jurant*.

ibid. *Vatiains* ] Hinc luce meridiana clarius apparet, Catullum vitam produxisse ultra ætatis annum trigesimum, quo illum denatum Eusebius in Chronico perperam tradit. nisi forte numeri corrupti sunt. Etenim P. Vatinius P. F. consulatum gessit cum Q. Fusio Caleno Q. F. C. N. anno ab U. C. DCCVII. ut rerum Romanarum scriptores, & antiqua marmora testantur. Quapropter, si annus natalis Catulli incidit in annum U. C. DCLXVII. ut est apud eumdem Eusebium, consule Vatinio poeta noster octo lustra jam impleverat. Sed vide infra Carmen III. & quæ ad illud observamus. Graviter, ut omnia, L. Seneca Epistola 118. *Nihil mihi tecum*, *fortuna: non facio mei tibi copiam*. *Scio*, *apud te Catones repelli*, *Vatinios fieri*.

Argum. Carm. LIII. ] De quodam, cui mirum videbatur, Licinium Calvum, pusillum homuncionem, eloquentia excellere.

v. 1. *In corona* ] *Corona dicitur*, *circumstans in orbe populus*, teste Lactantio Divin. Instit. lib. 4. cap. 26. Ovidius Metamorph. 13. v. 1.

*Consedere duces*, *& vulgi stante corona*
*Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax*.

Cicero initio lib. 2. de Nat. Deorum: *Corona tibi & judices defuerunt*. Idem lib. 2. de Finibus: *At tu eadem ista dic in judicio*, *aut*, *si coronam times*, *dic in senatu*.

v. 2. *Mirifice Vatin. crimina explicasset* ] Fuit enim Calvus, ut ab antiquis accepimus, Orator eloquentissimus, & in accusando præsertim vehementissimus. Accusavit porro Vatinium de ambitu. Quas Calvi accusationes ( plures enim scripsit ) laudibus effert Auctor Dialogi de Oratoribus Quintiliano tributi cap. 21. quamquam de aliis ejusdem orationibus non ita honorifice sentiat. *Ipse mihi Calvus*, inquit, *cum unum & viginti*, *ut puto*, *libros reliquerit*, *vix in una aut altera oratiuncula satisfacit*. *nec dissentire ceteros ab hoc meo judicio video*. *quotus enim quisque Calvi in Asitium aut in Drusum legit? at hercule in hominum studiosorum manibus versantur accusationes quæ in Vatinium inscribuntur*, *ac præcipue secunda ex his Oratio*. *est enim verbis ornata*, *& sententiis*, *auribus judicum accommodata: ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse quid melius esset*, *nec voluntatem quin sublimius & cultius diceret*, *sed ingenium ac vires defuisse*.

v. 3. *Meus Calvus* ] Quo familiarissime utor, quem æque ac me ipsum diligo, cujus ingenium & eloquentiam plurimi facio. Vide superius, Carmen 14. & 50. Quamobrem Ovidius Elegia de morte Tibulli v. 61.

*Obvius huic venias edera juvenilia cinctus*
*Tempora*, *cum Calvo*, *docte Catulle*, *tuo*.

Propertius etiam lib. 2. Elegia 19. E. B. Catullum cum Calvo conjungit:

*Ista meis fiet notissima forma libellis*,
*Calve*, *tua venia; pace*, *Catulle*, *tua*.

Et Elegia postrema libri ejusdem:

*Hæc quoque lascivi cantârunt scripta Catulli*,

Le-

Admirans ait hæc, manuſque tollens:
Dii magni, ſalaputium diſertum!

LIV. OTHO-

*Lesbia queis ipſa notior eſt Helena.*
*Hac etiam docti confeſſa eſt pagina Calvi,*
*Cum caneret miſeræ funera Quintiliæ.*

v. 4. *Admirans ait hac, manuſque tollens*] Homerus pariter Odyſſeæ lib. 18. v. 98. αὐτὰρ μνηστῆρες ἀγαυοὶ Χεῖρας ἀνασχόμενοι γέλῳ ἔκθανον. i. e. *At proci ſuperbi Manus attollentes riſu emoriebantur.* certamen videlicet Ulixis & Iri ſpectantes. Manus porro tollebant non ſolum qui admirarentur, ſed etiam qui aliquid valde optarent, diiſque ſupplicarent. Polybius Hiſtor. lib. 3. παραυτίκα μὲν οὖν ἀκούσαντες οἱ νεανίσκοι ταῦτα, καὶ τὰς χεῖρας ἐξαίροντες, εὔχοντο τοῖς θεοῖς, ἀεὶ ἕκαστος αὐτὸς γενέσθαι τῶν λαχόντων. i. e. *Hac voce audita juvenes, manibus repente in cælum ſublatis, ſe quiſque eum eſſe optare quem fortuna ad id certamen eligeret.* Horatius Ode 23. lib. 3.

*Cælo ſupinas ſi tuleris manus*
*Naſcente Luna, ruſtica Phidile:*
*Si ture placâris, & horna*
*Fruge deos, avidaque porca.*

v. 5. *Salaputium diſertum!*] Riſum tenere non potuit Catullus ob lepórem ſubitæ exclamationis. At profecto magis rideret, ſi reviviſcens monſtra lectionum audiret quæ in hunc locum, viri eruditi, otio & litteris nimium abutentes, commenti ſunt. Horum enim alii *calabotium*, alii *ſolopachium*, vel *ſolopygium*, vel *ſalapentium*, vel *ſalicippium*, vel denique *ſalapittium* ſibi finxerunt. Quæ ſingula putidis quibuſdam frigidiſque explicationibus confirmare conantur. Vix enim dici poteſt, quam in arctum deſiliat his temporibus Criticorum acumen,

*Unde pedem referre pudor vetat, atque operis lex.*

Vera lectio hujus loci ſe obtrudit vel invitis: nodique ſolutio petenda eſt e M. Seneca Controverſia 19. unde jampridem eam petivit Joſephus Scaliger, in cujus ſententiam pedibus eo. Juvat hic porro totum Senecæ locum recitare, qui neceſſarius omnino eſt ad Catullum intelligendum. *Calvus*, ait, *qui diu cum Cicerone iniquiſſimam litem de principatu eloquentiæ habuit, uſque eo violentus accuſator & concitatus fuit, ut in media actione ejus ſurgeret Vatinius reus, & exclamaret: Rogo vos, judices, num, ſi iſte diſertus eſt, ideo me damnari oportet? Idem poſtea, cum videret, a clientibus Catonis, rei ſui, Pollionem Aſinium circumventum in foro, imponi ſe ſupra cippum juſſit: (erat enim parvulus ſtatura, propter quod etiam Catullus in hendecaſyllabis vocat illum* ſalaputium diſertum) *& juravit, ſi quam injuriam Cato Pollioni Aſinio accuſatori ſuo feciſſet, ſe in eum juraturum calumniam: nec unquam poſtea Pollio a Catone advocatiſque ejus, aut re, aut verbo violatus eſt. Solebat præterea excedere ſubſellia ſua, & impetu elatus uſque in adverſariorum partes tranſcurrere.* Lege ibidem alia nonnulla de Calvo. Apparet igitur, hominem illum e corona, quiſquis fuit, Calvo *ſalaputii* nomen tribuiſſe, quod eo nomine vulgus Romanorum partem corporis qua viri ſumus, appellare ſolerent, quæ olim a Græcis πόσθων dicebatur, irridens videlicet exiguum ejus ſtaturæ modum. Legimus enim apud Auctorem veterem Vitæ Horatii Flacci, poetam illum, quod *habitu corporis brevis* eſſet, ab Auguſto Cæſare in Epiſtolis familiaribus, *puriſſimum penem*, & *homuncionem lepidiſſimum* vocatum fuiſſe. Ex quo colligere poſſumus, Quirites puſillis hominibus nomina hujuſmodi per jocum tribuere conſueviſſe. Nihilominus non diſſimulabo, viros pleroſque doctiſſimos legere malle *ſalicippium*, quod nimirum allatum M. Se-

# LIV.

OTHONIS caput oppido pusillum,

Vetti,

necæ locum perperam intelligant, ac interpretentur. In his numerantur Achilles Statius, Honoratus Joannius, Paullus Manutius, M. Antonius Muretus, Lilius Gregorius Gyraldus Dialogo 10. Historiæ Poetarum, Robertus Titius Locorum Controversorum lib. 21. cap. 21. Isaacus Vossius ad Pomponium Melam, denique Nicolaus Heinsius ad Epistolam Leandri Ovidianam v. 102. quorum virorum ἀμάρτημα nos etiam adolescentes olim obcæcavit, & in fraudem induxit.

ARGUM. CARM. LIV. ] Cæsari proconsuli, Fuffecio scribæ, eorumque exoletis maledicit.

v. 1. *Othonis caput* ] Venimus ad ænigma, omnium Catulli poematum, ut plerique existimant, obscurissimum; quod Muretus, & cum secutus Vossius, tamquam inextricabile deposuere, illud Hippocratis præcinentes, *Desperatis medicinam haud esse adhibendam*. Scaliger contra, & Statius nullum non lapidem movent, ut paucis immutatis, plura explicent: quid vero tantis conatibus uterque proficiat, non est verecundiæ nostræ judicare. Ego, solo interpunctionis vitio hos versus adhuc non intellectos, arbitror: at, si recte distinguas, tam claros esse, *quam Solis radii olim cum sudum est*, *solent*. Invehitur suo more Catullus in Cæsarem pathicis pueris gaudentem, & quidem sine ullo delectu, *bonis* videlicet *malisque infestum*: quem propterea *rusticum* vocat. Non enim audiendus Achilles, qui putat, *Rusticum* esse nomen viri proprium. Fuffecium deinde socium flagitii perstringit. Est autem totius Epigrammatis sententia hujusmodi: O Cæsar, omnis urbanitatis expers, & pulchritudinis inepte judex, optarem sane, tibi, & Fuffecio seni temulento, si non omnia, at hæc saltem in cinædis vestris displicere, nempe Othonis caput pusillum admodum, Vettii crura sordidula, & male lota, Libonis denique crepitum obscœnum, quo laborat, sed imminuere tentat, ut nares tantummodo tæter odor contingat. Perge tamen morbosos istos amplecti, exspectaque interim jamborum meorum venenatum acumen, cui solitus es irasci, verum injuria: non enim æquum est Satyrarum scriptori silentium imponere, sed potius imperatorem unicum, qualem te & esse & haberi vis, animum suum a vitiis emendare. En tibi, lector, liquida & plana omnia. Illud jam superest, ut scriptorum veterum testimonio singula illustrem atque confirmem.

ibid. *Caput oppido pusillum* ] *Oppido* pro *valde*, ἀρχαϊκῶς. Paullus Diaconus in Epitome Pompeji Festi de Verborum significatione: *Oppido*, valde, multum. *Ortum est autem hoc verbum*, inquit, *ex sermone inter se confabulantium*, *quantum quisque frugum faceret. utque multitudo significaretur*, *sæpe respondebatur*, *quantum vel oppido satis esset. hinc in consuetudinem venit*, *ut diceretur* oppido *pro* valde, multum. *Itaque si qui in aliis rebus eo utuntur*, *ut puta si qui dicant* oppido didici, spectavi, ambulavi, *errant: quia nulli eorum subjici potest*, " *vel quod satis est*." Judice igitur Paullo Diacono Catullus hoc loco erraverit, ut & Plautus Amphitruone Ac. 1. Sc. 1. v. 143. cum dixit Sosiæ verbis:

*Oppido interii. Obsecro hercle quantus & quam validus est!*

quem Plauti versum producit Nonius Marcellus. At mihi præ Catullo & Plau-

Plauto Paullus ille nimius nugator videtur. De hac voce ita Quinctilianus lib. 8. Instit. Orat. cap. 3. Satis *est vetus; quaeso quid necesse est dicere*, Oppido? *quo sunt usi paullulum tempore nostro superiores: vereor ut jam non ferat quisquam: certe* Antigerio, *cujus eadem significatio est, nemo, nisi ambitiosus, utetur*. Porro caput valde parvum, cerebri male conformati indicium esse tradit Galenus ἐν τέχνῃ ἰατρικῇ. Ut autem pusillum caput, sic & frons tenuis, quae pusillo capiti respondet, ab elegantiarum studiosis vitio vertebatur. De hac Horatius Ode 33. lib. 1.

*Insignem tenui fronte Lycorida*
*Cyri torret amor - - - -*

*Insignis* est ille qui ex aliquo signo a ceteris facile internosci potest, sive illud signum in laude, sive in culpa sit. Quamobrem apud Ciceronem pro Quintio legimus, *insignite improbum:* & pro Rabirio, *insignem hominem omnibus notis turpitudinis*. Et magis ad rem praesentem apud Virgilium Georgicon 3. v. 56. *maculis vaccam insignem*. Propterea Horatius de Lycoride loqui videtur tamquam de puella minus formosa; addit enim continuo: *Cyrus in asperam declinat Pholoen*. vides, a Lycoride ultro Cyrum expeti atque amari, contra ipsam a Cyro contemni: quae duae res a formosis alienae. *Tenuis* igitur *frons* minus in pretio, immo dedecori fuit. Castigandus propterea Scaliger pater, iniquus in Horatium censor, qui Poetices lib. 6. cap. 7. ita de hoc loco: *Numquam vel in viro, vel in femina laudârim tenuem frontem, neque ad decorem, neque ad venustatem*. Esto ita ut ais, magne vir; sed amabo, unde certo scire potes, ab Horatio laudatam? Fingamus tamen laudatam: nihilominus poeta Venusinus excusari potest; *trahit* enim *sua quemque voluptas*, neque idem est oculorum omnium judicium. Sane *frons minima* numeratur a Petronio in partibus venustatis, ubi pulcherrimam mulierem describit: Martialis vero Epigram. 42. lib. 4. *frontem brevem* in puero desiderat. Amoris caligine (ut ita loquar) saepenumero excutiunt homines, ut ea quae ceteris maxime indecora videntur, ipsi laudent, atque in deliciis habeant. Testis memoratus Horat. Sat. 3. lib. 1. v. 38.

*Illuc praevertamur, amatorem quod amicae*
*Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec*
*Delectant: veluti Balbinum polypus Agnae.*

sic & *caput Othonis pusillum* offendebat Catullum, Julium vero Caesarem mire delectabat. Huc pertinent illa M. Tullii e lib. 1. de Nat. Deorum. *Deinde nobis*, inquit, *qui, concedentibus philosophis antiquis, adolescentulis delectamur, etiam vitia saepe jucunda sunt. Naevus in articulo pueri delectat Alcaeum. at est corporis macula naevus: illi tamen hoc lumen videbatur. Q. Catulus, hujus collega & familiaris nostri pater, dilexit municipem tuum Roscium: in quem etiam illud est ejus:*

*Constiteram exorientem Auroram forte salutans,*
*Cum subito a laeva Roscius exoritur.*
*Pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra,*
*Mortalis visus pulchrior esse deo.*

*Huic pulchrior deo? at erat, sicut hodie est, perversissimis oculis. Quid refert, si hoc ipsum salsum & venustum ipsi videbatur?* Horum similia scribit Lucretius prope finem lib. 4. mundissimis versibus:

*Hoc faciunt homines plerumque cupidine caeci,*
*Et tribuunt ea quae non sunt his commoda vere.*
*Multimodis igitur pravas turpesque videmus*
*Esse in deliciis, summoque in honore vigere.*

A reliquis abstineo; sunt enim plura. Videsis Ovidium lib. 2. Amorum Elegia 4. Catullum supra Carm. 43. infra Carm. 85. *Quintia formosa est multis &c.* Propertium denique Elegia ult.

Vettî, rustice, semilauta crura,
Subtile & leve peditum Libonis,

Si

lib. 3. Narrat Plutarchus in libello de Amore, Nicomachum quemdam rudi cuidam, qui sibi Zeuxidis Helenam non videri pulchram dixerat, ita locutum: *Λάβε τοὺς ἐμοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ θεός σοι φανήσεται. Sume tibi meos oculos, & dea tibi videbitur*. Ne quid tamen dissimulem, potuit fortasse Horatius *frontem Lycoridis tenuem* appellare, quod ea capillis obtegeretur, atque imminueretur. Sane Antinous, puer delicatus Imperatoris Hadriani, ob eam caussam frontem brevem ostentat in veteribus nummis, & simulacris; quorum unum elegantissimum Venetiis exstat in Atrio Bibliothecæ D. Marci. Id ornamenti genus videtur significare idem poeta Epist. 7. lib. 1. v. 25.

- - - - - - - - - - - - - - - *reddes*
*Forte latum, nigros angusta fronte capillos*.

nisi dicamus, ibi angustam juvenis frontem opponi senis calvitio; calvi enim hominis frons quodammodo spatiosior fit. De crinibus in frontem decidentibus, quos *antias*, & *capronas*, veteres Latini vocabant, ut Janus Broukhusius animadvertit, ita Propertius Elegia 18. lib. 2. E. B.

*Sive vagi crines puris in frontibus errant*.

Apertius vero Lucianus in Amoribus: *καὶ ἀκύργοι μὲν αἱ μέχρι τῶν ὀφρύων ἐφελκυσμέναι κόμαι, βραχὺ τῷ μετώπῳ μεταίχμιον ἀφιᾶσι. Ac illa coma curiosius ad supercilia usque attracta, breve interstitium fronti relinquunt*. Non solum autem crinibus, sed etiam fasciolis aureis linteo assutis, quas *nimbos* appellabant, frontem angustam seu tenuem mulieres efficere solebant. Arnobius id testatur lib. 2. contra Gentes, his verbis: *Laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes nimbis, fuligine oculos inumbrarent*. Sed jam e semita in viam.

v. 2. *Vetti* ] Antiqui codices, teste Isaaco Vossio, habent hoc loco *Etri*, aut *Veteri*: propterea ipse ex ejus corruptæ scripturæ vestigiis legendum conjicit *Vettî*, quem sane hominem, ut oris impuri, perstringit poeta noster Carm. 95. Vulgati libri præferunt *Heri*; quod non omnino malum. veteres enim illi scarabæi pueros quos diligerent, *dominos* vocabant. Martialis Epigr. 70. lib. 11. de quodam ficetum alienante:

*Plorantes dominos vendere, Tucca, potes?*

Achilles Tatius lib. 1. *ἐρωτικῶν* verbis Cliniæ Chariclem dilectum puerum, quem equus occiderat, lugentis: *Ἐγώ μοι τὸν δεσπότην ἀπολώλεκα. Ego quidem hero meo periculum istud creavi*.

ibid. *Rustice* ] Agrestes homines leporum & Gratiarum sunt expertes, nec fere dignoscunt, quid distent æra lupinis. Supra Carm. 22.

*Idem inficeto est inficetior rure*.

Contra Chærea Terentianus, Eunucho Ac. 3. Sc. 5. v. 17.

*Quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem, aut laudem, Antipho,*
*Cum ipsum me nôris quam elegans formarum spectator siem?*
*In hac commotus sum* - - - - - - -

Ubi Donatus: *Elegans spectator est, qui fit cunctantis & fastidiosi judicii: cui non quid placet facile*. At rusticus homo, dummodo malam libidinem expleat, in quodlibet corpus impetum facit.

ibid. *Semilauta crura* ] Idest, male lota; *lautum* enim significat *lotum*, teste Nonio Marcello; apud quem exempla vide. Sordida igitur crura digna sunt rustici amoribus: fossorum enim pedes luto fere inquinati. Vel dicendum est, Vettium fuisse *κακόκνημον*, *malis & distortis cruribus*; ut propterea ipsum puderet illa in balneis tota nudare.

v. 3. *Subtile & leve peditum* ] Quod *suppedere* vocat Cicero Epist. 22. lib. 9. ad

Si non omnia, displicere vellem
Tibi, & Fuffecio seni recocto.

Ira-

ad Papirium Pætum. *Suppedit:* inquit, *flagitium est. jam erit nudus in balneo: non reprehendes.* Opponitur autem crepitibus inverecundis, & resonantibus, quos liberos æque ac ructus esse Stoici voluerunt, & de quibus Horatius Sat. 8. lib. 1. v. 46. verbis Priapi: *Displosa sonat quantum vesica, pepedi.* Plautus vero Pœnulo Ac. 3. Sc. 2. v. 32.

COLL. *Fores hasceerunt magnum flagitium modo.*

AD. *Quid est flagitii?* COLL. *crepuerunt clare.*

Vide Epigramma Nicarchi in crepitum ventris lib. 2. Anthologiæ cap. 44. Sed hæc nimis olida, neque amplius miscenda. Si quis fortasse curiosior est, consulat Scaligeri Notas.

v. 4. *Si non omnia* ] Concedit, aliqua fortassis esse in Othone, Vettio, ac Libone haud omnino improbanda, sed quæ tanti non sint, ut propter illa, reliqua tolerari debeant. Ita loquitur Cicero in Oratione pro Sextio: *Ad eum filiam ejus adduxit, ut illo insperato adspectu complexuque, si non omnem, at aliquam partem mœroris sui deponeret.*

v. 5. *Fuffecio* ] Hoc nomen legitur cum unica F post V in veteri lapide apud Gruterum pagina DLXXVII. num. 1. sic:

CLAVDIVS. FVFECI
VS. SACERD. SOL. INV. M
HIC. SIT. EST

ibid. *Seni recocto* ] Videtur hic Fuffecius fuisse scriba Cæsaris, & valde quidem in ejusmodi officio exercitatus. Necessarium plane existimo afferre huc Acronis verba ad illud Horatii Sat. 5. lib. 2. v. 55.

*- - - - - plerumque recoctus*
*Scriba ex Quinqueviro corvum deludet hiantem.*

quamquam a Scaligero jampridem allata fuerint. Sic igitur Acro: *Recocti dicuntur scribæ, qui sæpius cum proconsulibus ad provincias missi, exercitatiores facti sunt usu ipso, & frequentia. Solent autem mitti quinqueviri, qui quum rediissent, vendebant decurias suas, & Quinqueviri dicebantur. Quod si voluissent iterum magistratibus apparere, & fructus priores percipere, Cocti dicebantur. quique sæpius hoc factitabant, Recocti.* Phædrus pariter Fabula 1. lib. 4. vocat *murem retorridum,*

*Qui sæpe laqueos, & muscipulam effugerat.*

malo enim & periculo suo, doctior effectus erat. Etrusci hodie cum hominem callidum & veteratorem significare volunt, hoc proverbio utuntur: *Egli ha cotto il culo ne' ceci rossi.* Vel *recoctum* usurpavit Catullus pro dedito ebrietati, quemadmodum Petronius in Fragmentis:

*Anus recocta vino*
*Trementibus labellis.*

Quæ significatio superiores explicationes nostras ad hoc Epigramma mire confirmaret: ebriis enim pulchra videri solent quæ reapse deformia sunt. Id, præter experientiam, testatur Sextus Empiricus Pyrrhoniarum Hypotyposeon lib. 1. cap. 14. his verbis: Ἅπερ νήφοντες αἰσχρὰ εἶναι δοκοῦμεν, ταῦτα ἡμῖν μεθύουσιν οὐκ αἰσχρὰ φαίνεται. i. e. *Quæ non poti turpia esse existimamus, ea nobis madidis minime turpia videntur.* Apud Terentium Eunucho Ac. 4. Sc. 5. v. 4. Chremes temulentus ita Pythiam ancillam alloquitur:

*- - - Quis est? ehem Pythias, vah, quanto nunc formosior*
*Videre mihi, quam dudum!* PY. *certe tu quidem pol multo hilarior.*

Cum Terentio facit Ovidius Artis Amat. lib. 3. v. 753.

Et

Irascére iterum meis ïambis
Immerentibus, unice imperator.

LV. Ora-

*Et si turpis eris, formosa videbere potis.* Itali etiam hominem vino madidum, per jocum appellant *cotto*. Vel *senex recoctus* fuerit fortasse repuerascens, qualis Æson ope Medeæ (quam fabulam narrat Ovidius lib. 7. Metamorph.) & propterea in juvenilem lascivìam solutus, genio atque amoribus indulgens. *Recoquit fessos ætate parentes* dixit Valerius Flaccus de Medea lib. 6. Argonaut. v. 444. Plautus vero Pseudolo Ac. 3. Sc. 2. v. 79.

*Quia sorbitione faciam ego te hodie mea,*
*Item ut Medea Peliam concoxit senem:*
*Quem medicamento, & suis venenis dicitur*
*Fecisse rursus ex sene adolescentulum.*

in quibus Plauti versibus Pelias pro Æsone positus, poetæ μνημονικὸν ἁμάρτημα esse videtur. Huc pertinet leptidum illud Epigramma e libro 2. Anthologiæ cap. 9. in anum recoctam:

Λοῦσθαί σε λέγουσι πολὺν χρόνον Ἡλιοδώρα,
Γραῖαν ἐτῶν ἑκατὸν μὴ καταλυομένην.
Πλὴν ἔγνωκα τίνος ποιεῖς χάριν· ὡς ὁ παλαιός
Ἐλπίζεις Πελίας ἑψομένη νεάσαι.

*Lavari te dicunt multo tempore, Heliodora,*
*Anum annorum centum non solutam.*
*Verum scio cujus facias caussa. velut antiquus*
*Speras Pelias elixata juvenescere.*

Vel denique *senem recoctum* interpretari licet, senem crudum, & adhuc vigentem, quem Græci dicunt ἄπεπτον, atque ita explicat hanc vocem Vetus Glossarium *re* particula. Virgilius de Charonte lib. 6. Æneidos v. 304.

*Jam senior: sed cruda deo viridisque senectus.*

v. 6. *Irascére iterum meis ïambis*] Semel enim iratus mihi fuisti ob versiculos de Mamurra. Porro Catullus jambos Cæsari minatur, quoniam hendecasyllabum carmen, quo hæc scribit, aptius videtur lusibus quam contumeliis: jambi contra severi, & maledicto gaudentes. Ovidius pariter in Ibin postremis versibus:

*Postmodo plura leges, & nomen habentia verum,*
*Et pede quo debent acria bella geri.*

nimirum jambo, quo Archilochus & Hipponax inimicos suos ulti atque insectati sunt. Ceterum, qui potissimum homines *metuant versus, & oderint poetas*, Horatius pulchre docet Satyra 4. lib. 1. *Socordiam* vero *eorum irridere lubet* (utor verbis Taciti ex Annalium lib. 4. cap. 35.) *qui præsenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis ævi memoriam. Nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas: neque ii qui male vixerunt, aliud nisi dedecus sibi, atque illis gloriam peperere.*

v. 7. *Unice imperator*] I. e. omnium qui antea fuerunt, excellentissime. Livius lib. 6. ita M. Furium Camillum appellat: *Proinde quam opinionem de unico imperatore, eam spem de bello haberent.* Et M. Salvium Othonem plerique milites apud Suetonium in ejus Vita cap. ultimo. *Multi*, ait, *præsentium militum cum plurimo fletu manus ac pedes jacentis exosculati, fortissimum virum, unicum imperatorem prædicantes* &c. Contra Cicero Epist. 3. lib. 7. Pompejum, potentiæ Cæsaris æmulum, in campis Pharsalicis *nullum imperatorem* vocat. Eodem pacto Cato Grammaticus, a Furio Bibaculo in quodam hendecasyllabo apud memoratum Suetonium de Illustribus Grammaticis *unicus magister* dicitur.

Ar-

# LV.

Oramus, si forte non molestum est,
Demonstres ubi sunt tuæ tenébræ.
Te campo quæsivimus minore,

Te

Argum. Carm. LV. ] Ad Camerium. ait, se illum quæritando esse jam defessum, rogatque, ubi tandem locorum conveniri velit.

v. 1. *Oramus, si forte* ] Catullus hoc Epigrammate, contra leges hendecasyllabi, studiose numeros graves, ac tardius incedentes consectatur, sæpiusque spondæum pro dactylo in secunda sede collocat, ut recte monet Vossius; nimiam videlicet lassitudinem, quam circumeundo contraxerat, ipso genere versus exprimere cupiens. Quod cum interpretes minus animadvertissent, propterea voces *clauso*, & *gaudet* trisyllabas esse in hoc Carmine, perperam dixerunt, κατὰ διαίρεσιν, pluraque ejusdem loca corruperunt, ut numerorum ratio constaret.

ibid. *Si forte non molestum est* ] Ita Martialis Epigram. 97. lib. 1.

*Si non molestum est, teque non piget, Scazon.*

v. 2. *Tuæ tenébræ* ] Hæc est lectio veterum codicum, teste Achille Statio. *Tenebras* appellat poeta latebras, latibula, lustra, balnea, ganeas, popinas, in quibus fortasse Camerius iste clam voluptati operam dabat. Cicero pro Sextio cap. 9. de A. Gabinio consule: *Quis enim clavum tanti imperii tenere, & gubernacula reipublicæ tractare in maximo cursu ac fluctibus posse arbitraretur hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum? vino, ganeis, lenociniis, adulteriisque confectum?* De balneis tenebrosis Martialis Epigram. 14. lib. 2.

*Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,*
*Nec Grylli tenebras, Æoliamque Lupi.*

Idem Epigrammate 60. lib. 1.

*Redde Lupi nobis, tenebrosaque balnea Grylli.*

Sed & vilem domum & obscuram *tenebras* vocavit Juvenalis Sat. 3. v. 223.

*Si potes avelli Circensibus, optima Soræ,*
*Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur,*
*Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.*

Plautus Trinummo Ac. 2. Se. 1. v. 14. Amorem appellat *latebricolarum hominum corruptorem*, i. e. eorum qui se a foro, & bonorum civium conspectu abstinent, diesque totos in angulo aliquo apud meretricem sedent, umbræ hominum verius quam homines. Hæc tamen hujus vocis, *tenebrarum* scilicet, significatio, ut candide aperiam quod sentio, argutior & magis exquisita mihi videtur, quam ut Catullo conveniat, quem satis constat ab arguto dicendi genere abhorrere. Legendum igitur potius existimo *tua taberna*, quod habent libri vulgati. Præmiator nocturnus apud memoratum Juvenalem Satyra 3. v. 296.

*Ede ubi consistas: in qua te quæro proseucha?*

quod Parthenius occupavit.

v. 3. *Te campo quæsivimus minore* ] Par indignatio Amphitruonis in Comœdia cognomine apud Plautum Ac. 4. Sc. 1. v. 3.

*Nam omnis plateas perreptavi, gymnasia, & myropolia:*

Apud

Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo superi Jovis sacrato,

In

*Apud emporium, atque in macello, in palaestra, atque in foro,*
*In medicinis, in tonstrinis, apud omnis aedis sacras.*
*Sum defessus quaeritando: nusquam invenio Naucratem.*

*Campum* vero *minorem* Catullus fortasse vocat Martium campum prope Tiberim, ubi juventus Romana vario ludorum genere exercebatur, comparatum scilicet eum campo comitiorum, in quem populus ad suffragia ferenda conveniebat. Hunc enim oportuit appellari majorem, quod in altero ludicra, in hoc seria gererentur. Utrumque tamen solo *campi* nomine significabant. De primo M. Tullius in calce Orationis pro P. Sulla: *Hic vos orat, judices, parvus, ut se aliquando, si non integra fortuna, at afflicta, patri suo gratulari sinatis. Huic misero notiora sunt judiciorum itinera, & fori, quam campi, & disciplinarum.* Propertius etiam lib. 2. Elegia 13. E. B.

*Tot jam abiere dies, quum me nec cura theatri,*
*Nec tetigit campi, nec mea Musa juvat.*

de altero idem Cicero pro Milone: *Hunc diem igitur campi speratum atque exoptatum sibi proponens Milo.* idest, diem comitiorum. Et Horatius Ode 1. lib. 3. *hic generosior Descendat in campum petitor.* Fuerunt & alii campi Romae, sed minus celebres; puta Esquilinus, ubi postea horti Maecenatis, Aventinus, Coelius, Agrippae, reliqui; de quibus consule Publium Victorem in libello de Regionibus Urbis, Onuphrium Panvinium, ceterosque Antiquitatum Romanarum scriptores.

v. 4. *Te in circo, te in o. l.* ] Hujus versiculi sedem alteram dactylus occupat; etenim post *te* hiatus relinquitur, & ipsum *te* corripitur, ob insequentem vocalem proximae vocis. Idem fit in postremo hujus Carminis versu:

*Essem te, mi amice, quaeritando.*

*mi* corripitur propter hiatum. Virgilius pariter corripuit *qui* Ecloga 8. v. 108.

*Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?*

ibid. *In omnibus libellis* ] In omnibus tabernis librariis, ubi prostant libri venales. Ita Propertius Elegia 21. lib. 3. posuit arborem pro silva:

*Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae.*

silva enim ex arboribus constat. Horatius Epistola 6. lib. 1. v. 32. *Virtutem verba putas, ut Lucum ligna.* Cave tamen auscultes Caspari Scioppio, qui ad illud secundi Carminis in Priapum,

*Horto carmina digna, non libello,*

ita scribit: *Libellum hic accipio pro taberna libraria, ad quam sermonum caducorum gratia honestiores confluebant, sicut ad tonstrinas viliores.* Deinde affert hos Catulli versus, quos explicandos suscepimus. At libelli numero quidem multitudinis usurpari possunt pro taberna libraria, non item libellus numero singulari; βιβλιοπώλιον enim ex pluribus libellis constat, non ex uno tantum. Deinde *libellus* in eo ad Priapum Carmine accipi debet pro parvo libro, non pro taberna. Alii hoc loco Catulli malunt legere *labellis*; quod nomen diminutivum esset a *labro* aeneo, cujus in balneis usus. Cicero lib. 2. de Legibus: *Demetrius Phalereus super terrae tumulum noluit quid statui nisi columellam tribus cubitis non altiorem, aut mensam, aut labellum.*

v. 5. *In templo superi Jovis sacrato* ] In templo Jovis Capitolini. *Sacrato Jovis* pro *sacrato Jovi*, more Graeco-

rum,

In Magni simul ambulatione.
Femellas omnes, amice, prendi,
Quas voltu vidi tamen sereno;
Has vel te sic ipse flagitabam:
Camerium mihi, pessimæ puellæ.
Quædam inquit, nudum sinum reducens,
En hic in roseis latet papillis.
Sed te jam ferre Herculei labos est;
Tanto te in fastu negas, amice.
Dic nobis ubi sis futurus. ede hoc

Au-

tum, qui, teste Achille Statio, dixerunt *νῆσος, πόλις ἱερὰ Ἀπόλλωνος*: *insula, oppidum sacratum Apollinis*. *Superi* autem pro *Supremi*, quod ὕπατος proprium erat Jovis. Vel templum ipsum significat in edito colle, nempe in Capitolio, ædificatum. Vel tandem dixit poeta *superi Jovis*, ut eum a Plutone distingueret, quem *Jovem inferum*, aut *infernum* vocant. Vossius in veteri codice scriptum invenit *summi*; quod hujus Carminis genio magis convenit.

v. 6. *In Magni s. ambulatione* ] In porticu Pompeja, quam condidit Cn. Pompejus Magnus. Propertius Elegia 23. lib. 2. E. B.

*Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis*
*Porticus aulæis nobilis Attalicis.*

In ea porro puellæ Romanæ deambulabant, & meretrices etiam quæ conditiones quærebant.

v. 7. *Prendi* ] Ut solent qui aliquem in via ipsis occurrentem alloqui cupiunt. Terent. Andria Ac. 2. Sc. 2. v. 16.

*Tuus pater modo me prehendit: ait tibi uxorem dare sese*
*Hodie* - - - - - - -

v. 8. *Voltu sereno* ] Hilares, & comes, non tristes, & Sabino supercilio.

v. 9. *Has vel* ] I. e. has etiam. In plerisque scriptis Codicibus: *Ah avellite*.

v. 10. *Camerium mihi* ] Subaudi *indicatote*, vel *reddite*. Pes hujus versus primus, est tribrachys loco spondæi: est enim spondæo pæne *ἰσόχρονος*.

ibid. *Pessima puella* ] Hic τὸ *pessima* vox est blanditiarum. Vide supra Carmen 36. v. 9.

v. 11. *Reducens* ] Diducens mammam a mamma; vel abducens, ne a poeta contingi posset. *Leviter reductis vestibus* dixit Claudianus lib. 1. in Eutropium v. 86.

v. 13. *Herculei* ] Pro *Herculis*. quemadmodum *Achillei*, vel *Achilli*, pro *Achillis*, apud Virgilium Æneidos 1. v. 30.

*Troas, relliquias Danaûm, atque immitis Achilli.*

Sic *Ulixei* pro *Ulixis*, apud eumdem Æneidos 2. v. 7. *aut duri miles Ulixei*.
Et apud Horatium Epodo 16. v. 60.

*Laboriosa nec cohors Ulixei.*

Contra Propertius Elegia ultima lib. 4. dixit *Persen* pro *Perseum*:

*Et Persen proavi simulantem pectus Achillis.*

v. 14. *Tanto in fastu* ] *Τὸ in παρέλκει*; vel usurpatur pro *cum*.

v. 15. *Dic nobis, ubi sis futurus* ] Quo in loco te conveniri velis. *Esse* pro *morari*, *degere*, dixit Propertius quoque Elegia 8. lib. 1.

*Hic erit, hic jurata manet* - - -

Audacter, committe, crede luci.
Num te lacteolæ tenent puellæ?
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus projicies amoris omnes.
Verbosa gaudet Venus loquela.
Vel, si vis, licet obseres palatum,
Dum vostri sim particeps amoris.
* * * * *

Non custos si fingar ille Cretum,

Non

v. 16. *Crede luci* ] In apertum profer.

v. 17. *Lacteolæ puellæ* ] Tenellæ, candidæ, instar lactis. Epigramma Ovidio attributum in codice Petri Scriverii:

*Lacteolasque animas lacteus humor alit.*

Polyphemus apud eumdem poetam lib. 13. Metamorph. v. 796. comparat Galateæ teneritatem caseo recenti:

*Mollior & cycni plumis, & lacte coacto.*

v. 18. *Tenes* ] Contines.

v. 19. *Fructus amoris* ] Quod in amore præcipuum est, & maxime optabile. Propertius lib. 3. Elegia 19. E. B.

*Semper amet, fructu semper amoris egens.*

Plerisque amatoribus hoc vitium est, ut eam voluptatem minimo æstiment quæ in occulto latet. Vide quæ superius attulimus ad Carmen 6. v. 3.

ibid. *Projicies* ] Prodiges, abjicies. Eodem pacto *projicere corpus* dixit noster Carmine 63. v. 81. ut magnum vitæ contemtum significaret:

*Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis*
*Projicere optavit* - - -

v. 22. *Dum vostri s. particeps amoris* ] Mecum tantummodo amorem tuum communica: reliquos omnes de illo diligenter cela. Magis concinna fieret sententia si legeremus: *Dum vostri sim ego.*

* * * ] Hic aliqua videntur deesse; nam quæ statim sequuntur, non satis cohærent cum superioribus, & cum postremis. Nisi forte hanc συντάξεως turbationem ea figura defendere velimus quam vocant ἀνακόλουθον.

v. 23. *Si fingar* ] Si subito fiam. Cicero lib. 2. de Oratore: *Fingit & creat natura homines imitatores, & narratores facetos.*

ibid. *Custos ille Cretum* ] Talus nimirum gigas, quem æreo corpore fuisse, fabulæ memorant, dono vero datum a Jove raptæ Europæ, & in Cretam avectæ, qui ejus insulæ custos foret, terque die totam circumiret. Id, præter Apollonium, & Orpheum in Argonauticis, Lucianum in φιλοψευδεῖ, Eustathium in vicesimum Odysseæ, quos affert Muretus, & reliquos, narrat etiam Agatarchides in libro de Mari Rubro, ubi absurdas poetarum fabulas irridet. Ejus verba sunt, interprete Laurentio Rhodomano: *Et quod Talus, Minois custos, ter uno quolibet die totam circumambulet Cretam, tam longe lateque patentem, solusque animatorum in talo vitam possideat.* Medullam fabulæ Plato sic eruit in Minoe: Νομοφύλακι γὰρ αὐτῷ ἐχρῆτο ὁ Μίνως κατὰ τὸ ἄστυ· τὰ δὲ κατὰ τὴν ἄλλην Κρήτην, τῷ Τάλῳ· ὁ γὰρ Τάλως τρὶς περιῄει τοῦ ἐνιαυτοῦ κατὰ τὰς κώμας, φυλάττων τοὺς νόμους ἐν αὐταῖς, χαλκοῖς γραμματείοις ἔχων γεγραμμένους τοὺς νόμους· ὅθεν

χαλ-

χαλκῦς ἐκλήθη. i. e. *Illo enim* ( Rhadamantho ) *legum custode Minos in primaria urbe utebatur: in cetera Creta ditione, Talo. Talus enim ter quotannis vicos regionis perlustrabat, ex legum praescripto agens qua in aeneis tabulis insculpta conservabantur: unde & Aeneus cognominatus est*. Ceterum, Homerus regem ipsum Minoem Cretae custodem appellat Iliados 13. v. 450.

Ὃς πρῶτος Μίνωα τέκε Κρήτῃ ἐπίουρον.

*Qui primus Minoa genuit Cretae custodem*. Non solum autem homines, in quorum fide, ac tutela regiones, loca, atque oppida essent, eorum custodes dicebantur, verum etiam dii. Cicero lib. 3. de Nat. Deorum: *Secundus* ( Vulcanus ) *Nilo natus, Opas, ut Aegyptii appellant, quem custodem esse Aegypti volunt*. Idem libro eodem: *Apollinum antiquissimus is, quem paullo ante ex Vulcano natum esse dixi, custodem Athenarum*. Horatius Ode 22. lib. 3. de Diana:

*Montium custos, nemorumque, virgo*.

Porro custodes circumibant loca quae ipsis custodienda data fuerant; unde circitores etiam appellati. Auctor liberi Carminis Epigram. 16.

*Quid mecum tibi, circitor moleste?*
*Ad me quid prohibes venire furem?*

Propterea de Apolline Homerus Iliados 1. v. 37. verbis Chrysae sacerdotis:

Κλῦθί μευ, ἀργυρότοξ᾽, ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας.

*Audi me, o Apollo, argenteum arcum gerens, qui Chrysam tueris*.

circumeundo scilicet, accurateque visitando; quod proprie significat τὸ ἀμφιβέβηκας. Cum vero generis humani parentem & custodem Jovem antiqui existimarent, propterea fingebant, ipsum etiam, caelum & orbem terrarum circumire, ac perlustrare, ne quid scilicet tantum opus detrimenti caperet. Horatius Ode 12. lib. 1.

*Gentis humanae pater, atque custos,*
*Orte Saturno*

Ovidius vero Metamorph. lib. 2. v. 401. incendio Phaetontis jam descripto:

*At pater omnipotens ingentia moenia caeli*
*Circuit: &, ne quid labefactum viribus ignis*
*Corruat, explorat. quae postquam firma, suique*
*Roboris esse videt, terras hominumque labores*
*Perspicit* - - - - - - - - - - - - -

Iccirco poetae volucrem currum Jovi tribuebant, quo vectus, cuncta celerrime inspiceret, corrigeret, moderaretur. Horatius Ode 34. lib. 1.

- - - - - - - - - - *namque Diespiter*
*Igni corusco nubila dividens*
*Plerumque, per purum tonantes*
*Egit equos, volucremque currum*.

Boethius de Consolat. Philosophiae lib. 4. Metro 1.

*Et volucrem currum stabilis regit*
*Rerum coruscus arbiter*.

Plautus Amphitruone Ac. 1. Sc. 1. v. 294. quadrigas vocat:

- - - - - - - - - - *quadrigas si nunc inscendas Jovis,*
*Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium*.

Cum poetis consentit Plato in Phaedro his verbis: Ὁ δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς, ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα, πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος. i. e. *Juppiter ille, magnus in caelo dux, volucrem currum agens it, in ordinem digerens ista, & curans*. Divinae autem Judaeorum litterae non currum quidem Deo tribuunt, quo ab una caeli parte ad alteram vehatur; immensum enim esse docent, omnibusque mundi regionibus numine suo praesentem; sed tamen, ut ostendant, eum generi humano, praesertim vero nationi ab ipso dilectae consulere, ajunt, Deo Hierosolyma, ejusque urbis incolas quodammodo circumdari, ac tamquam vallo sepiri. Sic enim Psalmo 125. ὄρη κύκλῳ αὐτῆς, καὶ ὁ κύριος κύκλῳ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος. *Montes in circuitu ejus, & Dominus*

Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Ladas si ego, pennipesve Perseus,
Non Rhesi niveæ citæque bigæ.
Adde huc plumipedes, volatilesque,
Ventorumque simul require cursum,
Quos junctos, Cameri, mihi dicares:

De-

*nus in circuitu populi sui, ex hoc nunc, & usque in sæculum.* Postremo, non omittam, Senecam in calce libri de Tranquillitate Animi, hanc præsidum & custodum circuitionem, venusta translatione, ad animi curam accommodâsse. *Illud tamen scito*, ait, *nihil horum satis esse validum, rem imbecillam servantibus, nisi intenta & assidua cura circumeat animum labentem.*

v. 25. *Ladas* ] Nobilissimus hic, & velocissimus cursor fuit, in Olympico certamine sæpe victor. De illo Juvenalis Sat. 13. v. 96.

*- - - - - - - - - - pauper locupletem optare podagram*
*Nec dubitet Ladas, si non eget Anticyra, nec*
*Archigene: quid enim velocis gloria planta*
*Præstet, & esuriens Pisææ ramus olivæ?*

Ladæ meminerunt præter ceteros, Pausanias in Corinthiacis, Auctor ad Herennium lib. 4. cap. 3. Seneca Epistola 85. Martialis Epigram. 86. lib. 2. & 100. lib. 10.

ibid. *Pennipesve Perseus* ] Notissima fabula de Perseo. Ovidius Elegia 8. lib. 3. Tristium:

*Nunc ego jactandas optarem sumere pennas,*
*Sive tuas, Perseu; Dædale, sive tuas.*

Idem lib. 3. Amorum Elegia 6.

*Nunc ego quas habuit pennas Danaeius heros,*
*Terribili densum cum tulit angue caput,*
*Nunc opto currum de quo Cerealia primum*
*Semina venerunt in rude missa solum.*

Lucanus lib. 9. v. 659.

*Quo postquam partu Danaes, & divite nimbo*
*Ortum Parrhasiæ vexerunt Persea pennæ.*

Valerius Flaccus lib. 1. v. 67.

*-- nunc aerii plantaria vellet Perseos.*

v. 26. *Non Rhesi niveæ c. bigæ* ] Subaudi *si me vexerint*, aut, *si ego ipse sim*. At profecto aliquid desideratur, ex quo pendeat syntaxis. De Rheso vide Indicem nostrum in Catullum.

v. 27. *Plumipedes* ] Subaudi *equos*. Potest tamen vim substantivi obtinere, ut *sonipes*, *quadrupes*, *cornipes*, & id genus alia. Infra Carmine 62. v. 41.

*Pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus.*

v. 29. *Junctos* ] Currui scilicet. Virgilius Ecloga 3. v. 91. ἀδύνατον exprimere volens:

*Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.*

Sic etiam fieri non potest, ut venti jugo copulentur.

ibid. *Camerii* ] C. Camerii Crescentis, Archigalli matris deûm, & C. Camerii Eucratiani liberti ejus mentio fit apud Gruterum pag. CCCVIII. Inscriptione 7.

ibid. *Dicares* ] Pro *indicares*; ut explicat Vossius ad poema de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 227. Solent enim interdum poetæ simplicibus verbis uti pro compositis.

v. 30.

Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus peresus
Essem te, mi amice, quæritando.

## L V I.

O Rem ridiculam, Cato, & jocosam,
Dignamque auribus, & tuo cachinno!
Ride, quicquid amas, Cato, Catullum:
Res est ridicula, & nimis jocosa.
Deprendi modo pupulum puellæ
Trusantem. hunc ego, si placet Dionæ,
Protelo rigida mea cecídi.

LVII. PUL-

v. 30. & 32. *Defessus quæritando* ] Plautus Amphitr. Ac. 4. Sc. 1. v. 6. *Sum defessus quæritando*. Hoc autem loco ἀνακόλουθον animadvertere est.

ARGUM. CARM. LVI. ] Valerio Catoni Grammatico, sodali suo, rem fœdissimam, verum, ut ipsi quidem videbatur, facetam & ridiculam, narrat.

v. 1. *Cato* ] De hoc Valerio Catone consule Indicem nostrum.

v. 3. *Quicquid amas* ] Ita superius Carm. 31.

*Ridete, quicquid est domi cachinnorum.*
Nisi forte hoc loco legendum sit, *si quid amas*. verum altera lectio magis placet.

v. 5. *Deprendi* ] Proprium sane verbum hîc *deprendere*; idem quod Italis *cogliere in sul fatto*. Juvenalis Satyra 6. v. 283. de adulterarum insigni impudentia:

*- - - - Nihil est audacius illis*
*Deprensis; iram atque animos a crimine sumunt.*

ibid. *Pupulum* ] Puerum imberbem, nondum puberem.

ibid. *Puellæ Trusantem* ] Irrîto conatu, puellæ stuprum inferre molientem. *Trusare* enim frequentativum, vel inchoativum est a *trudere*.

v. 6. *Si placet Dionæ* ] Nempe Veneri, quam peperit Dione, unde & ipsa Dione a poetis dicta. Similis formula illa: *Si diis placet*; qua utebantur cum aliquid, non sine quadam urbanitate ac lepóre affirmare volebant.

v. 7. *Protelo* ] Συνεχῶς, ut Græci loquuntur: uno & eodem tractu & tenore. M. Cato lib. 5. Originum, apud Nonium Marcellum: *Sed protelo trini boves unum aratrum ducunt*. *Protelare est adjuvare*, inquit Nonius. At profecto ibi legendum *adjugare*. Lucretius lib. 4. v. 190.

*Suppeditatur enim confestim lumine lumen,*
*Et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur.*

Quæ satis explicant, quid sibi velit Catullus. Porro *uno tenore* usurpavit Livius lib. 2. ut minime interruptam successionem significaret. *Fabium inde nomen ingens post tres continuos consulatus,*

# L V I I.

PULCHRE convenit improbis cinædis

Ma-

*tus, unoque velut tenore omnes expertos tribunitiis certaminibus, habitum.*

ibid. *Rigida mea* ] Subaudi *ficula*; ea nimirum parte qua vir ſum, tenta atque arrecta. Ita Priapus in Carm. obſcœno Epigram. 45. ob aſſiduam tentiginem *rigidus deus* vocatur:

*Cum quemdam rigidus deus videret*
*Ferventi caput uſtulare ferro.*

Et apud Ovidium Faſtorum lib. 1. v. 391.

*Cæditur & rigido cuſtodi ruris aſellus.*

Hinc *rigere* pro tentigine laborare. Horatius Epodo 8.

*Illitterati num minus nervi rigent?*

Porro quod Catullus hic *rigidam* appellavit, Martialis Epigram. 48. lib. 9. *rigidum* dixiſſe videtur:

*In molli rigidum clune libenter habes.*

*penem* ſubaudiens. *Rigidum* pro *erecto*, honeſta ſignificatione, legas apud Lactantium lib. 2. Divin. Inſtit. cap. 1. *Nobis proprie*, inquit, *datum eſt, cælum rigidis ac ſtantibus intueri.*

ibid. *Cecidi* ] *Cadere*, ac *præcidere* turpia interdum verba. Auctor Carminis in Priapum Epigram. 25.

*Ipſi cernitis, exſututus ut ſim,*
*Confectuſque, macerque, palliduſque,*
*Qui quondam ruber, & valens ſolebam*
*Fures cædere quamlibet valentes.*

Hinc *præciſus*, qui muliebria patitur. Idem Auctor Epigram. 14.

*Hic inter frutices loco remoto*
*( Dicat forſitan hæc ſibi ipſe ) nemo*
*Præciſum ſciet eſſe me. ſed errat.*
*Magnis teſtibus iſta res agetur.*

Hoc autem erat ſupplicium adoleſcentulorum qui nuptas mulieres, vel alienas concubinas corrumpere auſi eſſent, ut notavit Muretus ex Apuleji Mileſiis fabellis. Martialis quoque lib. 2. Epigram. 47. ait, cinædum quemdam liberius mœchari ſolitum, quod *natibus confideret*; iis videlicet nomen diſſolvere paratus erat. Grandiores autem id non a domino, ſed a mancipiis viliſſimis ferre cogebantur. Horatius Satyra 2. lib. 1. v. 44. de quodam in adulterio deprehenſo:

*Hunc perminxerunt calones. - - -*

ARGUM. CARM. LVII. ] In Cæſarem & Mamurram, par amicorum, flagitiis omnibus contaminatum.

v. 1. *Pulchre convenit improbis cinædis* ] I. e. mirifice conveniunt inter ſe, optime alteri cum altero convenit, ſingulari concordia conjuncti ſunt, ob morum vitiorumque ſimilitudinem.

v. 3. *Maculæ pares utriſque* ] Notas & στίγματα malorum facinorum, quas quiſque in vita contraxiſſet, nulla umquam ratione delendas, apud inferos permanere, docuit Plato in Gorgia; cujus opinonem albis dentibus ridet Lucianus in Cataplo. Utrumque ſcriptorem videſis; mihi enim ſatis eſt loca digito monſtraſſe. Plautus vero Pœnulo Ac. 1. Sc. 1. v. 70.

*Ineſt amoris macula huic homini in pectore,*
*Sine damno magno quæ elui numquam poteſt.*

Anacreon Ode 55. Ἐγὼ δὲ τοὺς ἐρῶντας Ἰδὼν ἐπίσταμ' εὐθύς· Ἔχουσι γάρ τι λεπτὸν ψυχῆς ἔσω χάραγμα. i. e. *Ego autem amatores Conſpicatus, novi ſtatim: Gerunt enim neſcio quam tenuem, Intra animam, inuſtam notam.* Cicero pro Sex. Roſcio Amerino, loquens de ſcelere parricidii: *Magnam vim*, ait, *magnam neceſſitatem, magnam poſſidet religionem paternus, maternuſque ſanguis: ex quo ſi qua macula concepta eſt, non modo elui non poteſt, verum uſque eo permanat ad ani-*

Mamurræ pathicoque, Cæſarique.
Nec mirum: maculæ pares utriſque,
Urbana altera, & illa Formiana
Impreſſæ reſident, nec eluentur.
Morboſi pariter, gemelli utrique:

Uno

*animum, ut ſummus furor atque amentia conſequatur*. Idem Oratione 7. in C. Verrem: *Errabas, Verres, & vehementer errabas, quum te maculas furtorum & flagitiorum tuorum, ſociorum innocentium ſanguine eluere arbitrabare: praeceps amentia ferebare, qui te exiſtimares avaritiæ vulnera crudelitatis remediis poſſe ſanare*. Et rurſus pro P. Sextio: *Atque etiam hoc videbat* ( M. Cato ) *quoniam illa in republica macula regni publicati maneret, quam nemo jam poſſet eluere, quod ex malis boni poſſit in republica provenire, id utilius eſſe per te conſervari, quam per alios*. Auctor Declamationis in Salluſtium, Ciceroni falſo tributæ: *Nonne tibi viderer æternas inurere maculas, quas reliqua vita tua eluere non poſſit?* Claudianus lib. 2. in Rufinum v. 504. verbis Rhadamanthi judicis inferorum:

*Quid, demens, manifeſta negas? en pectus inuſtæ*
*Deformant maculæ, vitiique inolevit imago*.

Neque Chriſtiani ſcriptores ab hoc loquendi genere abſtinuerunt. Audi Lactantium lib. 4. Divin. Inſtit. cap. 6. *Leproſi enim vere atque elephantiaci debent haberi, quos vel infinitæ cupiditates ad ſcelera, vel inſatiabiles voluptates ad flagitia compellunt; & dedecorum maculis inuſtos labe adficiunt ſempiterna*. Idem ſub finem libri de Ira Dei: *Hujus præmii cæleſtis ac ſempiterni participes eſſe non poſſunt, qui fraudibus, rapinis, circumſcriptionibus conſcientiam ſuam polluerunt, quique injuriis hominum, nefariis commiſſis indelebiles ſibi maculas inuſſerunt*. Lege apud eumdem Divin. Inſtit. lib. 7. cap. 20. quid ſenſerint Stoici de hujuſcemodi maculis. Zacharias vero Scholaſticus, Epiſcopus Mytilenes ( quem ego ſcriptorem his proximis annis e Græco ſermone in Etruſcum converti ) in calce Dialogi de Mundi Opificio ſic Deum precatur: *δοίης ἡμῖν τοὺς κακοὺς χαρακτῆρας καὶ τύπους τῆς ψυχῆς ἐξελάσαι*. i. e. *Da nobis pravos characteres & notas ex anima expellere*. Cui ψάλτης regius præivit Pſalmo 51. his verbis: *κατὰ τὸ πλῆθος τῶν οἰκτιρμῶν σου ἐξάλειψον τὸ ἀνόμημά μου*. Porro maculas quæ nullo pacto elui poſſunt, vocavit Plutarchus in Opuſculo de Liberis Educandis, *ἀνεξάλειπτα ὀνείδη*.

v. 4. *Urbana altera, & illa Formiana* ] Quod nimirum Cæſar in urbe decoxiſſet, ac fortaſſe ætatis florem amatoribus primum decerpendum conceſſiſſet: Mamurra vero Formiis, ubi natus fuerat.

v. 6. *Morboſi pariter* ] Morboſos appellat qui muliebria paterentur; libido enim hujuſmodi prava & efferata, corporis non minus quam animi morbus eſt. Horatius Ode 37. lib. 1. de Cleopatra, quam ſpadonum & exoletorum agmina circumſtabant:

*Contaminato cum grege turpium*
*Morbo virorum* - - - -

Eodem pacto Herodotus in Clio pag. 44. editionis Jacobi Gronovii narrat, Venerem iratam Scythis inflixiſſe *θήλεαν νοῦσον*, *muliebrem morbum*. Vide Notas Richardi Bentleji ad Horatii locum modo memoratum.

ibid. *Gemelli* ] Tamquam fratres uno

par-

Uno in lectulo, eruditi ambo:

Non

partu editi. Venusinus poeta Sat. 3. lib. 2. v. 243.

*Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,*

*Nequitia, & nugis, pravorum & amore gemellum.*

Sed & fratres vocabantur nequiore significatione, ii qui se mutua libidine polluebant. Vide Petronium in Satyrico.

v. 7. *Uno in lectulo, erudituli ambo* ] Quid hoc rei sit, lector suspicari per se potest. Rivales a Græcis dicuntur σύλλεκτροι, quod scilicet unum communem lectum ascendant, vel saltem affectent. quæ tamen vox nonnumquam ita usurpatur, ut significet eamdem artem professos, inter quos de gloria certamen institutum est. Orpheus Hymno in Æsculapium:

Φοίβου Ἀπόλλωνος κρατερὸν θάλος, ἀγλαόμορφον,

Ἐχθρὲ νόσων, Ὑγίειαν ἔχων σύλλεκτρον ἀμεμφῆ.

*Phœbi Apollinis validum germen, formosum,*

*Inimice morborum, Hygiaam sociam* (vel rivalem) *habens inculpatam.*

Natalis Comes Mythologiæ lib. 4. cap. 11. hunc Orphei locum afferens, male vertit τὸ σύλλεκτρον, *tori consortem*; cum Hygiæa vel Hygia fuerit Æsculapii filia, non uxor. Sed nimirum duo illa numina de medendi arte simul certabant. Vel σύλλεκτρος Æsculapii vocatur Hygia, quod esset patri suo σύμβωμος, communibus nempe cum eo aris & sacris coleretur, & fortasse commune utrique lectisternium curari soleret, quemadmodum Jovi & Junoni, Neptuno ac Minervæ, Apollini ac Dianæ; quam explicationem verissimam judico. In hoc versu vox *lectulo* creticum pedem constituit, qui locum dactyli occupat, hiante syllaba in fine. Dactylus etiam esse possit; nam ob vocalem proxime sequentem initio vocis alterius, longæ syllabæ interdum a poetis corripiuntur. Simile Virgilianum illud Æneidos 3. v. 211. *Insulæ Ionio in magno*. Vide Sosipatrum Charisium lib. 1. capite de Communibus Syllabis.

ibid. *Erudituli* ] Cæsaris eruditionem, quæ sane non vulgaris fuit, Catullus contemnit, atque elevare studet. Ita Cicero 2. Tuscul. *contortulas conclusiunculas* per contemtum dixit. Et lib. 16. ad Atticum Epist. 11. *Cerulas etenim miniatulas tuas pertimescebam*. Eadem figura Persius Sat. 3. v. 103.

*- - - - - - - - - tandemque beatulus alto*

*Compositus lecto, crassisque lutatus amomis*

*In portam rigidos calces extendit - - - -*

Fortasse vero poeta noster Mamurram & Cæsarem eruditionis nomine laudat, quod uterque scientiam libidinum & flagitiorum egregie calleret. Ita Carmen 41. in Priapum:

*- - - - inter eruditos*

*Ficosissimus ambulet poetas.*

Et Auctor Declamationis in Catilinam, quæ Porcio Latroni vulgo tribuitur, num. 9. *Omitto*, inquit, *pestis hujus impurissimas voces .......... omnem denique copiam non mediocrium vitiorum sub illa frontis erudita simul atque insigni pulchritudine delitescentium*. Petronius pariter Satyrico: *Nec se rejiciebat a blanditiis doctissimus puer*. i. e. nequitia olim imbutus. Contra Propertius Elegia 3. lib. 4. novam nuptam appellat *rudem*:

*Cum rudis urgenti brachia victa dedi.*

Hominem *erudito luxu* appellat Corn. Tacitus lib. 16. Annalium cap. 18. C. Petronium, arbitrum elegantiarum Neronis.

v. 8.

Non hic, quam ille magis vorax adulter:
Rivales socii & puellularum.
Pulchre convenit improbis cinædis.

## L V I I I.

COELI, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia quam Catullus unam
Plus quam se, atque suos amavit omnes:
Nunc in quadriviis, & angiportis

Glu-

v. 8. *Vorax adulter* ] Uterque enim adulteriis, & omnis generis libidinibus rem dilapidaverat. De Mamurra noster superius Carm. 29.

- - - - *aut quid hic potest,*
*Nisi uncta devorare patrimonia?*

& rursus:

*Ut ista vostra diffututa mentula*
*Ducenties comisset, aut trecenties.*

De Cæsare autem, milites qui ejus currum sequebantur, apud Suetonium in ejus Vita cap. 51.

*Urbani, servate uxores: mœchum calvum adducimus.*
*Aurum in Gallia effutuisti, hinc sumsisti mutuum.*

v. 9. *Rivales socii* ] Rivalium societas, una est rerum mirabilium, & quæ morum summam corruptelam ostendat.

ARGUM. CARM. LVIII. ] Ad Cœlium, de Lesbia sua meretricium quæstum faciente.

v. 1. *Cœli* ] Hunc M. illum Cœlium esse qui cum Clodia P. Clodii sorore, procaci & libidinosa muliere, stuprum facere solitus fuit, & pro quo Cicero caussam dixit, Petrus Victorius existimat Var. Lect. lib. 16. cap. 1. cui assentitur Muretus in Commentario ad nostrum poetam. Quam enim Catullus, dissimulandi caussa, Lesbiam appellavit, ea proprio & vero nomine Clodia dicebatur, si L. Appulejo credimus, in Apologia id tradenti. Putant igitur, Catullum & Cœlium ad ejus mulieris domum ventitâsse, cumque ea rem habuisse: propterea poetam dicere, *Lesbia nostra*. Ego vero crediderim, hunc Cœlium diversum fuisse ab illo Romano, & Veronæ natum, quem videlicet ac Quintium, *florem juvenum Veronensium* appellet noster infra Carm. 97. Nam *Lesbia nostra* hoc loco idem est ac *Lesbia mea*. Neque tam turpis quæstus in Clodiam Publii sororem, principem feminam, ullo pacto convenire videtur. Quamquam de illa Cicero contumeliose admodum in Oratione pro M. Cœlio sit locutus. *Nisi forte*, inquit, *mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori*. ut stuprum scilicet loco quadrantis esset, monetæ vilissimæ, quam lavantes balneatori mercedem persolvebant.

ibid. & v. 2. *Lesbia illa, Illa Lesbia* ] Horatius ad Lycen Ode 13. lib. 4.

- - *quid habes illius, illius*
*Quæ spirabat amores?*

Non dissimiles Tibulli querelæ Elegia 4. lib. 3.

A a Tan-

Glubit magnanimos Remi nepotes.

LIX. Bono-

*Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,*
*Quantum nec cupido bella puella viro.....*
*Carminibus celebrata tuis formosa Neæra*
*Alterius mavult esse puella viri.*

Et pari propemodum lepóre Dio Cassius lib. 59. loquens de Cajo Caligula: Τὸν Λέπιδον ἐκεῖνον, τὸν ἐραστὴν, τὸν ἐρώμενον, τὸν τῆς Δρουσίλλης ἄνδρα ἀπέκτεινε. i. e. *Lepidum illum, amatorem* suum, *& amasium, Drusillæ maritum occidit.*

v. 5. *Glubit* ] Quid proprie sit *glubere*, ac *deglubere*, satis explicat Varro lib. 1. Rei Rusticæ cap. 48. his verbis: *Arista & granum omnibus fere notum: gluma paucis. Itaque id apud Ennium solum scriptum scio esse in Evhemeri libris versis. Videtur vocabulum etymon habere a glubendo, quod eo folliculo deglubitur granum. Itaque eodem vocabulo appellant fici ejus quam edimus, folliculum. Deglubere* igitur vocant rustici, siliquam aut folliculum excutere, & granum sua tunica nudare; ut recte Erasmus in Adagiis. Catullus tamen utitur hoc verbo μεταφορικῶς, ut nimirum significet, Lesbiam, perfricta fronte, omnique pudore abjecto, mastuprari, & excoriare pudenda eorum qui ad eam ventitent. Ausonius pariter de Crispa impudica muliere Epigram. 71.

*Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam.*

quod vidit Achilles Statius. Eadem significatione Græci nonnumquam usurpant verba δέρειν καὶ δέρεσθαι. Testantur id Philoxeni Glossæ: *Masturbat, manu turbat*, δέρει, καὶ δέρεται. ἐστὶ δὲ ῥῆμα κοινόν. Aristophanes ita usus in Ranis alicubi, si bene memini. Suspicor, ad hanc turpitudinem etiam Lucianum in Asino respexisse, ubi Palæstram libidinosam ancillam sic loquentem inducit: ἀλλ' οἶδα τὸ μέγα τοῦτο, καὶ καλὸν, τὸν ἄνθρωπον οἶδα ἔγωγε καὶ σφάττειν, καὶ δέρειν, καὶ κατακόπτειν. i. e. *Sed magnum etiam & præclarum istud novi, videlicet hominem jugulare, excoriare, & in frusta scindere*. Id præterea vocabant αἰκφλᾶν. Vide Julium Pollucem Onomastici lib. 2. Sect. 76.

ibid. *Magnanimos* ] Dictum εἰρωνικῶς. erant enim potius μικρόψυχοι, illiberales, & sordidi, qui nimirum accederent ad scorta diobolaria, in angiportis prostantia. Vossius legendum putat *magnanimi Remi*.

ibid. *Remi nepotes* ] Attingere videtur Catullus eorum opinionem qui, urbem Romam non a Romulo, sed a Remo ejus fratre conditam fuisse, tradiderunt. Propertius quoque lib. 2. Elegia 1. *Regnave prima Remi*. Consulendus Thomas Dempsterus in Paralipomenis ad caput 1. lib. 1. Antiquitatum Roman. Rosini. Certe Romulus nullis relictis liberis excessit e vita. Vel de plebe Romana potius accipiendum, quam *Remi turbam* prisci scriptores interdum vocant: quod scilicet Romulus regnaverit, Remus privatus fuerit. Vel demum *nepotes* usurpavit poeta pro successoribus, quamquam hi eum conditoribus urbis nullo sanguinis vinculo conjuncti essent.



A 2-

# LIX.

BONONIENSIS Rufa Rufulum fellat,
Uxor Menenî, sæpe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo cœnam,



ARGUM. CARM. LIX. ] Rufam Bononiensem, mulierem pauperrimam vilissimamque, quæ Rufulo cuidam ore morigerabatur, infamia differt.

v. 1. *Bononiensis Rufa* ] Quamquam hæc mulier, ut videtur, e fæce vulgi esset, Ruforum tamen familiam Bononiæ amplam & honestam olim floruisse, colligere possumus ex Martialis Epigram. 85. lib. 6. quo mortem Rufi Camonii deplorat: ubi inter alia hæc leguntur:

*Funde, tuo, lacrimas, orbata Bononia Rufo:*
*Et resonet tota planctus in Æmilia.*

ibid. *Fellat* ] Ita legendum contendit Vossius, cujus sententiæ subscribimus: non *fallat*, quod placebat Scaligero, & Jano Meleagro. Est enim hoc Epigramma tamquam libellus infamis, cujusmodi clam proponebantur in locis Urbis celeberrimis vigente Romana libertate. Existimo autem, scriptum a Catullo, ut Rufulo potius quam Rufæ dolorem & pudorem incuteret; nam alioqui perdita mulier nullo infamiæ metu commoveri poterat. Carmen hujusmodi maledicum minatur Propertius Cynthiæ suæ, quæ datam ipsi fidem violaverat, Elegia 4. lib. 2.

*Scribam igitur quod non umquam tua deleat ætas:*
*Cynthia forma potens, Cynthia verba levis.*
*Crede mihi, quamvis contemnas murmura famæ,*
*Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.*

Libelli in principes viros contumeliosi, editi ab hominibus audacibus, & iracundia elatis, Romæ hoc tempore vocantur *pasquinate*. Si cui tamen hoc loco *fallat* magis arridet, is opinionem suam testimoniis Horatii quæ sequuntur, tueri poterit. Primum suppeditat Epistola 1. lib. 1. v. 20.

*Ut nox longa, quibus mentitur amica; diesque*
*Longa videtur opus debentibus - - - -*

Alterum Satyra 5. lib. 1. v. 82.

*Hic ego mendacem stultissimus usque puellam*
*Ad mediam noctem exspecto - - -*

v. 2. *In sepulcretis* ] *Sepulcretum* locus est plura sepulcra continens. κοιμητήρια Christiani appellant, quasi *dormitorium*; non enim existimant, mortem esse interitum omnia exstinguentem, sed quietem & somnum, ex quo tandem Christi virtute excitandi simus.

v. 3. *Cœnam* ] Silicernium, cœnam funebrem, quam veteres mortuis apparabant, & igne rogi sæpius comburebant. Persius Satyra 6. v. 33.

*- - - - - - sed cœnam funeris heres*
*Negliget iratus, quod rem curtaveris: urnæ*
*Ossa inodora dabit - - - - - - - - -*

Neque aliam cœnam esse arbitror, de qua Plautus jocose Pseudolo Ac. 3. Sc. 2. v. 6.

*Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit.*

Quum devolutum ex igne prosequens panem
Ab semiraso tunderetur ustore.

* * * * * * * * * * * * * * *

Num te leæna montibus Libyssinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
Tam mente dura procreavit, ac tætra,
Ut supplicis vocem in novissimo casu
Contemtam haberes? o nimis fero corde!

LX. Col-

*Ut esset hîc qui mortuis cœnam coquat* -- Ceterum, fures non solum cibos in rogum injectos, verum etiam unguenta, & aromata pretiosa, quæ una cum divitum cadaveribus incendi mos erat, sæpe surripiebant. Id testatur Martialis Epigram. 54. lib. 11. his versibus:

*Unguenta, & casias, & olentem funera myrrham,*
*Turaque de medio semicremata rogo;*
*Et quæ de Stygio rapuisti cinnama lecto,*
*Improbe, de turpi, Zoile, redde sinu.*

v. 4. *Devolutum ex igne panem* ] Strue videlicet lignorum paullatim corruente, ac desidente. Sidonius Apollinaris Epist. 13. lib. 3. *Enimvero illa sordidior est atque deformior cadavere rogali, quod facibus admotis semicombustum, moxque sidente strue torrium devolutum, reddere pyræ jam fastidiosus pollinctor exhorret.*

v. 5. *Ab semiraso ustore* ] Servi bustuarii, & libitinarii, qui funera curabant, & cadavera comburebant, genus mancipiorum maxime sordidum, plerumque semiraso capillo erant, Appulejo teste apud Scaligerum. Cadaveri tamen patroni efferendo, novos libertos caput pileo tectos, nonnumquam adhibitos fuisse, docent illa Persii Satyra 3. v. 103.

- - - - - - - *tandemque beatulus alto*
*Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,*
*In portam rigidos calces extendit: at illum*
*Hesterni capite induto subiere Quirites.*

*Hesternos Quirites* vocat servos, heri vel pridie a domino jam jam morituro manumissos, atque ita civitate donatos.

* * * ] Hos versus a superioribus omnino disjungendos, tamquam diversi Epigrammatis fragmentum, recte monuerunt viri docti.

v. 1. *Leæna montibus Libyssinis* ] Vide quæ attulimus ad Carmen 45. v. 7.

v. 2. *Scylla latrans i. i. p.* ] Hoc Scyllæ Phorci filiæ, quam Glaucus amavit, fabulæ tribuunt. Fuit & altera Scylla, Nisi Megarensium regis filia, quæ patrem & patriam hostibus prodidit. Porro utramque confundit Ovidius Amorum lib. 3. Elegia 12. ita canens:

*Per nos Scylla patri canos furata capillos*
*Pube premit rabidos inguinibusque canes.*

v. 3. *Procreavit* ] Eodem pacto in Carmine de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 154.

*Quænam te genuit sola sub rupe leæna?*
*Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?*
*Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis?*

v. 4. *In novissimo casu* ] Cornelius Tacitus Annalium 12. cap. 33. *Adi-*

# L X.

COLLIS o Heliconii
Cultor, Uraniæ genus,

Qui

*ditisque qui patrem nostram metuebant, novissimum casum experitur.* Silius Italicus lib. 1. v. 567.

*Et Latia extremis implorant casibus arma.*

Livius lib. 4. *Orare* ( Melius ) *ut opem sibi ultimo in discrimine ferrent, neve ante oculos suos trucidari finerent. In novissimo casu* Homero ὑςάτιον est. Sic enim Iliados 8. v. 352.

- - - - - - - - - οὐκέτι νῶϊ
Ὀλλυμένων Δαναῶν κεκαδησόμεθ᾽ ὑςάτιόν περ;
- - - - - - - - - - - - *Non jam nos*
*Pereuntes Danaos curabimus extremo saltem in* eorum *casu?*

Noster infra Carm. 63. v. 151.

*Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.*

v. 5. *Contemtam haberes* ] Pro *contemneres*. Infra Carm. 66. v. 31.

- - - - *hoc se dicit cognitum habere Brixia* - -

M. Tullius in calce Orat. ultimæ in Verrem: *Quorum templis & religionibus iste...... bellum sacrilegum semper impiumque habuit indictum*. Eidem scriptori *domitas habere libidines*, est illas domare, seu domuisse.

ARGUM. CARM. L X. ] Hoc nuptiali Carmine, quod sane elegantissimum est, poeta noster quum amico Manlio Juliam Aurunculejam uxorem ducenti gratum facere studet, tum ea quæ ad veteres connubiorum ritus cognoscendos maxime pertinent, miro quodam lepóre persequitur.

v. 2. *Cultor* ] Habitator, incola. Vetus poeta apud Charisium lib. 1. cap. de Communibus Syllabis:

*Cyclops Ætnæus cultor, Neptunia proles.*

Hunc Tibullus Panegyrico ad Messalam v. 56. *Incolam* appellat:

*Cessit & Ætnææ Neptunius incola rupis.*

Virgilius 1. Georg. v. 14. de Aristæo armentario, Apollinis & Cyrenes filio: *cultor nemorum*.

ibid. *Uraniæ genus* ] Quem scilicet Urania Musa peperit, e Bacchi semine, ut videtur, conceptum. Seneca enim Medea v. 110. Hymenæum *Lyæi prolem* appellat:

*Candida thyrsigeri proles generosa Lyæi,*
*Multifidam jam tempus erat succendere pinum, &c.*

Sunt qui hujus dei matrem Terpsichoren fuisse, tradant; in quibus est Alciphron Epist. 13. lib. 1. Γαμησείω νῦν, inquit, καὶ τὸν Ὑμέναιον ἐκφαντάζομαι τὸν παῖδα τῆς Τερψιχόρης. *Jam nuptias expeto, & Hymenæum cogito Terpsichoræ filium:* Male ibi legebatur τὴν παῖδα, ut animadvertit vir doctus, Stephanus Berglerus, qui hunc etiam locum adducit ex Chrestomathia Procli apud Photium: Ὑμέναιον δὲ ἐν γάμοις ᾄδεσθαί φασι κατὰ πόθον καὶ ζήτησιν Ὑμεναίου τοῦ Τερψιχόρας· ὅν φασι γήμαντα ἀφανῆ γενέσθαι. i. e. *Hymenæum autem in nuptiis cantari ajunt ob desideratum & quæsitum Hymenæum Terpsichoræ filium; quem ducta uxore ferunt disparuisse*. Caute igitur Claudianus Epithalamio Palladii & Celerinæ v. 29. *Musa genitum* dixit, neu-

Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenæe Hymen,
O Hymen Hymenæe:

Cin-

neutri nimirum historiæ favens, vel adversatus:

*Mollibus exsurgit stratis, interque suorum*
*Agmen, & innumeros Hymenæum poscit Amores.*
*Hunc Musa genitum legit Cytherea, ducemque*
*Præfecit thalamis* - - - - -

Ceterum & Lini mater fuit Urania, teste Diogene Laertio in proœmio; cujus hæc verba sunt: τὸν δὲ Λῖνον παῖδα (φασὶ) εἶναι Ἑρμοῦ καὶ Μούσης Οὐρανίας. i. e. *Linum filium ajunt esse Mercurii, & Musæ Uraniæ*. De falsa Musarum virginitate plura olim observabimus ad illud Propertii distichon, ex Elegia 23. lib. 2. E. B.

*Nec tu virginibus reverentia moveris ora:*
*Hic quoque non nescit quid sit amare chorus.*

Porro Catullus *genus* pro *sobole*, *prole* usurpavit, quod solent poetæ. Ita Propertius modo memoratus, Elegia 20. lib. 1. de Zethe & Calaï, Aquilonis ex Orithyia filiis:

*Jam Pandioniæ cesset genus Orithyiæ.*

Horatius pariter Ode 14. lib. 2. *Danai genus infame* appellavit Belidas Danai filias.

v. 3. *Qui rapis t. a. v. Virginem* ] Festus Pompejus: *Rapi simulatur virgo ex gremio matris: aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit*. Quo instituto Romani veteres pudori virginum consulere voluerunt, quasi nimirum ex invitæ nuberent, & a domo parentum discederent, nec, nisi vi compulsæ, adduci possent, ut ponerent virginitatem. Simili prope verbo utebantur in legenda virgine Vestali, quod testatur Gellius lib. 1. Noct. Attic. cap. 12. *Capi*, inquit, *virgo propterea dici videtur, quia Pontificis maximi manu prehensa ab eo parente, in cujus potestate est, veluti bello capta abducitur*.

ibid. *Teneram virginem* ] Aut est perpetuum epitheton; nam & Bacchum, quod puellari & virginea forma esset, *tenerum* appellabant, ut in Lusibus Priapejis Epigr. 36.

*Trahitque Bacchus virginis tener formam;*

aut ipsum ætatis florem significat: mos enim erat apud antiquos, virgines non diu innuptas domi servare, sed, statim ac adolevissent, viro conjungere, ut in ejus potestate facilius, & æquiore animo essent, ad quem scilicet rudem animum, nullaque prava consuetudine imbutum attulissent.

v. 5. *Cinge tempora, &c.* ] Cultum Hymenæi nuptiarum præsidis graphice describit Ovidius Epistola Cydippes his versibus:

*Ter mihi jam veniens positas Hymenæus ad aras*
*Fugit; & e thalami limine terga dedit.*
*Vixque manu pigra toties infusa resurgunt*
*Lumina: vix moto corripit igne faces.*
*Sæpe coronatis stillant unguenta capillis,*
*Et trahitur multo splendida palla croco.*
*Cum tetigit limen, lacrimas mortisque timorem*
*Cernit, & a cultu multa remota suo.*

Pro-

Cinge tempora floribus
  Suaveolentis amaraci.
  Flammeum cape. lætus huc
  Huc veni, niveo gerens
  Luteum pede soccum.
Excitusque hilari die,
  Nuptialia concinens
  Voce carmina tinnula,
  Pelle humum pedibus, manu
  Pineam quate tædam.

Nam-

*Projicit ipse suas deducta fronte coronas,*
*Spissaque de nitidis tergit amoma comis.*
*Et pudet in tristi lætum consurgere turba:*
*Quique erat in palla, transit in ora rubor.*

v. 6. *Amaraci* ] Non solum amaraci floribus, verum etiam rosis coronabatur hic deus; vel Seneca teste in Medea v. 67.

*Et tu qui facibus legitimis ades,*
*Noctem discutiens auspice dextera,*
*Huc incede gradu marcidus ebrio,*
*Præcingens roseo tempora vinculo.*

v. 13. *Voce tinnula* ] Pomponius in Atellana quæ *Kalendæ Martiæ* inscribebatur; apud Macrobium lib. 6. Saturnal. cap. 4. *Ego vocem reddam tenuem & tinnulam.* nempe, sonitum æris quodammodo referentem; huic enim metallo tinnitus proprie tribuitur. Plinius lib. 11. cap. 20. Nat. Hist. *Apes gaudent plausu, & tinnitu æris.* Ovidius lib. 6. Metamorph. v. 589.

*Nocte sonat Rhodope tinnitibus æris acuti.*

Idem lib. 4. Fastorum v. 184. de Corybantibus Berecynthiæ sacerdotibus:

*Ibunt semimares, & inania tympana tundent;*
*Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.*

Immo & æra ipsa appellavit *tinnula* lib. 4. Metamorph. v. 392. *adunco tibia cornu, Tinnulaque æra sonant.* Et sistra ministrorum Isidis, Elegia 1. lib. 1. ex Ponto v. 38.

*Ecquis ita est audax, ut limine cogat abire*
*Jactantem Pharia tinnula sistra manu?*

Rhetorum *tinnulorum* meminit Quinctilianus lib. 2. Instit. Orator. cap. 3. ad quem locum Hadrianus Turnebus hæc adnotavit: *Tinnuli sunt qui exiliter & deducte sonantes dictiones venantur. Sic Tacitus Dialogo de Oratoribus, appellat Gallionis tinnitus. quamquam hoc etiam ad pronuntiationem referri potest.*

v. 14. *Pelle humum pedibus* ] Quod solebant saltatores. Ovidius lib. 1. Artis Amat. v. 111.

*Dumque, rudem præbente modum tibicine Tusco,*
*Ludius æquatam ter pede pulsat humum.*

v. 15. *Pineam quate tædam* ] Ita lego, non *spineam*; secutus auctoritatem Codicum MSS. a quibus hanc lectionem summo consensu præferri, testatur Achilles Statius. Ita certe tres vetusti libri Bibliothecæ Saibantium Veronæ; inspecti a PAULO GALEARDO V.C. Placuit hæc lectio Josepho Scaligero, frustra contradicente Marcilio. Neque

a li-

Namque Julia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem, bona cum bona
Nubit alite virgo:
Floridis velut enitens
Myrtus Asia ramulis,

Quos

a librorum veterum fide sibi discedendum putaverunt Joannes Livinejus, & Isaacus Vossius. Favet Ovidius, qui lib. 2. Fastorum v. 557.

*Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ:*
*Exspectet puros pinea tæda dies.*

ibid. *Quate tædam* ] Faces multifidæ, seu lampades, ὑπὸ παίδων δᾳδούχων ἢ λαμπαδηφόρων manu jactabantur, præsertim in festis nuptialibus, & funeribus, ut ignem tæda conciperet, ac largius lumen diffunderet. Valerius Flaccus in calce lib. 1. Argonauticon:

*Quos omnes lenis plantis, & lampada quassans*
*Progenies Atlantis agit - - - -*

Ovidius lib. 3. Metamorph. v. 508. de Nymphis Narcissum lugentibus:

*Jamque rogum, quassasque faces, feretrumque parabant.*

Martialis Epigr. 43. lib. 8.

*Effert uxores Fabius, Chrestilla maritos;*
*Funeream que toris quassat uterque facem.*

Id vocabant etiam *ventilare*. Propertius Elegia 3. lib. 4.

*Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.*

Præterea, *concutere*, & simpliciter, *movere*. Ovidius lib. 1. Amor. Elegia 2.

*Vidi ego jactatas mota face crescere flammas,*
*Et vidi nullo concutiente mori.*

Idem Epistola Phyllidis v. 120.

*Suntque sepulcrali lumina mota face.*

v. 16. *Julia* ] In omnibus fere manu exaratis codicibus quos consuluit Achilles Statius, exstabat *Junia*.

v. 17. *Qualis ....... venit ad Phrygium Venus Judicem* ] Hoc loco id Catullo propositum est, ut non solum Juliæ formam cum forma Veneris comparet, verum etiam significet, bonis avibus nubere Juliam, videlicet viro suo placituram, & cum eo mira animi concordia toto ætatis tempore victuram: quemadmodum Venus ad Paridem venerit pulchritudini suæ confidens, ac certo sciens, litem de formæ præstantia secundum se datum iri. Quod optime animadvertit Alexander Guarinus, qui Commentarium non contemnendum in hunc poetam scripsit. Huic explicationi suffragantur quæ hoc ipso Carmine occurrunt v. 86.

*Flere desine. non tibi,*
*Aurunculeja, periculum est,*
*Ne qua femina pulchrior*
*Clarum ab Oceano diem*
*Viderit venientem.*

v. 19. *Bona virgo* ] Vel pudica & proba, vel, si mavis, formosa. Nam & pulchros *bonos* appellabant. Vide Carmen 15. v. 10.

v. 21. *Enitens* ] Ἀποφαινομένη, conspicua. Ita Vetus Poeta apud M. Tullium Quæstione 2. Tusculana:

*Etsi in segetem sunt deteriorem datæ*
*Fruges, ipsæ tamen suapte natura enitent.*

v. 22. *Myrtus Asia* ] I. e. Asiatica. quo pacto Virgilius lib. 7. Æneidos v. 701.

Quos Hamadryades deæ
Ludicrum fibi rofcido
Nutriunt humore.
Quare age huc aditum ferens
Perge linquere Thefpiæ
Rupis Aonios fpecus,
Lympha quos fuper irrigat
Frigerans Aganippe.
Ac domum dominam voca

Con-

v. 701. dixit *Afiam paludem*. Porro myrtis ad Eurotam fluvium confitis comparavit poeta nofter etiam virginem Ariadnen, Minois regis filiam, in poemate de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 89.

ibid. *Ramulis* ] Κλαδίσκοις, parvis ramis. Varro lib. 1. de Re Ruftica cap. 40. *Ex arbore e qua quis vult habere furculum, in eam quam inferere vult, ramulum traducit*.

v. 24. *Ludicrum fibi* ] Hoc loco *Ludicrum* fignificat non ludi genus aliquod, fed locum ipfum lufui aptum, & myrtis coronatum: videlicet nymphæum, feu balneum & lavacrum Nympharum Hamadryadum, quas hujufmodi arbufculis mirifice delectari, fabulofa exiftimavit antiquitas. Veriffimam hanc explicationem debes, mi lector, Ifaaco Voffio, non vulgaris eruditionis & doctrinæ viro: cujus verba legere operæ pretium eft.

ibid. *Rofcido Nutriunt humore* ] Carmen illud vetus quod Pervigilium Veneris infcribitur, v. 20.

*Humor ille quem ferenis aftra rorant noctibus*.

v. 26. *Huc aditum ferens* ] Eodem pacto nofter in Galliambo de Aty & Berecynthia v. 47.

*Animo æftuante rurfum reditum ad vada tetulit*.

v. 29. *Lympha quos fuper irrigat* ] E quorum fornice ac lateribus grandes depluunt guttæ, quæ collectæ fontem Aganippen efficiunt. Lucretius lib. 1. v. 349.

*In faxis & fpeluncis permanat aquarum*
*Liquidus humor, & uberibus flent omnia guttis*.

Virgilius Æneidos 1. v. 166.

*Fronte fub adverfa fcopulis pendentibus antrum:*
*Intus aquæ dulces, vivoque fedilia faxo;*
*Nympharum domus*. - - - - -

Propertius pariter Elegia 20. lib. 1.

*Hic erat Arganthi πυγὴ fub vertice montis*
*Grata domus Nymphis humida Thyniafin*.

v. 30. *Frigerans* ] Verbum unde hoc participium derivatum eft, non temere invenias apud bonos Latinitatis auctores.

v. 31. *Dominam* ] Matronam videlicet, matremfamilias, a viro coemtam, quemadmodum & mulier dote data viciffim virum coemebat: qua ratione juftæ ac legitimæ nuptiæ a Quiritibus contrahebantur. De his plura veteres Jurifconfulti, & fuperiores Catulli interpretes, maxime omnium Conftantius Landus Complani Comes. quæ

Conjugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc & huc
Arborem implicat errans.
Vos item simul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite: O Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
Ut lubentius, audiens
Se citarier ad suum
Munus, huc aditum ferat
Dux bonæ Veneris, boni

Con-

describere non pigeret, nisi trita omnia & vulgata essent. Id unum addam, videri Juvenalem in hunc ritum respexisse cum scripsit Satyra 6. v. 138.

*- - - - veniunt a dote sagittæ,*
*Libertas emitur - - - -*

Non solum enim potestatem in servos, & administrationem rei familiaris, verum etiam immoderatam quidlibet impune audendi licentiam sibi sumebant locupletes & dotatæ uxores.

v. 32. *Cupidam* ] Oestro Veneris percitam; quamquam id puellæ dissimulent, virginali verecundia suadente.

v. 33. *Mentem amore revinciens* ] Pulcherrima & suavissima hæc translatio est: cui similis Propertiana illa Elegia 3. lib. 3.

*Me juvat & multo mentem vincire Lyæo.*

Amor enim perinde ac vinum menti libertatem adimit.

v. 34. *Ut tenax hedera* ] Decimus Laberius, mimorum scriptor, apud Macrobium Saturnaliorum lib. 2. cap. 7. hanc ipsam comparationem adhibuit ut vim senectutis significaret:

*Ut hedera serpens vires arboreas necat;*
*Ita me vetustas amplexu annorum enecat.*

v. 36. *Integræ Virgines* ] In ipso ætatis flore constitutæ, a quorum corpore dies nondum abstulit spolia, ut venuste loquitur Seneca in Hippolyto v. 769. Vel est ἠϊθέων proprium virginitatis. Terentius Hecyra Actu 1. Sc. 2. v. 74.

*- - - eam ludibrio haberi, Parmeno,*
*Quin integram itidem reddam, ut accepi ab suis,*
*Neque honestum mihi, neque utile ipsi virgini est.*

v. 41. *Ut lubentius* ] Post adverbium *lubentius* ponenda ὑποδιαστολὴ. ita enim syntaxis ordinanda: *Ut dux bonæ Veneris, audiens se citarier ad suum munus, lubentius ferat aditum huc.*

v. 44. *Dux bonæ Veneris* ] Quem Venus honesta, & hominum generi profutura, ducem, auctorem, magistrum habet: cujus nimirum consilio destituta, turpitudinem atque infamiam vitare nullo modo potest.

v. 46.

Conjugator amoris.
Quis deus magis ah magis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Cælitum? o Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
Te suis tremulus parens
Invocat: tibi virgines
Zonula solüunt sinus:
Te te, Hymen, cupida novus

Ca-

v. 46. *Magis ah magis* ] Josephi Scaligeri lectionem probo. Theodorus Marcilius, Joannes Passeratius, Isaacus Vossius aliam præferunt: *Quis deus magis ac magis*; quæ tamen lectio, si quis accuratius animadvertat, comparationem tollere videtur, quam inter Hymenæum & deos reliquos Catullus instituit.

v. 51. *Tremulus parens* ] Ob ultimam senectutem. Inferius Carmine ad Manlium v. 142.

*Ingratum tremuli tolle parentis onus.*

Supra vero Carm. 17. v. 12.

*Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar*
*Bimuli, tremula patris dormientis in ulna.*

Ad quem locum vide, si lubet, quæ adnotavimus. Consueverunt autem senio confecti patresfamilias miro desiderio teneri videndi nuptias filiarum, ne scilicet, si ante moriantur, eas auxilio ac defensione orbatas relinquant. Mariti enim parentum custodiæ ac diligentiæ quodammodo vicarii succedunt. Propterea, puellas quæ nuptui darentur, generorum fidei a soceris committi dicebant. Sulpitius ad Ciceronem Epist. 5. lib. 4. qua eum de Tulliolæ morte consolatur, ita scribit εἰρωνικῶς: *Licitum est tibi, credo, pro tua dignitate, ex hac juventute generum deligere, cujus fidei liberos tuos te tuto committere putares.* Iccirco non satis decorum mihi videri solet, Peneum fluvium his verbis alloqui filiam Daphnen apud Ovidium lib. 1. Metamorph. v. 481. *Generum mihi, filia, debes: debes mihi, nata, nepotes.* Nam si deus Peneus, ut omnes fluvii ex veterum illorum opinione, nonne ipse poterat filiam custodire sine ope generi, eique ut dilectam virginitatem servaret, non gravate permittere? Si autem immortalis, ut omnes dii, cur tantopere sollicitus erat de posteritate, quæ solatium mortalitatis est, & quæ ab hominibus ideo expetitur, ne ipsorum memoria & imago penitus deleatur? Sed in fabulis τὸ πρέπον frustra requiras.

v. 53. *Zonula solüunt sinus* ] Vide quæ animadvertimus ad Carmen 2. versu ultimo. Catullum porro, cum vocem *solüunt* per diæresin trisyllabam fecit, litterarum dissolutione rem de qua sermo ipsi erat, exprimere voluisse, recte monet Achilles Statius.

v. 54. *Te te, Hymen* ] Sunt qui legant *Te timens*, vel *Te tumens*: quæ lectiones minus arrident. Hanc præferendam censui, a Vossio probatam, & huic loco mire convenientem. Neque tamen iteratio pronominis *te* necessa-

 ria

Captat aure maritus.
Tu fero juveni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris e gremio suæ
Dedis. o Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
Nil potest sine te Venus,
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere: at potest,
Te volente. quis huic deo
Compararier ausit?
Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens

Stir-

ria est; cum & simplex poni possit: nam hiatus in versu Catullo familiaris.

v. 55. *Captat aure* ] Ad tuum adventum aures arrigit, qui mos vehementer aliquid cupientium & exspectantium est. Memini me olim hac locutione usum cum vigilem canem, & furibus noctu infestum describerem:

*Auribus exiguos captantem sæpe susurros*
*Nulla tamen vano moverat aura sono.*

Quod Plautus Milite Glor. Act. 4. Sc. 1. v. ult. ita variavit:

*Viden' tu illam oculis venaturam facere, atque aucupium auribus?*

v. 56. *Fero juveni* ] Indomita atque effrenata cupiditate flagranti, sine fine prurienti. Apud Ciceronem, & alios optimos Latinitatis auctores *ferus* atque *immanis* opponitur *cicuri* & *mansueto*.

v. 58. *Matris e gremio suæ* ] Virgines enim sunt in custodia matrum. Carmine de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 87. de Ariadna:

*- - - quam suaves exspirans castus odores*
*Lectulus in molli complexu matris alebat.*

Hic porro versus repetitur infra sub finem hujus Carminis v. 217.

v. 60. *Dedis* ] Verbum sumtum a re militari. Deduntur enim hostibus in manus urbes jam expugnatæ, vel quæ in eo sunt ut expugnentur. Noster Carmine proxime sequenti v. 20.

*Qui natam possis complexu avellere matris,*
*Complexu matris retinentem avellere natam,*
*Et juveni ardenti castam donare puellam.*
*Quid faciant hostes capta crudelius urbe?*

v. 63. *Commodi capere* ] Terentius Eunucho Act. 5. Sc. 6. v. 1.

*Ex meo propinquo rure hoc capio commodi,*
*Neque agri neque urbis odium me umquam percipit.*

v. 67. *Liberos dare* ] I. e. edere, in lucem producere.

ibid.

Stirpe jungier: at poteſt,
Te volente. quis huic deo
Compararier auſit?
Quæ tuis careat ſacris,
Non queat dare præſides
Terra finibus: at queat,
Te volente. quis huic deo
Compararier auſit?

Clau-

ibid. *Nec parens Stirpe jungier* ] I. e. *nec tranſmittere ad liberos hereditatem, quia ex non juſto conjugio ſuſceptus, eſt peregrinæ conditionis. Peregrinus autem nihil capit de bonis civis Romani. At ſuus heres, quum immiſcet ſe hereditati, continuat jus patris ſui potius, quam patri ſuccedit.* Verba ſunt Joſephi Scaligeri, qui omnium optime hujus loci veram ſententiam aſſecutus videtur.

v. 72. *Non queat dare præſides Terra finibus* ] Hos verſiculos, ait Scaliger, accipiendos eſſe de peregrinis, & Romanæ civitatis jure non donatis, ad quos propterea cura magiſtratuum pertinere non poterat. Sed hoc verum fuerit, ſi magiſtratus Romanorum intelligamus, non item, ſi externorum. Nam & apud peregrinos connubia celebrabantur, & Hymenæi religio prius in Græcia colebatur quam ad Romanos migrâſſet. Illud tamen diffiteri nequeo, conſueviſſe olim Romanos populis quibuſcum pacem haberent, aut bellum gererent, prout bene vel male de ipſis meriti fuiſſent, jus connubiorum concedere præmii loco, vel iis viciſſim mulctare. Teſtem Livium profero lib. 9. Hiſtor. ab U. C. *Hernicorum*, inquit, *tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt quam civitatem, ſuæ leges redditæ: connubiumque inter ipſos, quod aliquando Hernicorum ſoli habuerunt, permiſſum. Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitas ſine ſuffragii latione data: concilia connubiaque ademta: & magiſtratibus, præterquam ſacrorum curatione, interdictum.* Qui Livii locus unice Catullum illuſtrat. Porro legere eſt apud eumdem Hiſtoricum lib. 23. Capuæ cives non ſolum inter ſe connubii jus habuiſſe, verum etiam cum Romanis. Ejus verba ſunt: *Connubium vetuſtum multas familias claras ac potentes Romanis miſcuerat.* Videtur igitur Catullus hoſce populos, qui Romanorum ſuperbia, juſti matrimonii contrahendi poteſtate idemtidem ſpoliabantur, hic ſignificare voluiſſe. Neque enim auſcultandum eſt M. Antonio Mureto, qui contendit, hunc poetæ noſtri locum de cælibibus accipi debere, quos veriſimile ſit, minus de republica eſſe ſollicitos. Hic enim Catullus non de quibuslibet privatis hominibus, aut de aliqua ſingulari familia verba facit, ſed de populo univerſo, vel natione. Quæ vero in orbe terrarum natio conjugiis umquam vacavit omnino, ſi non ſolenni ritu ſacratis, at certe qualibuſcumque, & ut ſunt ab ipſa natura comparata? niſi forte *Eſſeni*, de quibus Plinius lib. 5. Nat. Hiſt. cap. 17. *gens mira, ſine ulla femina, omni venere abdicata, ſine pecunia, ſocia palmarum. In dies*, inquit, *ex æquo convenarum turba renaſcitur, large frequentantibus quos vita feſſos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat.*

Claustra pandite januæ.
Virgo adest; viden' ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.

Tar-

*tat. Ita per seculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est in qua nemo nascitur.* Id quod olim nos adolescentes animadvertimus.

v. 76. *Claustra* ] Repagula & seræ, quibus ostium occluditur. Lucretius lib. 2. v. 450.

*Æraque quæ claustris restantia vociferantur.*

v. 77. *Viden' ut* ] Eodem pacto loquitur Tibullus Elegia 1. lib. 2.

*- - - - viden' ut felicibus extis*
*Significet placidos nuntia fibra deos?*

& Silius Italicus, nostrum poetam imitatus, lib. 12. Punicorum v. 713.

*- - - - viden' ut Latonia virgo*
*Accensas quatiat Phlegethontis gurgite tædas?*

ibid. *Faces....... quatiunt comas* ] Eleganti admodum & suavi translatione summum flammæ apicem *comam* appellat. Pedo Albinovanus pariter Elegia de morte Drusi ad Liviam Augustam v. 253.

*Flamma diu cunctata caput contingere sanctum,*
*Erravit posito lenta sub usque toro.*
*Tandem ubi complexa est silvas, alimentaque sumsit,*
*Æthera subjectis lambit & astra comis.*

ad quem locum Theodorus Gorallus, sive, qui sub hoc nomine latet, Joannes Clericus, ita scribit: *Nova sed felix translatio, qua flamma superiores partes coma dicuntur.* Atqui prior Catullus dixerat. Horum vestigia secutus est Seneca in Oedipode v. 309.

*Utrumne clarus ignis, & nitidus stetit,*
*Rectusque purum verticem salo tulit,*
*Et summam in auras fusus explicuit comam?*

Nec non Valerius Flaccus Argonautic. lib. 1. v. 205.

*Protulit ut crinem densis luctatus in extis*
*Ignis - - - -*

Silius autem Italicus lib. 10. v. 550. pinum accensam vocavit *comantem*:

*Ipse, manu celsam pinum flammaque comantem*
*Attollens, ductor Gradivum in vota ciebat.*

Qui lepos loquendi & Græcis antea placuerat. Illud Æschyli satis fuerit in Prometheo vincto: *πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος. ignis cincinnus utrimque incidens.* Hinc etiam appellati cometæ ignes illi cælestes qui neque certis neque statis temporibus apparentes planetarum splendorem æmulantur. de quibus ita Manilius canit lib. 1. Astronomicon v. 832.

*Nam modo, ceu longi fluitent de vertice crines,*
*Flamma comas imitata volat, tenuisque capillus*
*Diffusos radiis ardentibus explicat ignes:*
*Nunc prior hac species dispersis ignibus exit,*
*Et globus ardentis sequitur sub imagine barbæ.*

Hos autem posteriores cometas, a similitudine *τοῦ πώγωνος, πωγωνίας* & *πωγωνίτης* Græci dixerunt.

v. 79. *Abit dies* ] Propertius Elegia 13. lib. 2. E. B.

*Tot jam abiere dies, cum me nec cura theatri,*
*Nec tetigit campi, nec mea Musa juvat.*

Plau-

Tardet ingenuus pudor:
Quæ tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Flere desine. non tibi,
Aurunculeja, periculum est,
Ne qua fœmina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario solet

Di-

Plautus verbo simplici usus est in eadem significatione. Bacchid. Actu 5. Sc. 2. v. 85. *It dies. ite intro accubitum.* & Pseudolo Act. 1. Sc. 3. v. 12. *It dies: ego mihi cesso.* & Rudente Actu 4. Sc. 3. v. 62. *Verba facimus: it dies.* Latinæ locutionis vim ita expressit Dantes Aligherius, poeta Etruscus doctissimus, & quandocumque ipsi libuerit, venustissimus, Inferni Cantu 2.

*Lo giorno se n' andava* - - - - - - -

v. 81. *Tardet* ] Pro *tardat*; monente Josepho Scaligero. Sic *densere* pro *densare* dixerunt Lucretius & Virgilius.

v. 82. *Tamen* ] Pro *tandem*; quemadmodum usurpat Virgilius Ecloga 1. v. 28.

*Libertas; quæ sera tamen respexit inertem,*
*Candidior postquam tondenti barba cadebat;*
*Respexit tamen, & longo post tempore venit.*

v. 85. *Prodeas, nova nupta* ] Nupta Græcis dicitur *νύμφη*, quasi *νέα φαίνουσα*, *primum, seu recens apparens*: ut existimant ii qui origines vocabulorum scrutantur.

v. 87. *Aurunculeja* ] Ita legendum, ut est in libris notæ melioris; non *Herculeja*, vel *Arculeja*, quas lectiones præferunt Aldinæ editiones. Exteritur autem *u* littera post *c*, quod & in aliis vocibus fieri solet, ut ratio carminis constet. Porro Aurunculeji Romæ nobiles fuerunt, & curules magistratus non semel gesserunt. C. Aurunculeji prætoris mentio fit apud Livium lib. 27. Histor. qui provinciam Sardiniam sortitus est Q. Fabio Maximo V. Q. Fulvio Flacco III. Coss. Gentis hujus vel familiæ potius cognomen *Cotta* memoratur a Cæsare lib. 2. de Bello Gallico cap. 11. *Prima luce*, inquit, *confirmata re ab exploratoribus, omnem equitatum, qui novissimum agmen moraretur, præmisit; eique Q. Pedium, & L. Aurunculejum Cottam legatos præfecit.*

ibid. *Periculum est* ] Blanditur his verbis puellæ nubenti, dicens, eam pulchritudini suæ confidere posse, quæ reliquarum mulierum formæ, hoc præsertim die nuptiarum, longe antecellat: idque ipsam pro certo habere oportere.

v. 91. *Vario* ] Diversorum colorum floribus ornato. Ovidius Tristium lib. 3. Elegia 12. v. 7.

*Prataque pubescunt variorum flore colorum.*

v. 93.

Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Prodeas, nova nupta, sis:
( Jam videtur ) & audias
Nostra verba ( viden'? faces
Aureas quatiunt comas )
Prodeas, nova nupta.
Non tuus levis in mala

De-

v. 93. *Stare* ] Erecto nimirum caule: quod solent flores primo mane, antequam Solis calore exurantur, aut decidente pluvia graventur, aut aratro prætereunte succidantur, vel ungue decerpti marcescant: tunc enim eos paullatim flecti atque inclinari videmus. Virgilius lib. 9. Æneid. v. 435.

*Purpureus veluti cum flos succisus aratro*
*Languescit moriens; lassove papavera collo*
*Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.*

ibid. *Flos hyacinthinus* ] Κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας, *comas hyacinthino flori similes* memorat Homerus apud Macrobium lib. 5. Saturnaliorum cap. 4. Ita *rosa florem & flores* dixit Horatius non semel.

v. 96. *Prodeas, nova nupta, sis* ] Vossius mavult *st*, quæ est interjectio silentium indicens. Vereor tamen ut particula hæc sine vocalis adjumento syllabam explere possit.

v. 97. (*Jam videtur*) ] Hæc dici a Catullo μιμητικῶς verbis vulgi optantis novam nuptam in publicum prodire, jampridem acutissime Josephus Scaliger animadvertit, locumque hunc parenthesi addita mire illustravit. Eodem pertinent ea quæ sequuntur: *Viden'? faces Aureas quatiunt comas*: Horatius pari lepóre Ode 4. lib. 3.

*Auditis? an me ludit amabilis Insania?*

v. 98. *Faces* ] Nuptialem istum apparatum hoc pacto calumniatur Clinias quidam παιδεραστὴς apud Achillem Tatium lib. 1. de amoribus Clitophontis & Leucippes: Ἔςι δέ σοι συνιδεῖν τὸ μέγεθος τοῦ κακοῦ ἀπ' αὐτῆς γάμου παρασκευῆς· βόμβος αὐλοῦ, δικλίδων κτύπος, πυρσῶν δᾳδουχία. ἐρεῖ τις ἰδὼν τοσοῦτον κυδοιμὸν, ἀτυχὴς ὁ μέλλων γαμεῖν. id est *Mali porro magnitudinem ex ipso nuptiarum apparatu intueri tibi licet. clangor tibiæ, valvarum crepitus, prælata faces. jam quis tantos tumultus videns, non eum miserum vocet qui uxorem sit ducturus?*

v. 99. *Aureas comas* ] Quemadmodum Catullus comparat facularum splendorem auri colori, ita Pindarus Olympiorum Ode 1. auri colorem igni confert. Χρυσὸς, αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ, μεγάνορος ἔξοχα πλούτου. *Aurum, ardens ignis velut, excellit nocte, superbas inter divitias.*

v. 101. *Levis* ] Inconstans, fluxa fide. Propertius lib. 2. Elegia 19. E. B.

*Tam te formosam non pudet esse levem?*

ibid. *In mala Deditus adultera* ] Modo memoratus poeta Umber particula

*in*,

Deditus vir adultera,
Probra turpia persequens,
A tuis teneris volet
Secubare papillis:
Lenta, qui, velut adsitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum. sed abit dies,
Prodeas, nova nupta.
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *

O cubile, quot ( o nimis
Candido pede lecti )

Quæ

*in*, eodem pacto usus est Elegia 13. lib. 1.

*Perditus in quadam, tardis pallescere curis*
*Incipis* - - - - - - - - -

& lib. 2. Elegia 5.

- - *in qua populus lusit Erichthonius.*

v. 106. *Lenta vitis* ] Cujus nempe palmites, si torqueantur, flecti facilius quam frangi solent. Ita Virgilius in Bucolicis *lenta viburna*, & *lentam salicem* appellavit. Libro vero Æneidos tertio v. 31. de myrti ramis:

*Rursus & alterius lentum convellere vimen*
*Insequor, & caussas penitus tentare latentes.*

Sed & alia venusta significatione accipiunt veteres *lentum*. Vocant enim hoc nomine interdum, id quod ita devincit atque implicat, ut ægre admodum ex ejus laqueis expedire te possis. Plautus Menæchmis Ac. 1. Sc. 1. v. 18. verbis parasiti:

*Nimis lenta vincla sunt escaria.*

Horatius Epodo 15. v. 5.

*Arctius atque hederâ procera adstringitur ilex,*
*Lentis adhærens brachiis.*

Quæ significatio & ipsa vitis propria est.

v. 108. *Implicabitur in tuum Complexum* ] Simile illud Tibulli Eleg. 4. l. 1.

*Post etiam collo se implicuisse volet.*

Porro, quod hic viti Catullus, id hederæ Horatius tribuit, ad res Veneris honeste indicandas, Ode 36. l. 1.

- - - - *nec Damalis novo*
*Divelletur adultero,*
*Lascivis hederis ambitiosior.*

Vide eumdem Epodo 15. v. 5. quos versus paullo ante attulimus.

v. 111. * * * ] Lacunam esse hoc loco in codicibus MSS. olim testatus est Scaliger. desunt autem in hac strophe tres priores versiculi: & iccirco sententia fit obscurior.

v. 115. *Candido pede lecti* ] De pedibus lectorum eburneis fortasse intelligendus poeta: quos lectos ἐλεφαντόποδας vocabant Græci. Id monuerunt superiores interpretes.

Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas, nova nupta.
Prodeas, nova nupta, sis:
( Jam videtur ) & audias
Nostra verba ( viden'? faces
Aureas quatiunt comas )
Prodeas, nova nupta.
Non tuus levis in mala

De-

v. 93. *Stare* ] Erecto nimirum caule: quod solent flores primo mane, antequam Solis calore exurantur, aut decidente pluvia graventur, aut aratro prætereunte succidantur, vel ungue decerpti marcescant: tunc enim eos paullatim flecti atque inclinari videmus. Virgilius lib. 9. Æneid. v. 435.

*Purpureus veluti cum flos succisus aratro*
*Languescit moriens; lassove papavera collo*
*Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.*

ibid. *Flos hyacinthinus* ] Κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας, *comas hyacinthino flori similes* memorat Homerus apud Macrobium lib. 5. Saturnaliorum cap. 4. Ita *rosæ florem & flores* dixit Horatius non semel.

v. 96. *Prodeas, nova nupta, sis* ] Vossius mavult *st*, quæ est interjectio silentium indicens. Vereor tamen ut particula hæc sine vocalis adjumento syllabam explere possit.

v. 97. (*Jam videtur* ) ] Hæc dici a Catullo μιμητικῶς verbis vulgi optantis novam nuptam in publicum prodire, jampridem acutissime Josephus Scaliger animadvertit, locumque hunc parenthesi addita mire illustravit. Eodem pertinent ea quæ sequuntur: *Viden'? faces Aureas quatiunt comas*: Horatius pari lepóre Ode 4. lib. 3.

*Auditis? an me ludit amabilis Insania?*

v. 98. *Faces* ] Nuptialem istum apparatum hoc pacto calumniatur Clinias quidam παιδεραστὴς apud Achillem Tatium lib. 1. de amoribus Clitophontis & Leucippes: Ἔςι δὲ σοι συνιδεῖν τὸ μέγεθος τοῦ κακοῦ ἀπ' αὐτῆς γάμου παρασκευῆς· βόμβος αὐλοῦ, δικλίδων κτύπος, πυρσῶν δαδουχία. ἐρεῖ τις ἰδὼν τοσοῦτον κυδοιμὸν, ἀτυχὴς ὁ μέλλων γαμεῖν. id est *Mali porro magnitudinem ex ipso nuptiarum apparatu intueri tibi licet. clangor tibiæ, valvarum crepitus, prælata faces. jam quis tantos tumultus videns, non eum miserum vocet qui uxorem sit ducturus?*

v. 99. *Aureas comas* ] Quemadmodum Catullus comparat facularum splendorem auri colori, ita Pindarus Olympiorum Ode 1. auri colorem igni confert. Χρυσὸς, αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ, μεγάνορος ἔξοχα πλούτου. *Aurum, ardens ignis velut, excellit nocte, superbas inter divitias.*

v. 101. *Levis* ] Inconstans, fluxa fide. Propertius lib. 2. Elegia 19. E. B.

*Tam te formosam non pudet esse levem?*

ibid. *In mala Deditus adultera* ] Modo memoratus poeta Umber particula

in,

Deditus vir adultera,
Probra turpia persequens,
A tuis teneris volet
Secubare papillis:
Lenta, qui, velut adsitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum. sed abit dies,
Prodeas, nova nupta.
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *
O cubile, quot ( o nimis
Candido pede lecti )



*in*, eodem pacto usus est Elegia 13. lib. 1.

*Perditus in quadam, tardis pallescere curis*
*Incipis* - - - - - - - - -

& lib. 2. Elegia 5.

- - *in qua populus lusit Erichthonius*.

v. 106. *Lenta vitis* ] Cujus nempe palmites, si torqueantur, flecti facilius quam frangi solent. Ita Virgilius in Bucolicis *lenta viburna*, & *lentam salicem* appellavit. Libro vero Æneidos tertio v. 31. de myrti ramis:

*Rursus & alterius lentum convellere vimen*
*Insequor, & caussas penitus tentare latentes*.

Sed & alia venusta significatione accipiunt veteres *lentum*. Vocant enim hoc nomine interdum, id quod ita devincit atque implicat, ut ægre admodum ex ejus laqueis expedire te possis. Plautus Menæchmis Ac. 1. Sc. 1. v. 18. verbis parasiti:

*Nimis lenta vincla sunt escaria*.

Horatius Epodo 15. v. 5.

*Arctius atque hederâ procera adstringitur ilex*,
*Lentis adhærens brachiis*.

Quæ significatio & ipsa vitis propria est.

v. 108. *Implicabitur in tuum Complexum* ] Simile illud Tibulli Eleg. 4. l. 1.

*Post etiam collo se implicuisse volet*.

Porro, quod hic viti Catullus, id hederæ Horatius tribuit, ad res Veneris honeste indicandas, Ode 36. l. 1.

- - - - *nec Damalis novo*
*Divelletur adultero*,
*Lascivis hederis ambitiosior*.

Vide eumdem Epodo 15. v. 5. quos versus paullo ante attulimus.

v. 111. * * * ] Lacunam esse hoc loco in codicibus MSS. olim testatus est Scaliger. desunt autem in hac strophe tres priores versiculi: & iccirco sententia fit obscurior.

v. 115. *Candido pede lecti* ] De pedibus lectorum eburneis fortasse intelligendus poeta: quos lectos *ἐλεφαντόποδας* vocabant Græci. Id monuerunt superiores interpretes.

Quæ tuo veniunt hero,
 Quanta gaudia, quæ vaga
 Nocte, quæ media die
 Gaudeat! sed abit dies,
 Prodeas, nova nupta.
Tollite, o pueri, faces:
 Flammeum videor venire.
 Ite, concinite in modum:
 Io Hymen Hymenæe io,
 Io Hymen Hymenæe.
Ne diu taceat procax

Fe-

v. 117. *Vaga Nocte* ] Nocti enim, tamquam deæ, currus & quadrigæ a poetis tributæ. Tibullus Elegia 1. lib. 2.

*Ludite: jam Nox jungit equos, currumque sequuntur*
*Matris lascivo sidera fulva choro.*

Noctem appellat matrem siderum. Idem Elegia 4. lib. 3.

*Jam Nox, atherium nigris emensa quadrigis*
*Mundum, caruleo laverat amne rotas.*

v. 118. *Media die* ] Cum enim meridiarentur, id est meridianæ quieti se traderent, mariti atque amatores cum uxoribus & amatis puellis corpus miscere soliti erant. Vide quæ adnotavimus ad Carmen 32. v. 3. Hinc illa Tibulli Elegia ultima lib. 3.

*Quam vellem tecum longas requiescere noctes,*
*Et tecum longos pervigilare dies!*

Nam hujusmodi concubitus & meridiationes etiam pervigilia dicebantur. Poeta noster infra Carm. 86.

*Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore*
*Prurit, & abjectis pervigilat tunicis?*

v. 121. *Tollite* ] Attollite, extollite. verbo simplici utitur pro composito. Sic superius Carm. 53.

*Admirans ait hac, manusque tollens.*

v. 122. *Flammeum* ] Velum tenue lutei coloris, quo novæ nuptæ faciem obtegebant. Hic mos ab Hebræis usque derivatus videtur. Legimus certe Geneseos cap. 20. v. 16. regem Geraræ Abimelechum ita cum Sara Abrahami uxore locutum: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris.*

ibid. *Videor venire* ] Ita legit Josephus Scaliger: quem, si lubet, consule. Catullus fortasse scripserit, *videor videre:* quo pacto & Prudentius, poeta suo sæculo major, Hymno 2. περὶ στεφάνων, de Divo Laurentio:

*Videor videre illustribus*
*Gemmis coruscantem virum.*

v. 124. *Io Hymen* ] *Io* vox erat, plerumque, gestientium præ gaudio, & plaudentium. Ita milites qui triumphantis currum sequebantur, magnis vocibus iterabant, *Io Triumphe*; & comissatores inter pocula incinebant, *Io Bacche*. Harum ἐκφωνήσεων exempla suppeditat Horatius in Odis & Sermonibus, ut reliquos mittam.

v. 126.

Fescennina locutio,
Neu nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amore.
Da nuces pueris, iners

Con-

v. 126. *Procax Fescennina locutio* ] Seneca *dicacem* appellat Choro primo Medeæ:

*Festa dicax fundat convicia Fescenninus.*

De his versibus Fescenninis, opprobriorum & obscœnitatis plenissimis, multa congesserunt priores interpretes. Hi porro versus non a puellis canebantur, ut putat Achilles Statius: (virginalem enim verecundiam minus decuissent) verum a pueris, prætextis depositis, quæ nimirum erant ingenuitatis & pudoris insignia. Etenim obscœni sales, & scurriles joci ad vernas, & mancipia magis pertinebant. Festus in *Prætextum*: *Nubentibus*, ait, *depositis prætextis, a multitudine puerorum obscœna clamabantur*. Ne quid tamen dissimulem, potest ille Festi locus intelligi de prætexta puellari, qua virgines utebantur, & quam nupturæ fortasse deponebant priusquam earum aures obscœnis vocibus imbuerentur.

v. 128. *Nuces pueris* ] Qui vel primoribus labiis Romanas antiquitates degustaverunt, sciunt, apud veteres die nuptiarum, nuces juglandes pueris meritoriis distribui solitas, quas ante conjugalem thalamum magno strepitu miscerent, ne gemitus puellæ virginitatem ponentis exaudiri posset. Si quis vero alias caussas hujus consuetudinis nôsse cupit, consulat virum doctissimum Joannem Ludovicum de la Cerda ad illud Virgilii Ecloga 8. v. 30. *Sparge, marite, nuces.*

v. 129. *Desertum domini amore* ] Hæc Vossii lectio mihi perplacet. subaudiendum autem *se*. Ita superius Carm. 36. *vovit daturam*, pro *se daturam*. Alii præferunt, *amorem*: sed minus recte.

v. 130. *Concubinus* ] Qui nimirum domino adhuc cælibi, tamquam puer delicatus, florem ætatis, turpissimo obsequio, fruendum præbuerat: nunc vero, eo jam uxorem ducente, quasi pueritia excedens, nuces & reliqua ludicra pueros sibi habere sinebat. Hi plerumque liberti erant, in quibus officii loco impudicitia habebatur. Scriptor de Bello Cæsaris Hispaniensi cap. 33. *Ita novissimo tempore servum jussit & libertum, qui fuisset ejus concubinus, alterum se jugulare, alterum pyram incendere*. Concubini autem propterea dicebantur, quod in eodem lecto cum hero cubarent. Græci vocant συγκοίτους, συνεύνους, συλλέκτρους. Notum illud Juvenalis Sat. 6. v. 34.

*Nonne putas melius, quod tecum pusio dormit,*
*Pusio qui noctu non litigat?* - - - -

Eodem pertinent versus nonnulli Claudio Claudiano V. C. attributi, qui leguntur in Erronibus Venereis veterum poetarum. sunt autem hujusmodi:

*Marcus amans puerum, natum se dicit amare,*
*Vultque pater dici, nescius esse pater.*
*Et pietate nefas, & amorem velat amore.*
*Se pietas umbram criminis esse dolet.*
*Nate, dici audit: nox & torus audit, Amice:*
*Et pro temporibus nomina mutat amor.*

v. 131. *Iners Concubine* ] Inertem & cessatorem dicit, quem strenuum & sedu-

Concubine. satis diu
Lusisti nucibus. lubet
Jam servire Thalassio.
Concubine, nuces da.
Sordebam tibi, villice

Con-

sedulum esse cupit. Horatius Ode 28. lib. 1. Lyden ancillam, segniter convivis ministrantem, opposita voce compellat, κατ' ἀστεϊσμὸν, ejusque, ut videtur, amiciriam captans:

*- - - - prome reconditum,*
*Lyde strenua, Caecubum,*
*Munitaque adhibe vim sapientiae.*
*Inclinare meridiem*
*Sentis; ac, veluti stet volucris dies,*
*Parcis deripere horreo*
*Cessantem Bibuli Consulis amphoram.*

Idem poeta miro lepore haec duo contraria conjunxit Epistola 11. lib. 1. v. 28.

*Strenua nos exercet inertia.*

Quem imitari videtur P. Syrus eo versiculo:

*Amor otiosae caussa sollicitudinis.*

Plura in eamdem sententiam Phaedrus Fabula 5. lib. 2.

*Est*, inquit, *ardelionum Roma quaedam natio*
*Trepide concursans, occupata in otio:*
*Gratis anhelans, multa agendo nihil agens.*

v. 132. *Satis diu Lusisti nucibus* ] Muliebria passus es, prostibulum domini fuisti. Nucibus ludebant pueri: lusus iccireo puerilis meminit Catullus, ut significet, eum puerilibus ineptiis relictis, turpique ministerio, ad quod adhibitus fuerat, studiis virilibus in posterum vacare oportere.

v. 134. *Thalassio* ] Nuptiis videlicet veteris domini ac novae dominae tuae: vel nuptiarum deo. Thalassius enim apud Romanos idem videtur fuisse qui apud Graecos Hymenaeus. Caussam, cur hac voce saepius repetita in matrimoniis Quirites uterentur, reeitat Livius lib. 1. ubi de raptu Sabinarum. Virgilius in Catalectis:

*Et inscio repente clamatum super*
*Thalassio, Thalassio.*

v. 136. *Sordebam tibi, villice Concubine* ] Ita legit Vossius, cui libenter subscribo. docet autem, villicum hoc loco appellari a Catullo urbanum dispensatorem, οἰκονόμος, οἰκολόγος: cujusmodi homines dicerentur etiam *duicensi*, quod duorum aliorum instar censerentur. Haec igirur est poetae sententia: Nuper me sublato supercilio fastidiebas, quod carus & acceptus domino esses, teque ille non solum in deliciis haberet, verum etiam magno aestimaret, ac familiae regendae praefecisset. Veteres illi pullipremones totius rei familiaris administrarionem, infamis patientiae praemium, exoletis suis assignare consueverant. Id testatur servus Chalinus apud Plautum Casina Ac. 2. Sc. 8. v. 25.

*Solet hic barbatos sane sectari senex.*
*Illuc est, illuc, quod hic hunc fecit villicum, &*
*Idem me pridem, cum ei advorsum veneram,*
*Facere atriensem voluerat sub janua.*

Servi enim atrienses in familia primas obtinebant. Pegasum senatorem, Praefectum Urbi Vespasiani temporibus, audaci sed eleganti admodum translatione, *villicum* dixit Juvenalis Sat. 4. v. 76.

*- - - - rapta properabat abolla*

Pe-

Concubine, hodie atque heri:
Nunc tuum cinerarius
Tondet os. miser ah miser

Con-

*Pegasus, attonita positus modo villicus urbi.*

*Anne aliud tunc Praefecti?* - - - - - quod nimirum ( ut recte ad eum locum Thomas Farnabius ) sub avaro Principe nihil aliud Praefecti essent quam villici, qui pecuniam undique corradebant, ut fiscum locupletarent. Hunc porro locum poetae nostri interpretes alii ita constituunt: *Sordebant tibi villicae*, idest rusticae mulieres. Haec tamen lectio longe deterior est Vossianâ.

v. 137. *Hodie atque heri* ] Significat Catullus, concubinum de quo loquitur, adeo contumacem atque arrogantem adversus ipsum fuisse, ut toto etiam die nuptiarum ipsum despicatui habuerit, usque ad prima lumina, cum jam hora instaret adventûs dominae, quae hora dissidium & contemtum pueris pathicis denuntiabat.

v. 138. *Cinerarius* ] Ita vocabant servum qui calamistris in cinere calefactis herae capillum vibrabat: vel qui comam ejusdem lixivio aut sapone Gallico rutilabat, quem parabant ex sevo & cinere, ut testatur Plinius Nat. Hist. lib. 28. cap. 12. Hic servus erat in comitatu matrisfamilias. Meminit Seneca libro de Constantia Sapientis cap. 14. *Quidam se a cinerario impulsos moleste ferunt*.

v. 139. *Tondet os* ] Caesariem ac barbam demetit. Nam & qui novacula genas radebant, tonsores dicebantur. Virgilius Ecloga 1. v. 29.

*Candidior postquam tondenti barba cadebat.*

Sed ibi fortasse Maro notat mores rustici hominis, qui non raderet barbam, sed forficibus tantum tonderet. Male M. Antonius Muretus ad hunc poetae nostri locum explicat illud Martialis Epigr. 78. lib. 11.

*Tondebit pueros jam nova nupta tuos.*

ait enim, interdum hoc munus novas ipsas nuptas obiisse: quod profecto nimis indecorum, immo sordidum ac turpe fuisset. τὸ *tondebit* apud Hispanum poetam significat, *tonderi jubebit*, vel, quod verissimum judico, adventu suo caussa erit ut tondeantur. ejusmodi locutionis figuris pleni sunt bonorum poetarum libri. Virgilianum illud satis erit Aeneid. lib. 7. v. 280.

*Absenti Aenea currum geminosque jugalis,*
*Semine ab aetherio, spirantes naribus ignem,*
*Illorum de gente patri quos Dadala Circe*
*Subposita de matre nothos furata creavit.*

nempe, *ut ipsa creaverit quos creari fecit*, ait Macrobius lib. 6. Saturnal. cap. 6. Comas e capite puerorum quos amabant, primum desectas, & ipsas quoque barbae primitias, aurea pyxide inclusas, deo alicui luxuriosi veteres consecrabant, Phoebo praesertim aut Aesculapio; quod nimirum alter semper juvenis atque intonsus, alter bene barbatus fingeretur. Vide Papinium Statium Silvarum lib. 3. Carm. 4. de Coma Flavii Earini, adolescentis formosissimi, amotum Domitiani Caesaris. Insigne hujus moris exemplum edidit Nero, quod refert Suetonius in ejus Vita cap. 12. his verbis: *Gymnico quod in Septis edebat, inter buthysia apparatum, barbam primam posuit, conditam in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit*. Petronius de Trimalcione, homi-

Concubine, nuces da.
Diceris male te a tuis,
Unguentate, glabris, marite,

Ab-

mine lautiffimo, Satyrici cap. 30. *In cujus aedicula . . . . . pyxis aurea non pusilla, in qua barbam ipsius conditam esse dicebant.*

ibid. *Miser ah miser*] Commutatam concubini fortunam, formamque deflorescentem lamentatur. Moleste enim ferunt voluptati dediti homines & in seipsis & in aliis juventutis & pulchritudinis jacturam. Horatius Ode 10. lib. 4. de Ligurino:

*Dices, heu (quoties te in speculo videris alterum)*
*Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit?*

Erant tamen qui beneficii loco missionem peterent a nefando illo ministerio, & se tonderi non solum aequo animo paterentur, sed etiam gauderent. Martialis Epigram. 18. lib. 12.

*Dispensat pueris, rogatque longos*
*Levis ponere villicus capillos.*

ubi audis de *villico* fieri mentionem, quod Vossii lectionem superius a me laudatam, mirifice confirmat. *Levis* porro *villicus* est, adhuc imberbis, aut saltem pumice expolitus, quod cinaedis solenne fuit, quo pueritiam ac teneritatem diutius ementirentur.

v. 141. *Diceris male te a tuis &c.*] Haec videntur esse verba Fescenninae locutionis, quam Catullus paullo ante *procacem* vocavit. Martinus Delrio ad illud Senecae Choro 1. Medeae v. 113.

*Festa dicax fundat convicia Fescenninus,*

ait, *se aliud illustrius exemplum invenire non potuisse hujusmodi conviciorum* hoc ipso nostri poetae. Apud Romanos autem conviciabantur servi dominis mense Decembri Saturnalibus: milites pariter suis imperatoribus triumphum agentibus; quemadmodum hoc loco turba, cujus personam poeta sustinet, novo marito & novae nuptae. Existimo nihilominus, in carminibus Fescenninis longe obscoeniora verba jactari solita iis quae hoc poemate continentur.

ibid. *Male te abstinere*] Vix a pristino vitae genere, & quasi a te ipso desciscere: consuetudo enim naturam aemulatur, *quam si furca expellas, tamen usque recurrit*, ut ait Horatius. Dicebant etiam *male sibi temperare*, & *aegre sibi temperare ab re aliqua*. Virgilius 1. Georgicon v. 360.

*Jam sibi tum a curvis male temperat unda carinis.*

Auctor Lusuum in Priapum Carm. 27.

*Tu, qui non bene cogitas, & aegre*
*Carpendo tibi temperas ab horto.*

v. 142. *Unguentate*] Delicati & lascivi homines unguento capillum saturabant; quod senibus praesertim probro & crimini erat. Plautus Casina Ac. 2. Sc. 3. v. 25.

*Senecta aetate unguentatus per vias, ignave, incedis.*

Idem Milite Glorioso Ac. 3. Sc. 3. v. 49.

*Populi odium quid ni noverim? magnidicum, cincinnatum,*
*Moechum unguentatum? - - - -*

Fuerunt tamen qui hunc morem non improbarent, aut saltem ἀδιαφόροις annumerarent. Seneca de Beneficiis lib. 7. cap. 25. *Aristippus, aliquando delectatus unguento: Male, inquit, istis effeminatis eveniat, qui rem tam bellam infamaverunt.* Et C. Julius Caesar apud Suetonium cap. 67. *Jactare solitus est, milites suos etiam unguentatos bene pugnare posse.*

ibid.

Abstinere: sed abstine.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Scimus, hæc tibi, quæ licent
Sola cognita: sed marito

Ista

ibid. *Glabris* ] I. e. pueris imberbibus ac depilibus, τοῖς παιδικοῖς. De his mentio apud L. Senecam libro de Brevitate Vitæ cap. 12. *Cum videam quam suspensi sint, quomodo aper a coco exeat, quanta celeritate, signo dato, glabri ad ministeria discurrant.* Item Epistola 47. *Alius vini minister in muliebrem modum ornatus, cum ætate luctatur. Non potest effugere pueritiam: sed retrahitur. jamque militari habitu, glaber, destrictis pilis, aut penitus avulsis, tota nocte pervigilat: quam inter ebrietatem domini, ac libidinem dividit: & in cubiculo vir, & in convivio puer est.* Hic tamen Senecæ locus intelligi potius debet de *drauxis*, i. e. de exoletis, seu pueris grandioribus, & bene vasatis, qui dominum ipsum subigebant: de quibus videndus Juvenalis Satyra 9. Audis enim, eos fuisse *militari habitu*, i. e. ætate ac statura ad militiam idonea, quales a ducibus exercituum deligebantur. Quoniam vero de *glabris* hic agitur, locum Martialis ad hoc argumentum pertinentem, quem ejus poetæ interpretes male acceperunt, ac perperam explicaverunt, ὡς ἐν παρόδῳ paucis enodatum dabimus. Is est Epigram. 28. lib. 4.

*Donasti tenero, Chloe, Lupereo*
*Hispanas, Tyriasque, coccinasque &c.*
*Væ, glabraria, væ tibi, misella.*

*Glabraria* hoc loco est glabrorum puerorum amatrix, quæ imberbibus & lævibus delectatur: quod solent pleræque meretrices. Ut enim ait Tibullus Elegia 9. lib. 1.

*Carior est auro juvenis cui levia fulgent*
*Ora, neque amplexus aspera barba terit.*

Hanc Martialis vocem ita perperam declarant: *Quæ te deglabras, spolias, & expilas.* quod ridiculum est, atque a vera sententia longissime abhorret. *Glabrariam* dixit Martialis eo pacto quo alibi *carnarium* appellavit qui habitiores & succiplenas mulieres sequeretur; *pinguiarium*, qui pingues: *ancillarium*, qui libenter cum ancillis rem haberet: *infantariam* denique Bassam quamdam esse negavit Epigram. 87. lib. 4. etsi secum infantem semper haberet.

ibid. *Marito* ] Hic versus hypermeter est, abundat enim syllabâ, quæ absorbetur a prima vocali insequentis versiculi. Similis est versus 147.

v. 146. *Quæ licent* ] Ea videlicet ratione qua hujusmodi concubitus neque pœnam, neque infamiam irrogant. Putabant enim perditi illi ac dissoluti nebulones, flagitium haud esse, ac sibi omnino licere cum vernis aut libertis facere stuprum, dummodo ab ingenuis adolescentulis abstinuissent, quos attingere capital erat: & qui propterea bullam auream, aut saltem lorum e collo demittebant, unde a pueris vilioribus discerni possent. Vide quæ superius animadvertimus ad Carmen 15. v. 11.

v. 147. *Sola cognita* ] Verbis cognoscendi & sciendi ad res Veneris significandas usi sunt optimi Latinitatis auctores. Terentius Eunucho Ac. 5. Sc. 6. v. 16. *An scit jam ille quid meretrix siet?* Hypsipyle Jasoni apud Ovidium v. 43.

Non

Iſta non eadem licent.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Nupta, tu quoque, quæ tuus
Vir petet, cave ne neges:
Ne petitum aliunde eat.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
En tibi domus ut potens,
Et beata viri tui,
Quo tibicine ſerviat

( Io

*Non ego ſum furto tibi cognita. pronuba Juno*
*Adfuit, & ſertis tempora vinctus Hymen.* & v. 133.
*Turpiter illa virũ cognovit adultera virgo.*
Hinc Cæſar lib. 6. de Bello Gallico cap. 21. ubi mores Germanorum deſcribit: *Intra annum vero vigeſimum*, inquit, *feminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus*. Martialis Epigram. 87. lib. 11.
*Et tibi nulla diu femina nota fuit.*
ibid. *Sed marito I. n. eadem licent* ]
*Nam Titium conjux hæc meminiſſe vetat,*
ait Tibullus Elegia 4. lib. 1. & qui uxorem duxit, habet unde cupiditatem explere, ac voluptatem capere poſſit, abſque opera concubini. Porro nuptæ mulieres, viris vehementer ſuccenſebant, ſi eos in puerorum amoribus deprehendiſſent, ſibique injuriam fieri exiſtimabant: quod pluribus Martialis teſtimoniis oſtendere poſſem, ſi operæ pretium eſſet. Hic quoque verſus eſt hypermeter.

v. 151. *Quæ tuus Vir petet, c. n. neges* ] Etiamſi a te popoſcerit quæ a pueris olim poſcere ſolitus fuerat. Martialis enim de his loquens Epigram. 97. lib. 12. ait:

*Hi dant, quod non vis, uxor, dare. do tamen, inquis,*
*Ne vagus a thalamis conjugis erret amor.*
Nefandum conſilium; quod niſi ab homine impuro & perdito, ac matrimonii ſanctitatem penitus ignorante, quales erant veteres illi, proficiſci non potuit. Vel (ſi honeſtior ſententia Catullo adfingenda eſt) poeta monet Juliam, ut caveat ne adverſus virum concubitûs appetentem falſis aut quæſitis excuſationibus utatur, verbi cauſſa, quod ſibi ea res voluptati non ſit, quod valetudine impediatur, quod uterum gerat: has enim excuſationes Manlium minime accepturum, & ad alias mulieres abiturum. Huic explicationi favet pulcherrimus Lactantii locus e lib. 6. Divin. Inſtit. cap. 23. *Nec ob aliam cauſſam Deus* (inquit) *cum ceteras animantes ſuſcepto fœtu, maribus repugnare voluiſſet, ſolam omnium mulierem patientem viri fecit; ſcilicet ne feminis repugnantibus, libido cogeret viros aliud appetere, eoque facto, caſtitatis gloriam non tenerent.*

v. 156. *En tibi* ] Sic ſæpius apud Ciceronem: *Ecce tibi*..

v. 158. *Quo tibicine ſerviat* ] Donec ratio magis idonea corruptiſſimum hunc

ſa-

( Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe )
Usque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Transfer omine cum bono

Li-

sanandi locum sese ostendat, Vossii lectionem interea sequor, ita constituentis. Josephus Scaliger malebat legere: *Quæ tibi sene serviat*; ut *sene* dixerit Catullus pro *seni*, ἀρχαϊκῶς: nomine autem *senis anum* significare voluerit. Sed hæc Scaligeri lectio jure ac merito, frigidior Vossio visa est: quamquam & ea quam ipse affert, genio carere mihi videatur. *Tibicen* hîc fuerit fulcrum, tignum, seu columna, cui domus incumbit. Juvenalis Sat.3. v.193.

*Nos urbem colimus tenui tibicine fultam*
*Magna parte sui* - - - - - - -

Huc pertinent illa Virgilii Æneidos 12. v. 157. quibus Amata regina Turnum a pugna ineunda deterrere conatur:

- - - *Spes tu nunc una, senecta*
*Tu requies miseræ: decus imperiumque Latini*
*Te penes: in te omnis domus inclinata recumbit.*

ibid. *Serviat* ] Pareat, tamquam dominæ ac matrifamilias. Ἐπιφώνημα porro quæ sequitur, turbæ Hymenæum invocantis, Vossius parenthesi includit, ut hæc & proxima strophe inter se cohærescant, & continuentur; quod sententia videtur postulare.

v. 162. *Tempus* ] Pars capitis, quam Græci κρόταφον vocant. Virgilius lib. 9. Æneidos v. 418.

*Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque.*

ibid. *Anilitas* ] Senectus mulieris. Isidorus lib. 11. Originum: *Sicut autem a sene senectus, ita ab anu anilitas nominata est*. Vidit & attulit Douza filius.

v. 163. *Omnia omnibus annuit* ] Tremore capitis videtur omnibus annuere; quod senibus, præsertim vino madidis, ac propterea dormitantibus, contingere videmus. Lepide Ovidius Epist. Herûs v. 141.

*Jamne putes exisse domo mea gaudia, nutrix?*
*An vigilant omnes? & timet ille suos?*
*Jamne suas humeris illum deponere vestes;*
*Pallade jam pingui tingere membra putes?*
*Annuit illa fere; non nostra quod oscula curet;*
*Sed movet obrepens somnus anile caput.*

Lepidum est quod narrat Suetonius de C. Caligula, in ejus Vita cap. 38. *Nota res est*, inquit, *Aponio Saturnino inter subsellia dormitante, monitum a Cajo præconem, ne prætorium virum crebro capitis motu nutantem sibi præteriret: nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores H-S nonagies ignoranti addicerentur*.

v. 166 *Transfer limen aureolos pedes* ] Hunc versum abunde ac luculenter explicaverunt superiores interpretes. Earum explicationum summa hæc est:

Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Aspice, unus ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro
Totus immineat tibi.

Io

Monet poeta Juliam, ne limen pedibus calcet, sed se trans illud manibus puerorum ferri sinat, eo intacto; ut scilicet invita nubere videatur, nec libenti animo mariti domum ingredi, ubi virginitatem ponere debeat: vel quod novæ nuptæ religioni ducerent, limen domus, Vestæ consecratum, pedibus conterere: vel denique ut sagarum & maleficorum superstitiones vitaret, ne forte aliquid magicum limini subesset, cujus vi conjuges læderentur, aut discordiæ inter illos exsisterent.

ibid. *Omine cum bono* ] Bona enim verba, & auspicata dici oportebat nuptiarum die.

v. 167. *Aureolos pedes* ] Pulchellos, venustulos.

v. 168. *Rasilem* ] E ligno affabre polito. Silius Italicus lib. 4. v. 176.

- - - - *Picenti rasilis hasta*
*Ripis lecta Padi, letum tulit* - - -

Ovidius lib. 8. Metam. v. 318. ubi de Atalanta venatrice, Schœnei filia, hoc ἐπίθετον metallo tribuit, sive illud aurum, sive argentum, sive æs fuerit.

*Rasilis huic summam mordebat fibula vestem.*

*Argenti rasilis* meminit Vellejus Paterculus Hist. Romanæ lib. 2. c. 56. ubi de triumpho Cæsaris Hispaniensi.

ibid. *Forem* ] Hoc vocabulum singulari numero apud probatos Latinitatis auctores raro invenitur. Terentius tamen Adelphis Ac. 2. Sc. 3. v. 11.

*Sed quisnam? foris crepuit.*

Et Ovidius lib. 2. Fastorum v. 738.

- - *Custos in fore nullus erat.*

v. 171. *Unus.... accubans* ] Hanc lectionem tuetur Vossius; quem sequor. Alii malunt *imus:* sed non satis explicant, quid sibi velit ea vox.

v. 172. *Tyrio in toro* ] Non de cubiculari, verum de tricliniari lecto hîc sermo est. Significat porro Catullus, maritum in convivio fuisse, ad quod juvenes æquales, & amicorum cœtum vocaverat. Consuetudo enim erat ducentium uxores, dum earum adventum exspectarent, σὺν ἡλικιώταις mensæ assidere. De hujusmodi cœna & mensa geniali copiosius dicemus ad Carmen quod proxime sequitur, v. 3. Mirum valde est, hunc morem antiquorum suboluisse Palladio Fusco, in illa bonarum litterarum, ut ita dixerim, dubia & incerta luce. *Unus* igitur *in toro Tyrio* cubabat maritus, i. e. in lecto purpura strato, cum alii convivæ in tapetibus vilioribus fortasse discumberent: vel *unum* dixit poeta, quoniam paullo post nova nupta in sinu ejus, & in lecto medio discubitura erat, qui dilectarum personarum locus fuit.

v. 173. *Totus immineat tibi* ] Cupiditate nimirum ac spe in amplexus tuos ruendi. Statum ac gestum juvenis amantis mirifice ob oculos ponit, qui nimirum puellæ advenienti eo pacto immineat, quo columbæ accipiter,

aut

Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Illi non minus ac tibi
Pectore uritur intimo
Flamma, sed penite magis.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Mitte brachiolum teres,
Prætextate, puellulæ.
Jam cubile adeat viri.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Vos bonæ senibus bonis

Co-

aut lepori canis. *Inhiare* dixit Lucretius lib. 1. de Marte Venerem depereunte, v. 37.

*- - - In gremium qui sæpe tuum se*
*Rejicit, æterno devinctus volnere amoris;*
*Atque ita suspiciens tereti cervice reposta*
*Pascit amore avidos inhians in te, dea, visus.*

v. 177. *Uritur Flamma* ] Ἑλληνισμός. Græci enim dixerunt *πῦρ δαίεται, ignis uritur:* quod Scaliger monuit.

v. 178. *Penite* ] Pro *penitus*. intimis medullis.

v. 181. *Mitte* ] Dimitte, missum fac, sine. Horatius Ode 8. lib. 3. ad Mæcenatem:

*Mitte civiles super urbe curas.*

ibid. *Brachiolum teres* ] Ovidius lib. 1. Artis Amat. v. 622.

*Et teretes digitos, exiguumque pedem.*

Idem lib. 11. Metamorph. v. 80.

*Aspicit in teretes lignum succedere suras.*

Puellam adolescentibus brachium scite porrigenrem, in chorea fortasse, ita describit Bacchylides apud Athenæum lib. 15. Deipnosophist. *Εὖτε τὰν ἀπ' ἀγκύλης ἵησι τοῖσδε τοῖς νεανίαις, λευκὸν ἀντείνασα πῆχυν. Cum apte inflexo cubito jacit his adolescentibus candidum extendens brachium.*

v. 182. *Prætextate* ] Quamquam puellæ ante nuptias prætexta, perinde ac pueri, uterentur, male tamen Samuel Pitiscus ad Suetonii Octavium cap. 66. Catulli testimonium affert, ut eam consuetudinem apud Romanos fuisse ostendat. ita enim hos versiculos recitat:

*Mitte brachiolum teres*
*Prætextata puellula;*

tamquam de puella prætextata loquatur Catullus, non de puero brachium puellæ tenente. quod falsum esse ratio & lex carminis declarat.

v. 186. *Bonæ feminæ* ] Cujusmodi feminas univiras, & spectatæ probitatis, *officii caussa nuptiis & funeribus præsto fuisse*, docet Hieronymus Columna, vir doctissimus, ad illum Ennii versum ex tertio Annali:

*Tarquinii corpus bona femina lavit, & unxit.*

D. Augustinus lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 9. *Progrediente au-*

Cognitæ bene feminæ,
Collocate puellulam.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Jam licet venias, marite.
Uxor in thalamo eſt tibi
Ore floridulo nitens:
Alba parthenice velut,
Luteumve papaver.
At, marite ( ita me juvent
Cælites ) nihilominus
Pulcher es: neque te Venus
Negligit. ſed abit dies:
Perge, ne remorare.
Non diu remoratus es.
Jam venis. bona te Venus

Ju-

*tem genere humano, juncta ſunt quibuſdam bonis viris bona femina.*

v. 187. *Cognitæ bene* ] Spectatæ ſatis, probatis moribus. Poeta noſter infra Carm. 89.

*Quod te cognôſſem bene, conſtantemque putarem.*

v. 188. *Collocate* ] In lecto ſcilicet cubiculari & geniali, qui ſtratus erat in thalamo interiori.

v. 191. *Jam licet venias, marite* ] Hic quoque verſus hypermeter eſt.

v. 194. *Parthenice* ] Herbam quæ hunc florem producit, *παρθένιον* Græci vocant; cujus meminit & Cornelius Celſus lib. 2. Medicinæ cap. 33. ubi de his quæ reprimunt: *At ſimul*, inquit, *reprimunt & refrigerant, herba muralis ( parthenium, vel perdicium appellant ) pulegium, &c.*

v. 195. *Luteumve papaver* ] Qui hoc loco verſus eſt integer, hemiſtichion eſt ſuperiùs Carm. 19. v. 12. quod vide.

v. 196. *At, marite* ] Catullus laudata ſponſa, ne id eo conſilio feciſſe videatur, ut pulchrioris comparatione, mariti formam obrueret, hanc ſuſpicionem levare, atque ab ſe removere ſtudet, marito ipſo laudibus ornando.

ibid. *Ita me juvent Cælites* ] Juramenti genus; quod Itali dicimus, *Se Dio m' ajuti*. Cicero Epiſt. 16. lib. 1. ad Atticum: *Ita me dii juvent*.

v. 197. *Nihilominus Pulcher es* ] Non eſt quod te pœniteat formæ tuæ: pulchritudine Juliam æquas, neque ei vel minimum concedis. Terentius Phormione Ac. 4. Sc. 2. v. 6.

*Diis gratias agebat, tempus ſibi dari,*
*Ubi Phædriæ ſe oſtenderet nihilominus*
*Amicum eſſe me, quam Antiphoni --*

v. 198. *Pulcher es, neque te Venus Negligit* ] Οὐκ ἀναφρόδιτος εἶ, *non es invenuſtus*, ut ait Lucianus in Dialogo Mercurii & Apollinis. Porro *invenuſtus*

in-

Juverit: quoniam palam
Quod cupis, capis, & bonum
Non abſcondis amorem.
Ille pulvis Erythrii,
Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui veſtri numerare volt
Multa millia ludi.

Lu-

interdum ſignificat quem Itali dicunt *diſgraziato*, *ſciaurato*. Terentius Andria Ac. 1. Sc. 5. v. 10.

*Adeon' hominem eſſe invenuſtum, aut infelicem quemquam, ut ego ſum?*

Contra idem Hecyra Ac. 5. Sc. ult. v. 8.

*Quis me eſt fortunatior, venuſtatiſque adeo plenior?*

Bonis igitur & auſpicatis utitur verbis Catullus in hac ſponſi laudatione.

ibid. *Neque te Venus Negligit* ] Cicero lib. 1. Tuſcul. Quæſt. *Nec enim cuiquam bono mali quicquam evenire poteſt nec vivo, nec mortuo: nec umquam ejus res a diis immortalibus negligentur*. Similes Græcorum poetarum loquendi modos animadvetti. Sophocles Oedipo Coloneo v. 724. Οὐδὲ μουσᾶν χοροὶ Νιν ἀπεςύγησαν, οὐδ᾽ αὖ Α᾽ χρυσάνιος ἀφροδίτα. i. e. *Neque Muſarum chori Hæc loca deſpiciunt, neque aurea Venus*. Prior autem Homerus Iliados lib. 4. v. 127.

Οὐδὲ σέθεν Μενέλαε θεοὶ μάκαρες λελάθοντο
Α᾽θάνατοι - - - - - -
*Neque tui, Menelae, dii beati obliti ſunt*
*Immortales*. - - - - - - - -

v. 204. *Quod cupis, capis* ] Elegans paronomaſia. Ita Carmine 4. ad Phaſelum v. 6.

*Et hoc negat minacis Hadriatici*
*Negare litus* - - - - - -

ibid. *Bonum amorem* ] Honeſtum, legibus non vetitum: de quo propterea non ſit illi erubeſcendum.

v. 206. *pulvis* ] Pro *pulveris*, caſu patrio. Eſt autem ἀρχαϊσμός.

ibid. *Erythrii* ] De hoc vexatiſſimo loco vide, ſi lubet, ſuperiorum interpretum diſſenſionem. Ego lectionem Theodori Marcilii adoleſcens probaveram, cui placuit *pulveris atheri*; explicavitque de minutis corpuſculis per aerem irrequieto motu volitantibus, quæ nonnumquam in cubiculo Solis radiis illuſtrato ſuſque deque ferri animadvertere eſt. Nunc autem re accuratius perpenſa, in Iſaaci Voſſii ſententiam pedibus eo, legentis *pulvis Erythrii*. Porro Erythros, ſive Erythron, pars eſt regionis Cyrenaicæ, cujus mentionem facit in Geographia Ptolemæus. Ab Erythrio agro (ut docet Voſſius modo laudatus) ejuſque oppidis Palæbiſca & Hydrace incipiebat Libya ſiticuloſa ſive arenoſa. Manifeſtum igitur eſt, *pulverem Erythrium* a Catullo appellari arenas Cyrenaicas. Confer cum his verſiculis Carmen 7. poetæ noſtri, ubi ſimili comparatione utitur in re non adeo diverſa.

v. 208. *Subducat numerum* ] Eodem pacto apud Ciceronem, *ſubducere ſummam, rationem, calculos*. Veteres enim calculis, ſeu lapillis, ad numerandum, rationemque putandam & conficiendam utebantur.

v. 210. *Multa millia ludi* ] Fortaſſe ſcripſerit Catullus:

*Qui veſtrûm numerare volt*

*Mul-*

Ludite, ut lubet, & brevi
Liberos date. non decet
Tam vetus sine liberis
Nomen esse: sed indidem
Semper ingenerari.
Torquatus volo parvulus
Matris e gremio suæ
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem

Se-

*Multa millia lusuum;* ut scilicet in voce *lusuum* duæ vocales, ope συναιρέσεως, in unam coalescant. Nam profecto, *Multa millia* junctum cum genitivo numeri singularis, locutio insolens videri potest.

v. 211. *Ludite, ut lubet* ] Supra Carm. 17. v. 17.

*Ludere hanc sinit, ut lubet.*

v. 212. *Liberos date* ] Filios procreate, sobolem edite. Verbum simplex pro composito: quod bonis poetis familiare. *Liberorum* vocabulo non solum filios filiasque, ac interdum nepotes, antiqui significabant; sed etiam unum tantummodo filium, aut filiam. Id, præter veterum Jurisconsultorum fragmenta, testatur Servius Sulpitius Epistola ad M. Tullium, quæ est 5. lib. 4. ad familiares, ubi de Tulliola Ciceronis filia, immatura morte prærepta, patrem sic alloquitur: *Licitum est tibi (credo) pro tua dignitate ex hac juventute generum deligere, cujus fidei liberos tuos te tuto committere putares.*

v. 214. *Nomen* ] Manliorum gentem Romæ nobilissimam, & ex ea præcipue Torquatorum familiam. *Nomen* pro domo & familia usurpavit Cicero in Oratione pro Cn. Plancio: *Est tuum nomen utraque familia consulare. Non dubitas igitur, quin omnes qui favent nobilitati, qui id putant esse pulcherrimum, qui imaginibus, qui nominibus vestris ducuntur, te ædilem fecerint?*

ibid. *Indidem* ] Ex eadem stirpe, non ope adoptionis, quam leges invenerunt ad orborum solatium. Sic M. Tullius in calce libri primi de Divinatione, ex Pacuvio: *Indidemque eadem quæ oriuntur, de integro, atque eodem occidunt.* Et pro Sex. Roscio Amerino: *Indidem Ameria.* Cornelius Nepos Epaminonda: *Indidem Thebis.*

v. 215. *Semper ingenerari* ] Cicero lib. 1. de Legibus: *Nam quod aliquibus cohærent homines, e mortali genere sumserunt quæ fragilia essent & caduca: animum esse ingeneratum a deo.* Livius lib. 5. Histor. *Nobis cum Faliscis, quæ pacto fit humano, societas non est: quam ingeneravit natura, utrisque est, eritque.*

v. 219. *Rideat ad patrem* ] Quo primum tempore id pueris infantibus contingat, docet Aristoteles lib. 7. Historiæ Animalium cap. 10. τὰ δὲ παιδία ὅταν γένωνται πρὸ τετταράκοντα ἡμερῶν, ἐγρηγορότα μὲν οὔτε γελᾷ, οὔτε δακρύει· νύκτωρ δ' ἐνίοτε ἄμφω. i. e. *Infantes autem primis quadraginta diebus neque rident cum vigilant, neque lacrimantur: sed noctu & per quietem utrumque interdum faciunt.* A quadragesimo igitur post ortum die incipit risus in pueris vigilantibus. *Ridere ad patrem* Græci dicerent, προσγελᾶν τῷ πατρί.

v. 220.

Semihiante labello.
Sit suo similis patri
Manlio, & facile insciis
Noscitetur ab omnibus,

Et

v. 220. *Semihiante labello* ] Semihiulco, semiaperto. Italice, *col labbro socchiuso, mezzo aperto.*

v. 221. *Sit suo similis patri* ] Ovidius lib. 4. Metamorph. v. 290. de Hermaphrodito, Mercurii & Veneris filio, formosissimo adolescente:

*Cujus erat facies, in qua materque paterque*
*Cognosci possent - - - - - -*

Hoc pudicitiæ muliebris argumentum, petitum a liberorum similitudine cum parentibus, non omnino certum acuti & sagaces homines esse arbitrantur. nam evenire posse ajunt, ut mulier adultera, e semine amatoris concipiens, in ipsis mœchi complexibus maritum absentem cogitet, ejusque jam jam adventuri metu perterreatur, atque adeo imaginem viri altius animo infigat, vique φαντασίας eam in fœtu vehementer imprimat: ut postea filius ex adulterio conceptus, nascatur quam simillimus patrifamilias. Rursum accidere posse contendunt, ut mulier cum legitimo viro concumbens, ex eoque gravida effecta, absentem adulterum in mente habeat: adeoque filius ex eo concubitu procreatus, extranei cujusdam in facie similitudinem gerat. Egregius in hanc rem locus est suavissimi Theocriti Idyllio 17. v. 43.

Ἀστόργου δὲ γυναικὸς ἐπ' ἀλλοτρίῳ νόος αἰεί.
Ῥηίδιαι δὲ γοναὶ, τέκνα δ' οὔποτ' ἐοικότα πατρί.

*Impia vero mulieris animus semper est apud virum alienum:*
*Et faciles quidem partus sunt, at liberi neutiquam similes sunt patri.*

Sed hæc, ut accidere nonnumquam possint, rariora tamen sunt quam ut effatum illud commune penitus tollant, similes patribus liberos præcipuam esse matrum commendationem. Singulare ac lepidum est quod narrat Macrobius lib. 2. Saturnaliorum cap. 5. de Augusto Cæsare, ejusque filia Julia, muliere impudica & dissoluta. *Idem*, inquit, *cum ad nepotum turbam similitudinemque respexerat, qua repræsentabatur Agrippa, dubitare pudicitiam filiæ erubescebat.* Et pluribus interjectis: *Cumque conscii flagitiorum mirarentur quomodo similes Agrippæ filios pareret, quæ tam vulgo potestatem sui corporis faceret, ait: Numquam enim nisi navi plena tollo vectorem.* Id alii viderunt.

v. 222. *Insciis* ] Ab iis etiam facile dignoscatur qui aut a Manlio ductam uxorem, aut sublatum ex ea filium esse ignoraverant. D. Basilius Magnus in Epistola ad D. Gregorium Theologum περὶ τῆς κατ' ἐρημίαν διαγωγῆς: Ἐπέγνων σου τὴν ἐπιστολὴν, ὥσπερ οἱ τοὺς τῶν φίλων παῖδας ἐκ τῆς ἐμφαινομένης αὐτοῖς ὁμοιότητος πρὸς τοὺς τεκόντας ἐπιγινώσκουσι. *Agnovi tuam epistolam, ut qui amicorum filios ex apparente in eis similitudine ad parentes agnoscunt.*

v. 223. *Noscitetur* ] Huc facit locus Livii lib. 26. Histor. in Oratione P. Scipionis ad exercitum Hispaniensem: *Brevi faciam*, inquit, *ut quemadmodum nunc noscitatis in me patris patruique similitudinem oris vultusque, & lineamenta corporis; ita ingenii, fidei, virtutisque exemplum, expressam ad effigiem vobis reddam. ut revixisse, aut renatum sibi quisque Scipionem imperatorem dicat.* Plinius quoque Panegyr. cap. 17. *Videor*

Et pudicitiam suæ
Matris indicet ore.
Talis illius a bona
Matre laus genus approbet,
Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopeo.
Claudite ostia, virgines.
Lusimus satis. at, boni
Conjuges, bene vivite, &

Mu-

*decor ingentia ducum nomina, nec indecora nominibus corpora noscitare.*

v. 224. *Et pudicitiam s. M. i. o.* ] Martialis pariter Epigr. 27. lib. 6.

*Est tibi, qua patrii signatur imagine vultus,*
*Testis maternæ nata pudicitiæ.*

v. 227. *Approbet* ] δοκιμάζῃ. Cicero pro Sextio: *Cn. Pompejus approbavit ac laudavit sententiam Cottæ.* Vides, approbationem & laudem proxima esse.

v. 228. *Unica fama* ] Singularis, excellentissima. Horatius Ode 14. lib. 3.

*Unico gaudens mulier marito*
*Prodeat, justis operata divis.*

Livia nimirum, felix Augusto conjuge, imperatore optimo, orbis terrarum domino;

*Quo nihil majus meliusve terris*
*Fata donavere, bonique divi,*

ut loquitur idem poeta Ode 2. lib. 4. Locum illum Horatii male omnino explicaverunt vulgares interpretes, de Liviæ Augustæ pudicitia. Pedo enim Albinovanus, seu quisquis est auctor, in Consolatione de morte Drusi ad eamdem Liviam, vocare non dubitat *pudicitiam*, quamquam eximiam & suspiciendam, *ultimam inter ejus laudes*; cum pudicitia pertineat ad matronas omnes, & ad nuptas etiam plebejas: principem vero feminam deceant majores & altiores virtutes. Plautus Asinaria Ac. 4. Sc. 1. v. 3.

*Nam tu poeta es prorsus ad eam rem unicus.*

Livius lib. 24. Histor. appellat *Archimedem, unicum spectatorem cæli, siderumque.*

v. 229. *Manet* ] In ævum perdurat.

v. 231. *Claudite ostia, virgines* ] Sermonem convertit poeta ad virgines quæ sponsam ad mariti domum deduxerant, monetque, ut thalami januam foris claudant: non enim eas in locum non virgineum introire decebat. Vel virgines hic Musæ sunt, quas Catullus dimittit, cum satis in hoc condendo carmine illarum opem fuerit expertus. Ovidius lib. 2. Artis Amat. v. 703.

*Conscius ecce duos accepit lectus amantes:*
*Ad thalami clausas, Musa, resiste fores.*

v. 233. *Bene vivite* ] Idem est ac *sitis felices*, quod infra Carm. 67. poeta noster usurpat. Aristoteles lib. 1. Ethicorum ad Nicomachum cap. 2. τὸ δ' ΕΥ ΖΗΝ καὶ τὸ εὖ πράττειν, ταὐτὸν ὑπολαμβάνουσι τῷ εὐδαιμονεῖν. *Idem opinantur homines, bene vivere, ac bene rem gerere, quod esse felicem.* Plato in hanc sententiam luculente lib. 1. de

Re-

Munere assiduo valentem
Exercete juventam.

LXI. JU-

Republica: Οἱ οὖν πλεῖστοι ἡμῶν (πρεσβυτῶν) ὀλοφύρονται ξυνιόντες, τὰς ἐν τῇ νεότητι ἡδονὰς ποθοῦντες καὶ ἀναμιμνησκόμενοι, περί τε τἀφροδίσια, καὶ περὶ πότους καὶ εὐωχίας, καὶ ἄλλ' ἄττα ἃ τῶν τοιούτων ἔχεται· καὶ ἀγανακτοῦσιν ὡς μεγάλων τινῶν ἀπεστερημένοι. καὶ τότε μὲν ΕΥ ΖΩΝΤΕΣ· νῦν δὲ οὐδὲ ΖΩΝΤΕΣ. i. e. *Plures nostrûm, qui seniores sumus, sæpe conqueruntur, quod voluptatibus, quibus in juventute abundârunt, destituantur: & venereas voluptates & eas quæ in compotationibus & conviviis, rebusque hujusmodi versantur, in memoriam revocant: & indignantur, quasi maximis bonis orbati: atque adeo tunc quidem se bene vixisse affirmant, nunc autem ne vivere quidem.* Homerus lib. 15. Odyssex v. 488.

*-- ἐπεὶ ἀνδρὸς δώμαθ' ἀφίκεο πολλὰ μογήσας*
*Ἠπίου, ὃς δή τοι παρέχει βρῶσίν τε πόσιν τε*
*Ἐνδυκέως· ζώεις δ' ἀγαθὸν βίον. - -*
*- - quoniam* ad *viri domos pervenisti multa perpessus*
*Humani, qui nempe tibi prabet cibumque potumque*
*Decenter: vivis autem bonam vitam. - -*

Ad Latinos transeamus. Cicero lib. 2. de Finibus: *Hos ego asotos bene quidem vivere, at beate numquam dixerim.* Vulgarem opinionem improbat Cicero existimantium, bene vivere, ac beate idem omnino esse; eum tamen bene vivere, ad voluptatem; beate vivere, ad virtutem referri debeat. Terentius Hecyra Ac. 3. Sc. 5. v. 11.

*- - - Sane hercle homo voluptati obsequens*
*Fuit, dum vixit: & qui sic sunt, haud multum heredem juvant.*
*Sibi vero hanc laudem relinquunt: VIXIT, DUM VIXIT, BENE.*

Multus est in hac locutione Horatius. Epistola enim 6. lib. 1. v. 56.

*Si bene qui cœnat, bene vivit: lucet, eamus*
*Quo ducit gula, piscemur, venemur --*

& Epistola 15. lib. 1. v. 45.

*Vos sapere, & solos ajo bene vivere, quorum*
*Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.*

Idem Ode 16. lib. 2.

*Vivitur parvo bene, cui paternum*
*Splendet in mensa tenui salinum.*

Gravissime autem Epistola 11. lib. 1. v. 28.

*Strenua nos exercet inertia: navibus, atque*
*Quadrigis petimus bene vivere. quod petis, hic est,*
*Est Ulubris, animus si te non deficit æquus.*

Nescio, an apud Petronium in cœna Trimalchionis ita sit accipiendus versiculus ille:

*Ergo vivamus, dum licet esse, bene.*

Mihi quidem videtur sententia concinnior fieri, si hoc modo interpungamus: quamquam Erhardus, & Barthius aliud omnino sentiant. Ut autem *bene vivere*, sic & *male vivere* dicebant, i. e. nequiter, luxuriose. Horatius modo laudatus Sat. 4. lib. 1. v. 109.

*Nonne vides, Albî ut male vivat filius? - -*

*Bene mori* legitur apud Ovidium Epistola Medeæ v. 5.

*Tunc potui Medea mori bene - - - -*

v. 234. *Munere assiduo* ] Officio maritali strenue persolvendo.

ibid. *Valentem* ] Versus hypermeter.

v. 235. *Exercete juventam* ] Quid hoc rei sit, explicat Suetonius in Domitiano cap. 22. *Assiduitatem*, inquit, *concubitûs, velut exercitationis genus,* cli-

# L X I.

## JUVENES.

VESPER adest, juvenes. consurgite. vesper Olympo
Exspectata diu vix tandem lumina tollit.

Sur-

*elinopalem vocabat.* κλινοπάλην, quasi diceres *lecti palæstram*. Propertius Elegia 1. lib. 2.

*Seu nuda erepto mecum luctatur amictu.*

Idem Elegia 12. libri ejusdem:

*Nam modo nudatis mecum est luctata papillis.*

*Exercent palæstras* dixit Virgilius Æneid. lib. 3. v. 281. *Exercere scortum*, Plautus Amphitr. Ac. 1. Sc. 1. verſ. 132.

ARGUM. CARM. LXI. ] Idem fere argumentum est hujus Carminis quod & superioris. In hoc tamen illud singulare: Juvenum sponsi æqualium a mensa surgentium, & Virginum novam nuptam ad mariti domum deducentium alterni cantus. Iccirco amœbæum vocari potest; de quo carminis genere videndus Diomedes Grammaticus lib. 3. cap. de Pedibus. Porro sententiæ Puellarum eo pertinent, ut virginitatem extollant, nuptias deprimant: Juvenum contra, ut matrimonii commoda enumerando, sponsæ pudorem ac mœrorem bona spe consolentur. Ceterum omnia mel merum, & vere Catulliana.

v. 1. *Vesper adest* ] Censorinus de Die Natali cap. 10. *Post supremam*, inquit, *dicitur Vesper, ante ortum scilicet ejus stellæ quam Plautus Vesperuginem, Ennius Vesperum, Virgilius Hesperon appellat*. Varro autem lib. 6. de Lingua Latina: *Vesperugo, stella quæ vespere oritur, a quo etiam Opilius scribit vesperum. itaque dicitur, Alter VESPER ADEST, quem dicunt Græci* διέσπερον.

ibid. *Juvenes* ] Quos novus maritus nuptiarum die convivio excepit: qui ad mensam mecum assidetis. Verba sunt unius e convivis, æquales ad canendum invitantis. Non enim poeta ipse hîc loquitur, ut male Muretus existimat: sed ejus persona omnino latet, cum poema sit totum δραματικόν.

ibid. *Olympo* ] Virgilius Ecloga 6. versu postremo:

*- - Invito processit Vesper Olympo.*

Vel cælum intellige, ubi dii sunt ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες, ut sæpius ait Homerus: vel Olympum Thessaliæ montem, unde Sol Græcis occidere, & stellæ oriri videbantur: quemadmodum & ex Oeta. Imitatur autem Catullus Græcos poetas. vide infra v. 7.

v. 2. *Lumina tollit* ] Extollit, exserit. Virgilius lib. 1. Georgic. v. 250. eleganter admodum, *accendere* dixit.

*Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis,*
*Illic sera rubens accendit lumina Vesper.*

Quamquam id accipi possit non de Vespero stella, sed de tempore vespertino, quo stellæ in cælo apparere incipiunt, & accendi videntur, tamquam lampades, aut faces. Franciscus Petrarcha, Lyricorum Italorum princeps, ac felix antiquorum æmulator, ita locutus ( *nella Canzone* 3. )

*Ma poi, ch' il ciel' accende le sue stelle.*

v. 3. *Sur-*

Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas,
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUEL-

v. 3. *Surgere jam tempus*] Opportunum est surgendi tempus. Horatius Ode 37. lib. 1.

- - *Nunc Saliaribus*
*Ornare pulvinar deorum*
*Tempus erat dapibus, sodales.*

Dicebant etiam aliquando *erat*, omissa sed subaudita voce *tempus*. Petronius in Satyrico:

*Nunc erat a torva submittere cornua fronte,*
*Nunc pluma canos dissimulare tuos.*

ibid. *Jam pingues linquere mensas*] Intellige nuptialem mensam, quam Græci perinde ac Romani, jam inclinato in pomeridianum tempus die, in ædibus mariti apponere solebant, cuique assidebant, dum adveniret nova nupta. Occidente vero Sole surgebant convivæ, ac sponsæ obviam ibant, uno marito excepto, qui eam in toro tricliniari accubans exspectabat; quod vidimus Carmine superiori. Ex hujusmodi consuetudine Virgilio facem luceo, qui Ecloga 4. in calce:

- - - - *Cui non risere parentes,*
*Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.*

Quænam hæc mensa fuerit, de qua Maro, interpretes mirum in modum dissentiunt. Tu vero, amice lector, me fidejussore, intellige *nuptialem mensam*, cujus mentionem facit Pindarus Ode 3. Pythiorum, his versibus: Οὐκ ἔμειν' ἐλθεῖν τράπεζαν νυμφίαν, Οὐδ' παμφώνων ἰαχὰν Ὑμεναίων, ἅλικες Οἷα παρθένοι φιλέοισιν ἑταῖραι Ἑσπερίαις ὑποκου-ρίζεσθ' ἀοιδαῖς. i. e. *Non exspectavit* (Coronis puella) *dum veniret mensa sponsalis, Neque omnisonorum clamor Hymenæorum, coætanea Uti virgines solent sociæ Vespertinis juveniliter ludere cantibus.* Loquitur Pindarus de puella cujus, ante matrimonium, virginitatis florem amator præcerpserat. Ad hunc porro Thebani poetæ locum ita Vetus Scholiastes: Οὐ γὰρ ὑπέμεινε φησὶν ἡ Κορωνὶς, ἐλθεῖν τὴν νυμφίδιον τράπεζαν, ἀντὶ τοῦ, νόμῳ γαμηθῆναι, οὐδὲ τὴν ὑμεναίων τὴν ἠχὴν, ὁποῖα μάλιστα αἱ ὁμήλικες παρὰ ταῖς ἑαυτῶν φίλαις φιλοῦσι, ταῖς ἑσπεριναῖς ᾠδαῖς νεωτερίζεσθαι τὴν ψυχὴν καὶ παίζειν. τινὲς δὲ τὸ ὑποκουρίζεσθαι ἀοιδαῖς, ἀντὶ τοῦ ἀμφοτέρους τοὺς χοροὺς ὑμνεῖν, τὸν νυμφίον, καὶ τὴν νύμφην. i. e. *Non enim exspectavit*, ait Pindarus, *Coronis, dum veniret sponsalis mensa, nempe, dum legitime nuberet, neque Hymenæorum sonum, cujusmodi maxime æquales puellæ apud suas amicas gaudent vespertinis cantionibus animum recreare ac ludere. Nonnulli vero τὸ ὑποκουρίζεσθαι ἀοιδαῖς dictum putant, pro, utrumque chorum* (*i. e.* puerorum, ac puellarum) *hymnis celebrare sponsum & sponsam*. Hic locus Pindari, quem ego primus omnium, nisi valde fallor, ad Catullum explicandum huc attuli, non solum poetam nostrum, sed præterea Virgilium unice illustrat.

v. 4. *Dicetur Hymenæus*] Etsi postrema syllaba vocis *dicetur*, vulgo corripiatur, hoc tamen versu longa fit ob moram cæsuræ, atque insequentem adspirationem: ut apud Propertium Eleg. 21. lib. 2. E. B. altera syllaba particulæ *inter*:

*Et tibi Mæonias inter heroidas omnes.*



v. 6. *Cer-*

## PUELLÆ.

Cernitis, innuptæ, juvenes? consurgite contra.
Nimirum Oetæos ostendit Noctifer ignes.

Sic

v. 6. *Cernitis, innuptæ, juvenes?* ] Puellæ hîc canere incipiunt. Est autem ordo syntaxeos: *Innuptæ* virgines, *cernitisne juvenes* nobis obviam prodeuntes? Fuit olim cum existimarem, τὸ *juvenes* ad *innuptas* referendum: quam opinionem postea deposui. Neque enim iis auscultabam qui negant, vocem *juvenis*, feminei generis uspiam inveniri, ut nimirum ei voci femininum adjectivum conjungi possit: in quibus est Schefferus ad Phædri versiculum Fab. 2. lib. 2.

*Animosque ejusdem pulchra juvenis ceperat.*

Propterea suspicatur, ita scriptum a Phædro per ellipsin: subaudiendam vero conjunctionem *&*, ut explicetur, *pulchra & juvenis*. At profecto Phædrus, auctor nitidissimus, ἀσυνδέτως id vocabulum usurpavit: neque aliter sane, nisi adhibita insigni violentia, locus ille explicari potest. Scheffero præiverat Gerardus Joannes Vossius lib. 1. de Analogia cap. 15. docens, *juvenis* significatione quidem esse commune, structurâ non item: ubi Emmanuelem Alvarum, eo fatente melioris notæ grammaticum, qui contrarium senserat, injuria reprehendit. Satis enim refellitur Vossius modo allato Phædri testimonio. Ceterum, *juvenis* significatione saltem commune esse, liquet Ovidii auctoritate, sic scribentis lib. 1. Artis Amat. v. 61.

*Seu caperis primis & adhuc crescentibus annis;*
*Ante oculos veniet vera puella tuos:*
*Sive cupis juvenem; juvenes tibi mille placebunt:*
*Cogêris voti nescius esse tui.*
*Seu te forte juvat sera & sapientior ætas;*
*Hoc quoque, crede mihi, plenius agmen erit.*

Romanas mulieres, amoribus idoneas, tribuit Ovidius in tres classes; in puellas nempe, juvenes adulta seu florenti ætate, ac jam deflorescentes. νέας, ἀκμαζούσας, παρηκμακυίας, Græci appellant.

v. 7. *Oetæos ostendit Noctifer ignes* ] Adolescens olim Scaligeri lectionem secutus fueram: *Oceano se ostendit Noctifer imbre*. Si quis, Catullum ita scripsisse, persuaserit sibi, parem Propertii locutionem accipiat Elegia 20. l. 2.

*Vidi te in somnis, fracta, mea vita, carina,*
*Ionio lassas ducere rore manus.*

Nimirum *Oceanus imber*, pro aquis Oceani, unde stellæ videntur emergere; & *ros Ionius*, pro aquis maris Ionii. Præferenda tamen lectio: *Oetæos ostendit Noctifer ignes*. quam in vetustissimo libro Thuanæo, & aliis codicibus optimæ notæ exstitisse affirmat Isaacus Vossius. Docet idem e Servii Grammatici commentariis in Virgilium, Oetam montem Hespero, & Hymenæo Hesperi delicio sacrum fuisse: addit præterea, Locros Ozolas, qui occidua Oetæ juga incolebant, itemque Locros Opuntios, quorum sedes fretum Euboicum attingebant, qua nempe Oeta excurrit in mare, Hesperi sidus in suis nummis exprimendum curavisse. Caussa hujus rei fuit, quod qui Oetæ montis verticem conscenderint, illis Sol & sidera duabus horis tardius occidant, quam iis qui in campe-

Sic certe. viden'ut perniciter exſiluere?
Non temere exſiluere. canent quod viſere par eſt.
Hymen o Hymenææ, Hymen ades o Hymenææ.

## JUVENES.

Non facilis nobis, æquales, palma parata eſt.
Aſpicite, innuptæ ſecum ut meditata requirant.
Non fruſtra meditantur: habent memorabile quod ſit.
Nec mirum; tota penitus quæ mente laborent.
Nos alio mentes, alio diviſimus aures.
Jure igitur vincemur. Amat victoria curam.

Qua-

ſtribus degunt: quemadmodum, contra, veteres, Luciferum ac Solem ex Ida monte oriri dicebant, quod ex ejus montis vertice proſpectantibus, duabus fere horis maturius Sol & reliqua ſidera mane appareant, quam plana loca incolentibus.

ibid. *Noctifer* ] Heſperus videlicet, noctis proximæ nuntius. quem Plautus Amphitruone Ac. 1. Sc. 1. v. 116. *Nocturnum* appellat. Statius pariter lib. 6. Thebaidos v. 238.

*Roſcida jam novies cælo dimiſerat aſtra*
*Lucifer, & totidem Luna prævenerat ignes*
*Mutato Nocturnus equo - - - -*

v. 9. *Canent quod viſere par eſt* ] *Canent viſu & ſpectatu digna*. Ita legit atque explicat Voſſius, antiquorum codicum fidem ſecutus. cui plane aſſentior. Profecto in duobus MStis Bibliothecæ Saibantium Veronæ, quod teſtatur V. C. Paulus Galeardus, hic verſus ita legitur:

*Non temere exiluere: cavent quos viſere parent.*

quæ lectio Voſſianæ proxima. Huic hemiſtichio puellarum, ἀντίστροφον eſt illud juvenum v. 13.

*- - Habent memorabile quod ſit.*

v. 11. *Æquales* ] Eadem ætate, ἡλικιώτας.

v. 12. *Secum ut meditata requirant* ] Non imparatæ adveniant, ſed multo ante meditata & præparata domo afferant: vel hoc ipſo tempore magna diligentia & ſollicitudine exquirant. Cicero lib. 3. de Nat. Deorum: *Ego enim, te diſputante, quid contradicerem, mecum ipſe meditabar*. Idem lib. 1. de Oratore: *Quæ in foro agenda ſunt, exercitatione quaſi ludicra prædiſcere, & meditari*. Et rurſus libro eodem: *Quamquam ipſi omnia, quorum negotium eſt, conſulta ad nos, & exquiſita deferunt*.

v. 13. *Habent memorabile quod ſit* ] Videlicet memoriæ prodendum, ob ſingularem elegantiam: vel quod ipſæ prius edidicerint, memoriter deinde pronuntiaturæ.

v. 15. *Alio mentes, alio diviſimus aures* ] Fundimus enim carmen ex tempore: unaque opera & quid puellæ dicant, audimus, & quid reſpondendum ſit, cogitamus.

v. 16. *Amat victoria curam* ] Lactantius pariter lib. 6. Divin. Inſtit. *Cum eſt propoſitum cum hoſte certamen,*

*prius*

Quare nunc animos ſaltem committite veſtros:
Dicere jam incipient, jam reſpondere decebit.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

## PUELLÆ.

Heſpere, qui cælo fertur crudelior ignis?
Qui natam poſſis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam,
Et juveni ardenti caſtam donare puellam?
Quid faciant hoſtes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

JU-

*prius laborandum eſt, ut ſis poſtmodum in ocio.*

v. 17. *Animos committite* ] *Committere*, hoc loco verbum eſt militare, vel gladiatorium. Paria enim gladiatorum *committi* vel *componi* dicebantur. Ita *committere prælium*, *pugnam*, *ludos*, *judicium*, ſunt modi loquendi Ciceroni uſitati. Voſſius legit, *animos convertite*; ſed perperam.

v. 20. *Fertur* ] Simul cum cælo. Motu enim cæli ſidera omnia rapi, & in gyrum ferri, veteres phyſici exiſtimârunt.

v. 21. *Complexu avellere matris* ] Hæc locutio ſolennis eſt direptionem oppidi deſcribentibus. Salluſtius in Catilina cap. 50. *Rapi virgines, pueros: divelli liberos a parentum complexu*. Lactantius de Mortibus Perſecutorum cap. 8. *Quacumque iter fecerat* ( Maximianus Herculius ) *avulſa a conſpectu parentum virgines, ſtatim præſto*. ubi omnino legendum videtur, *a complexu*. imitatur enim Salluſtium Lactantius: & minus proprie dicitur, *avellere a conſpectu*. Livius *rapere*, atque *abripere*, in re ſimili uſurpavit. Libro enim Hiſt. 3. *Virginem ingenuam, in oculis populi Romani, velut bello captam, a complexu patris abreptam*. & libro 29. *Conſtuprant matronas, virgines, ingenuos, raptos ex complexu parentum*. Singulare eſt illud Chori apud Euripidem in Hecuba v. 143.

Ἥξει δ' Ὀδυσσεὺς ὅσον οὐκ ἤδη,
Πῶλον ἀφέλξων σῶν ἀπὸ μαζῶν.
*Veniet vero Ulixes jam jam*
*Puellam abſtracturus tuis a mammis.*

v. 22. *Complexu matris* ] Elegans ἀιαφορά. cujuſmodi ferme illa eſt Virgiliana Ecloga 8. v. 48.

*- - - - - Crudelis tu quoque, mater.*
*Crudelis mater magis, an puer improbus ille?*
*Improbus ille puer: crudelis tu quoque, mater.*

ibid. *Retinentem* ] Ægre ſe avelli patientem, κατέχουσαν, tenacem. ſubaudi, *matris*. Ita dicimus, *retinentem dignitatis, juris, conſuetudinis a majoribus accepta*.

v. 24. *Quid faciant hoſtes c. c. u.?* ] Auctor Rhetoric. ad Herennium lib. 4. *Neminem noſtrûm fugit, Quirites, capta urbe qua miſeria conſequi ſoleant. - - - - - - - Liberi partim e gremiis parentum diripiuntur, partim in ſinu jugulantur,*

*par-*

## JUVENES.

Heſpere, qui cælo lucet jucundior ignis?
Qui deſponſa tua firmes connubia flamma:
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec junxere prius, quam ſe tuus extulit ardor?
Quid datur a divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

## PUELLÆ.

Heſperus e nobis, æquales, abſtulit unam.
Nem-

*partim ante pedes conſtuprantur*. &c. Cui multo ante præiverat ſummus dicendi magiſter Ariſtoteles lib. 1. Rhetoricorum his verbis : Ὅθεν καὶ ὁ ποιητής φησι πεῖσαι λέγουσαν τὸν Μελέαγρον ἀναςῆναι. Ὅσα κακ' ἀνθρώποισι πέλει τῶν ἄςυ ἁλώῃ. Λαοὶ μὲν φθινύθουσι, πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει. Τέκνα δὲ τ' ἄλλοι ἄγουσι. i. e. *Unde & poeta dicit perſuaſiſſe Meleagro ut ſurgeret* ( uxorem ) *exponentem cuncta mala quæ cadunt in homines quorum urbs capta fuerit : populi enim intereunt : urbem autem ignis abſumit : filios alii abducunt*. Locus a philoſopho indicatus eſt Homeri libro 9. Iliados a verſu 588. Sequitur porro apud eximium poetam, βαθυζώνους τε γυναῖκας: *& profunde ſuccinctas mulieres*. & pro Λαοὶ μὲν φθινύθουσι, legitur ibi Ἄνδρας μὲν κτείνουσι. *viros quidem interficiunt*.

v. 28. *Quod pepigere viri, pepig. a. parentes* ] Similem Ovidii verſum accipe, lector, Metam. lib. 4. v. 164.

*Vota tamen tetigere deos, tetigere parentes*.

v. 29. *Tuus ardor* ] Tuum ſidus ignea luce coruſcans.

v. 32. *E nobis....... abſtulit unam* ] A choro virginum ſcilicet ad nuptias traduxit.

ibid. *æquales* ] Συνομάλικες. Hoc de ſe, ac de ſociis virginibus profitentur puellæ comites Helenæ, quæ ipſam Menelao nuptam, ad maritum deducunt Hymenæum canentes, apud Theocritum Idyllio 18. v. 9. & ſequu.

Ἄμμες γὰρ πᾶσαι συνομάλικες, αἷς δρόμος ωὑτὸς,
Χρισαμέναις ἀνδριστὶ παρ' Εὐρώταο λοετροῖς,
Τετράκις ἑξήκοντα κόραι, θῆλυς νεολαία.

*Nos omnes enim æquales* ætate, *quibus idem* vitæ *curſus eſt*,
*Quæ ungimur more virorum ad Eurotæ fluenta*,
*Quater ſexaginta puellæ de muliebri juventute*.

De quo Theocriti loco me olim admonuit Joannes Baptista Parisottus e Caſtro Franco, vir apprime doctus, mihique amiciſſimus, qui ante aliquot annos Poema Catulli de Nuptiis Pelei ac Thetidos mundiſſimis verſibus Italicis a ſe redditum, in publicum propoſuit. ὁμήλικας vocavit virgines hujuſmodi etiam Scholia-

Nempe tuo adventu vigilat custodia. semper
Nocte latent fures, quos idem sæpe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.

JU-

liastes Pindari ad Oden 3. Pythiornm. Vide Adnotationes nostras ad versum 3. hujus Carminis.

v. 33. *Nempe tuo adventu v. c.* ] Inter hunc versum & superiorem, lacunam in codicibus Catulli MSS. animadvertere sibi visi sunt interpretes; versusque septem deesse putaverunt, quorum sex ad puellas, ultimus ad juvenes pertineret. Vossius tamen, nihil desiderari existimat, omniaque integra & perfecta esse. Legit porro *Nempe* pro *Namque*, ut sententia sit εἰρωνικὴ. Convertunt enim virgines sermonem ad Hesperum, eique increpitant, quod quamquam ejus adventu custodes vigilare incipiant, id est nocturni circitores, multa nihilominus furta in tenebris committantur, quæ ante crastini Solis reditum delitescant, & deprehendi vix possint: immo ipsum Hesperum furti & rapinæ accusant, egregiumque custodem esse dicunt, qui puellam castissimam, e sinu & complexu matris avulsam, cupido juveni in manus tradiderit. Quam explicationem rectam, & Catulli elegantia dignam esse ajo.

v. 34. *Nocte latent fures* ] Quos ἡμεροκοίτας & *interunculos*, & *dormitatores* vocabant: hoc enim genus hominnm diem fere somno transigit, ut noctu majori alacritate ad furandum sit. Nomine tamen furum, etiam adulteros virginumque corruptores significare videtur. Adulteria enim & stupra, furta per translationem dici solita, nemo paullo eruditior ignorat. Nox autem favet libidinibus, & malis cupiditatibus. Ovidius Amorum lib. 1. Elegia 9.

*Sæpe maritorum somnis utuntur amantes;*
*Et sua sopitis hostibus arma movent.*

v. 35. *Mutato nomine* ] Lucifer enim mane appellatur, quem sero Hesperum vocant. Cicero lib. 2. de Nat. Deorum: *Stella Veneris, quæ φωσφόρος Græce, Lucifer Latine dicitur, cum antegreditur Solem: cum subsequitur autem, Hesperus.* Porro, hujus διωνυμίας plerique testes e scriptoribus produci possunt. L. Cinna in Zmyrna, poemate deperdito, apud Servium in 1. Georgicon v. 288.

*Te matutinus flentem conspexit Eous,*
*Et flentem paullo vidit post Hesperus idem.*

Manilius lib. 1. Astronomic. v. 177.

*Nec matutinis fulgeret Lucifer horis,*
*Hesperus immerso dederat qui lumen Olympo.*

Seneca in Hippolyto v. 746.

*Qualis est primas referens tenebras*
*Nuntius noctis, modo lotus undis*
*Hesperus, pulsis iterum tenebris*
*Lucifer idem.*

Statius Papinius lib. 6. Thebaidos v. 238.

*Roscida jam novies cælo dimiserat astra*
*Lucifer, & totidem Luna prævenerat ignes*
*Mutato Nocturnus equo - - - - - - -*

Quibus concinit Boethius lib. 1. de Consol. Philos. Metro 5. v. 10.

*Et qui primæ tempore noctis*
*Agit algentes Hesperus ortus,*
*Solitas iterum mutat habenas*
*Phœbi pallens Lucifer ortu.*

Suffragatur Plinius lib. 2. Nat. Hist. cap. 8. his verbis: *Infra Solem ambit ingens sidus, appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis ac Lunæ. Præveniens quippe & ante matutinum exoriens, Luciferi* no-

## JUVENES.

Ut lubet innuptis ficto te carpere questu!
Quid tum, si carpunt tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

## PUELLÆ.

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem

*nomen accipit, ut Sol alter, diem maturans: contra, ab occasu refulgens nuncupatur Vesper, ut prorogans lucem, vicemque Luna reddens. Quam naturam ejus Pythagoras Samius primus deprehendit.* Denique Cleomedes Meteoror. lib. 1. cap. 3. Ὁπόταν, ait, ἐπικαταδύνται τῷ ἡλίῳ, Ἕσπερος· ὁπόταν δὲ προανίσχῃ αὐτοῦ, Ἑωσφόρος. i. e. *Cum paullo post Solis occasum occidit, Hesperus: eum vero ante ipsius ortum oritur, Eophorus, sive Auroram ferens.*

v. 36. *Ut* ] Ita legit Vossius pro *At*, quod veteres editiones præferebant. Hæc vocalium mutatio sæpius occurrit in priscis codicibus. *Ut*, hoc loco admirantis est.

ibid. *Ficto questu* ] Non enim puellæ conqueruntur & dolent ex animo: optant enim cunctæ, advenire sibi nuptialem diem, sed pudore impeditæ cupiditatem celant, & summum virginitatis amorem falsis querelis mentiuntur.

v. 37. *Quid tum, si carpunt* ] Virgilius Ecloga 10. v. 38. *Quid tum, si fuscus Amyntas?* Notum ex Macrobii Saturnalibus, Virgilium imitatione Catulli delectatum fuisse, cujus & nonnullos versus interpolavit, & pro suis usus est.

ibid. *Requirunt* ] Optant. Sic Tibullus Eleg. 1. lib. 1.

*Non ego divitias patrum, fructusque requiro*
*Quos tulit antiquo condita messis avo.*

v. 39. *Ut flos* ] Crediderim, Charites omnes ac Veneres pulcherrimam hanc comparationem poetæ nostro dictavisse: adeo elegantia & lepóre scatet. Ludovicus Areostus, vir ingenio & facundia plane admirabili, eam in poema suum derivare non dubitavit (Cantu 1.) his versibus:

*La verginella è simile alla rosa,*
*Che 'n bel giardin su la nativa spina*
*Mentre sola e sicura si riposa,*
*Nè gregge, nè pastor se le avvicina;*
*L' aura soave, e l' alba rugiadosa,*
*L' acqua, la terra al suo favor s' inchina;*
*Gioveni vaghi, e donne innamorate*
*Amano averne e seni, e tempie ornate.*
*Ma non sì tosto dal materno stelo*
*Rimossa viene, e dal suo ceppo verde,*
*Che quanto avea dagli uomini, e dal cielo*
*Favor, grazia, e bellezza, tutto perde.*

 La

Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ;
Idem quum tenui carptus defloruit ungui,

Nul-

*La vergine, che'l fior di che più zelo*
*Che de' begli occhi, e della vita aver dè,*
*Lascia altrui corre, il pregio ch'avea innanti*
*Perde nel cor di tutti gli altri amanti.*

v. 40. *Ignotus pecori* ] Pecus enim petulcum hortos depopulatur, & florum pulchritudinem pessumdat: sæpibus icirco prætentis ab eorum ingressu arceri solet. Huc pertinet Epigramma κηπευτικὸν quod legitur in Lusibus Priapejis num. 65.

*Hic tibi, qui rostro crescentia lilia mersit,*
*Cæditur e tepida victima porcus hara.*
*Ne tamen exanimum facias pecus omne, Priape,*
*Horti sit facies janua clausa tui.*

ibid. *Contusus aratro* ] Statius Lusitanus, & Vossius testantur, legendum esse *convulsus* e veteribus MSS.

v. 41. *Quem mulcent auræ* ] Ὃ πνεύματα θέλγει. Propertius a Catullo, ut videtur, Elegia 7. lib. 4.

*Mulcet ubi Elysias aura beata rosas.*

Hunc Propertii versum attulerunt Achilles Statius, & Isaacus Vossius: male tamen legerunt *effusas* ἀντὶ τῶ *Elysias*. Longus, venustus auctor, ποιμενικῶν de Daphnide & Chloe lib. 3. Ἀπεζήτησάν τε καὶ ἄνθη, στεφανῶσαι θέλοντες τοὺς θεούς· τὰ δὲ ἄρτι ὁ ζέφυρος τρέφων καὶ ὁ ἥλιος θερμαίνων ἐξῆγεν. i. e. *Conquisierant jam flores, coronis adornare deos volentes, quos flores nuper Zephyrus nutriendo, Sol suo calore fovendo, eduxerat.* Has Catulli delicias nos ita exprimere studuimus in Italico quodam poemate:

*Non così bello, fior vermiglio, o bianco*
*In riposto giardino erge suo stelo;*
*Cui Zefiro lusinga, e fa più vivo*
*Il Sole, e nutre la rugiada, e'l rivo.*

v. 41. *Educat imber* ] Imbrem arboribus & vitibus incrementum afferre, cecinit Homerus, poeticarum omnium elegantiarum fons, Odysseæ lib. 9. v. 357.

Καὶ γὰρ Κυκλώπεσσι φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Οἶνον ἐριστάφυλον, καί σφιν Διὸς ὄμβρος ἀέξει.

*Etenim Cyclopibus fert alma terra*
*Vinum copiosis uvis, & ipsis Jovis imber dat incrementum.*

Huc facit locus Platonis pulcherrimus e libro 8. de Legibus. Ὕδωρ δὲ, ait, πάντων μὲν τὸ περὶ τὰς κηπείας διαφερόντως τρόφιμον, εὐδιάφθαρτον δέ. οὔτε γὰρ γῆν, οὔτε ἥλιον, οὔτε πνεύματα, τοῖς ὕδασι ξύντροφα τῶν ἐκ γῆς ἀναβλαστανόντων, ῥᾴδιον φθείρειν φαρμακεύσεσιν, ἢ ἀποτροπαῖς, ἢ καὶ κλοπαῖς· περὶ δὲ τὴν ὕδατος φύσιν ἐστὶ τὰ τοιαῦτα ξύμπαντα δυνατὰ γίγνεσθαι. διὸ δὴ βοηθοῦ δεῖται νόμου. i. e. *Aqua nutriendis hortis maxime omnium confert, sed facillime omnium corrumpitur. Nam neque terram, neque Solem, neque ventos, quæ una cum aquis nutriunt ea quæ ex terra germinant, facile est venenis corrumpere, vel avertendo, vel suffurando. & in aqua quidem naturam hæc omnia cadere possunt. ita legis auxilio opus habet.*

v. 42. *Multi illum pueri, m. optavere puellæ* ] Ita Virgilius Æneidos lib. 11. v. 581. de Camilla:

*Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres*
*Optavere nurum - - - - - -*

v. 43. *Tenui ungui* ] Modo memoratus Virgilius eodem libro v. 68. *pollice* dixit pro *ungui:*

Qua-

Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ:
Sic virgo dum intacta manet, dum cara ſuis eſt.
Quum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

## JUVENES.

Ut vidua in nudo vitis quæ naſcitur arvo,

Num-

*Qualem virgineo demeſſum pollice florem*
*Seu mollis violæ, ſeu languentis hyacinthi:*
*Cui neque fulgor adhuc, nec dum ſua forma receſſit,*
*Non jam mater alit tellus, vireſque miniſtrat.*

Niſi mavis *unguem* accipere de parte candida folii roſæ. *nam capita foliorum roſæ*, teſte Plinio lib. 21. Nat. Hiſt. cap. 10. *parteſque candidæ, ungues vocantur*. Atque ita flos a Catullo laudatus roſa fuerit.

v. 45. *Dum intacta manet, dum cara ſuis* ] *Dum* priore loco poſitum, *quoad* ſignificat; poſteriore autem, *uſque eo*; ſi Quinctilianum audimus lib. 9. Orator. Inſtit. cap. 3.

ibid. *Cara ſuis* ] Parem loquendi modum exhibet vetus Inſcriptio apud Reineſium, quæ eſt XCVI. claſſis XVII.

POMPEIAE. C. F. RVFAE
MATRI. TIRONIS
PROBA. ET. SANCTA
CARA. SVIS. VIXIT

v. 46. *Caſtum florem* ] Caſtitatem incorruptam, virginitatem illibatam.

v. 47. *Nec pueris j. m. nec c. puellis* ] Non pueris, quod ſcilicet ſpem depoſuerint ejus conjugio fruendi: ſed neque puellis, quod minus deceat virguneulas cum corruptis mulieribus familiariter verſari. Similis Mimnermi verſus de ſene:

Ἀλλ' ἐχθρὸς μὲν παισὶν, ἀτίμαστος δὲ γυναιξίν.
*At odioſus quidem pueris, contemtus vero apud mulieres.*

v. 49. *Vidua vitis* ] Viduæ dicuntur nonnumquam vites & arbores, etiam priuſquam aliæ cum aliis conjunctæ fuerint. *Viduus* enim ſæpenumero uſurpatur, præſertim a poetis, pro deſtituto, privato, carente. Horatius Ode 5. lib. 4.

*Et vitem viduas ducit ad arbores.*

ibid. *Nudo in arvo* ] Lapidoſo, *nudo gignentium*, ut ait Salluſtius Belli Jugurthini cap. 81. Virgilius pariter Ecloga 1. v. 15. *ſilice in nuda*. & v. 48.

- - - *Quamvis lapis omnia nudus,*
*Limoſoque palus obducat paſcua junco.*

Nudum arvum eſt ἄδενδρος ἄρουρα, nimirum quod caret arboribus, unde fieri poſſint vineæ pedamenta & juga; de quibus Varro lib. 1. de Re Ruſtica cap. 8. In eo enim arvo quæ naſcuntur vineæ, ſi colantur, & adminiculis appoſitis ſuſtineantur, *ſumtu fructum devorant*, ut idem Varro ait: pali enim, perticæ, aut alia hujuſmodi longius convehenda ſunt. Ceterum, eodem auctore, *Ea minus ſumtuo-*

Numquam se extollit, numquam mitem educat uvam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus, 51
Jam jam contingit summum radice flagellum;
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci:

At

*tuosa vinea quæ sine jugo ministrat acratophoro vinum. Hujus genera duo. unum in quo terra cubilia præbet uvis, ut in Asia multis locis; quæ sæpe vulpibus & hominibus fit communis: necnon si parit humus mures, minor fit vindemia: nisi totas vineas oppleris muscipulis: quod in insula Paudatharia faciunt. Alterum genus vineti, ubi ea modo removetur a terra vitis quæ ostendit se afferre uvam. Sub eam ubi nascitur uva, subjiciuntur circiter bipedales e surculis furcillæ, ne vindemia pereat. - - - - - - - - Hac ideo varietas maxime, quod terra cujusmodi sit refert. ubi enim naturâ humida, ibi altius vitis tollenda, quod in partu & alimonio vinum non, ut in calice, quærit aquam. itaque ideo (ut arbitror) primum e vinea in arbores ascendit vitis.* Ex his Varronis verbis intelligere licet, cur Salomon Cantici Canticorum cap. 2. v. 15. dixerit: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.* Nimirum Palæstina, ubi Salomon regnabat, pars est Asiæ: tradit autem Varro memorato capite, *in Asia multis locis terram uvis cubilia præbere. vineam porro humi stratam sæpe vulpibus & hominibus communem fieri.* Nam Asiæ solum calidius est, minusque abundat humore quam solum Italiæ; ideoque ibi vites adminicula non requirunt. Idem porro tradit de vitibus Lesbiis, quæ vinum suavissimum, & veteribus laudatissimum ferebant, Longus lib. 2. ποιμενικῶν. Πᾶσα γὰρ, inquit, κατὰ τὴν Λέσβον ἡ ἄμπελος ταπεινὴ, οὐ μετέωρος, οὐδ' ἀναδενδρὰς, ἀλλὰ κάτω τὰ κλήματα ἀποτείνουσα, καὶ ὥσπερ κιττὸς νεμομένη· καὶ παῖς ἂν ἀφίκοιτο βότρυος, ἄρτι τὰς χεῖρας ἐκ σπαργάνων λελυμένος. i. e. *Omnis quippe in Lesbo vitis erat humilis, non sublimis, non arboribus maritata: at deorsum pampinos protendens, atque hederæ instar serpens. Quin infans facile, modo solutis extra fascias manibus, uvas apprehenderit.* Vulpium vineas depopulantium meminit etiam Theocritus Idyllio 1.

v. 50. *Educat uvam* ] Ad maturitatem perducit. Supra Carm. 19.

*Uva pampinea rubens educata sub umbra.*

Tibullus item Elegia 1. lib. 1.

*Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,*
*Libatum agricolæ ponitur ante deo.*

v. 51. *Prono deflectens pondere corpus* ] Ovidius lib. 14. Metam. v. 665.

*Hæc quoque quæ juncta vitis requiescit in ulmo,*
*Si non nupta foret, terræ acclinata jaceret.*

v. 52. *Flagellum* ] Extremum palmitis cacumen. de hoc ita Varro lib. 1. R. R. cap. 31. *Ejuncidum enim sarmentum propter infirmitatem sterile, neque ex se potest ejitere vitem: quam vocant minorem, flagellum: majorem etiam unde uvæ nascuntur, palmam. Prior, litera una mutata, declinata a venti flatu, similiter flabellum ac flagellum.* Quod nimirum summæ arborum partes ab auris assidue ventilentur. Hæc tamen Varronis etymologia, ut & plures aliæ scriptoris ejusdem, minus recta doctis hominibus videri fortasse possit: cum flagellum in vite, sit potius a flagro derivatum, cui quodammodo simile est.

v. 53. *Nulli accoluere juvenci* ] Nam & colles a Baccho amatos, ubi vites læ-

At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci:
Sic virgo dum intacta manet, dum inculta senescit;
Quum par connubium maturo tempore adepta est,
Cara viro magis, & minus est invisa parenti.

Et

lætiores proveniunt, opera boum indigere, docemur a Columella de Re Rustica lib. 2. cap. 4. *Colles*, ait, *pinguis soli peracta satione trimestri, mense Martio, si vero tepor cæli siccitasque regionis suadebit, Februario statim proscindendi sunt. deinde de Aprili medio usque in solstitium iterandi, tertiandique.*

v. 54. *Ulmo conjuncta marito* ] Servius Honoratus ad illud Virgilii Georgic. lib. 1. v. 2. *ulmisque adjungere vites*: *Hoc*, inquit, *secundum Italia situm locutus est: in qua vites altius elevantur. Sic alibi: Non eadem arboribus pendet vindemia nostris. Hoc autem rustici maritare dicunt.* Quibus porro maritis arboribus gaudeat vitis, exponit Plinius lib. 17. Nat. Hist. cap. 23. ubi de arbusti ratione: *Hac ratione & arbores religantur. Prima omnium ulmus, excepta propter nimiam frondem atinia. Deinde populus nigra, eadem de caussa, minus densa folio. Non spernunt plerique & fraxinum, ficumque, etiam oleam, si non sit umbrosa ramis . . . . . . . . . Alternis putantur annis: sexto anno maritantur. Transpadana Italia præter supra dictas, cornu, populo, tilia, acere, orno, carpino, quercu, arbustat agros.*

v. 57. *Par connubium* ] Huc pertinet Ovidii sententia celebris, Epistola Dejaniræ v. 32.

*Si qua voles apte nubere, nube pari.*

Id & in arbustis diligenter agricolæ servandum esse, monet Columella lib. 5. R. R. cap. 6. his verbis: *At si teneram ulmum maritaveris, novam sufferet vitem: si vetustam vitem applicueris, conjugem necabit: ita sibi pares esse ætate & viribus arbores vitesque convenit.*

ibid. *Adepta est* ] Ita inferius de Coma Berenices v. 27.

*Anne bonum oblita es facinus quo regium adepta es*
*Conjugium? - - - -*

v. 58. *Cara viro magis* ] Ejus concubitu & amplexibus jam delinito. Ut enim ait Propertius Elegia 3. lib. 4.

*Omnis amor magnus: sed aperto in conjuge major.*
*Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.*

ibid. *Et minus est invisa parenti* ] Virgines nubiles grave onus parentibus esse solent; vel quod periculum est a corruptoribus, vel quod de dote cogitandum, ut honeste possint elocari. Hinc Euclio Plautinus in Aulularia Ac. 2. Sc. 2. v. 13.

*- - - - Meam pauperiem conqueror.*
*Virginem habeo grandem, dote cassam, atque illocabilem.*
*Neque eam queo locare cuiquam.*

Postquam autem viris nuptæ fuerint, ad eos jam cura servandi alendique uxores a parentibus tota translata est. Hunc versum in plerisque editionibus excipit ὑμένημα illud intercalare:

*Hymen o Hymenae, Hymen ades o Hymenae.*

Quod tamen Achilles Statius auctor est, a MSS. abesse: neque sane hoc loco requiritur, cum sermo juvenum ad novam nuptam conversus, ulterius procedat.

v. 59.

Et tu ne pugna cum tali conjuge, virgo.
Non æquum est pugnare, pater quoi tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est. ex parte parentum est.
Tertia pars matri data, pars data tertia patri,
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

## L X I I.

Super alta vectus Atys celeri rate maria,

Phry-

v. 59. *Et tu* ] Hanc esse lectionem veterum codicum pæne omnium, testantur Antonius Parthenius, Palladius Fuscus, Achilles Statius, & Isaacus Vossius. Editiones recentiores præferunt *At*, minus recte.

v. 62. *Ex parte parentum est* ] Id quod poeta noster quasi per jocum hic dicere videtur, Nausicaa, regia virgo, apud Homerum Odyssеæ lib. 9. v. 286. serio significat his verbis:

Καὶ δ' ἄλλῃ νεμεσῶ ἥ τις τοιαῦτά γε ῥέζοι,
Ἥ τ' ἀέκητι φίλων πατρὸς καὶ μητρὸς ἐόντων
Ἀνδράσι μίσγηται, πρίν γ' ἀμφάδιον γάμον ἐλθεῖν.

*Atque alii succenserem quacumque talia faceret,*
*Quæ invitis caris patre & matre viventibus*
*Viris misceretur, priusquam palam nuptiæ advenissent.*

Filiarum igitur virginitas ab heroicis usque temporibus in matris æque ac patris potestate semper fuit.

Argument. Carm. LXII. ] *Cum Atys in nemus Cybelæ sacrum venisset, magna comitum stipatus manu, furore correptus virilia amputavit sibi. Idem fecere ceteri quoque qui cum eo venerant. Tum per aliquod tempus, ut mos sacrorum ferebat, tumultuati obdormierunt. Expergefactus Atys, cum ad se redîsset, cœpit lamentari conditionem suam; etiamque de repetenda patria cogitabat: cum Cybele objecto leone eum ita perterrefecit, ut ab ultimo litore, quo jam processerat, iterum in nemoris opacitatem compulerit: ubi omne reliquum vitæ spatium exegit.* Verba sunt M. Antonii Mureti. A communi porro interpretum sententia longe abit Isaacus Vossius, qui censet, Atyn de quo Catullus hoc carmine, non esse Phrygem illum pastorem a Cybele dilectum; quoniam is non mari advenerit, sed in ipsa natus & educatus fuerit Phrygia: quapropter minime dubitandum putat, quin Atynis nomine significet poeta nobilem aliquem juvenem, qui e Græcia in Phrygiam migraverit, atque ibi semivirorum Magnæ Matris cantu in furorem actus, virilia sibi ipse exciderit, comitibusque & famulis suis, ut idem facerent, persuaserit. Cui Vossii opinioni pæne arbitror adsentiendum. Porro, de hoc genere carminis quod Galliambum appellant, satis multa diximus ἐν διατριβῇ de Metris Catullianis,

Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Adiitque opaca silvis redimita loca deæ:



nis, quam huic nostro Commentario præposuimus. Id tantum hoc loco monendum existimamus, Galliambum ab anapæsto pede incipere, & in anapæstum pariter desinere, propterea quod is pes ad excitandas animi perturbationes idoneus maxime sit. Memorabile est enim quod scribit Cicero lib. 2. Tuscul. Quæst. *Non adhibetur*, ait, *Spartæ ulla sine anapæsto adhortatio: quod factum puto, quia vehementem esse oportet, & celeri impetu ferri, ut magis animos feriat auditorum*. Hoc autem genere versuum potissimum, a veteribus Græcis poetis fabulas de Atyne & Cybele monumentis litterarum traditas, testis est Martialis Epigr. 86. lib. 2.

*Nec dictat mihi luculentus Attis*
*Mollem debilitate Galliambum*.

Antiquorum porro Latinorum, nemo, præter Catullum, cujus quidem scripta ætatem tulerint, Galliambum composuit. Nam ex iis quos longa vetustas nobis invidit, Cæcilius quidam, nostri poetæ familiaris, huic operi, aut simili certe, manum admoverat. Vide supra Carmen XXXV. Post renatas demum litteras docti atque egregii viri nonnulli Catullum hac quoque scribendi ratione imitari conati sunt: in quibus principem locum obtinere mihi videtur elegantissimus Muretus. Eo quidem successu id præstitit, ut Germanus Valens Pimpontius ad lib. 2. Georgicon. Virgilii v. 392. versiculos nescio quos ex isto Mureti Galliambo, perinde ac si Catulli fuissent, in medium protulerit; quin immo & Virgilium eos imitatum fuisse, affirmaverit. Cujus insignis παραβλέψεως (nisi potius μνημονικὸν ἁμάρτημα vocari debet, qualia multa peccari solent a viris etiam doctissimis, dum scilicet memoriæ nimium confidunt) culpa in summam Mureti elegantiam conferenda est, qui ad minime fucatam veterum auctorum Latinitatem scribendo quam proxime accessit. Non enim id uni Pimpontio accidit, verum etiam, quod mirere, Josepho Scaligero, Criticorum patri, & prorsus emunctæ naris viro; quem videlicet nonnullis versibus a se compositis, Accioque ac Trabeæ subdole affictis Muretus decepit: adeo scite os homini oblinens, ut ingentes postea inimicitiæ inter ipsum ac Scaligerum exortæ sint. Ceterum Atynis fabulam, præter alios plures, persequuntur Ovidius lib. 4. Fastorum a v. 223. & Lactantius lib. 1. Divin. Instit. cap. 17.

v. 2. *Phrygium nemus* ] Ἄρκτον ὀμφαλόεσσαν, ut ait Nicander initio Alexipharmacorum v. 7. Docet Vossius in commentario ad Catullum, *Arctum* vocatum fuisse montem Cyzicenum, Berecynthiæ sacrum; quem ideo Nicander ὀμφαλόεσσαν appellaverit, quod umbilicum sive antrum in medio haberet, ubi Magnæ Matri & Atyni victimæ mactarentur. In eo specu montis Arcti (cui monti & Lobrina nomen fuit) visebatur sacellum Cybeles, in quo erat juvenca marmorea affabre admodum facta.

v. 3. *Silvis redimita loca* ] Eadem sermonis elegantia Ovidius lib. 5. Metam. v. 388.

*Silva coronat aquas, cingens latus omne; suisque*
*Frondibus, ut velo, Phœbæos summovet ictus.*

Et libro 9. ejusdem operis v. 334.

*Est lacus, acclivi devexo margine formam*
*Litoris efficiens: summum myrteta coronant.*

Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi
Devolvit illa acuta sibi pondera silice.

Ita-

v. 4. *Furenti rabie* ] De furore Gallorum, seu Corybantium Berecynthiæ sacerdotum, hæc leguntur apud Stephanum in libro de Urbibus, verbo Γάλλος: Γάλλος, inquit, ποταμὸς Φρυγίας. οἱ περίοικοι * Προμαθίδαν Ποταμογαλληνοί, ὡς παρατίθεται ὁ Πολυΐστωρ ἐν τῷ περὶ Φρυγίας τρίτῳ· καὶ ὅτι τὸν Γάλλον καὶ τὸν Ἄττιν ἀποκόψαι τὰ αἰδοῖα. καὶ τὸν μὲν Γάλλον ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν Τηρίαν ποταμόν, καὶ οἰκῆσαι, καὶ τὸν ποταμὸν Γάλλον καλέσαι. ἀπὸ ἐκείνου γὰρ τοὺς τεμνομένους τὰ αἰδοῖα Γάλλους καλοῦσι. i. e. *Gallus, Phrygiæ amnis, cujus accolæ, uti Promathidas auctor est, Potamogalleni vocantur, eosque adducit Polyhistor lib. 3. de Phrygia. Perhibetur, Gallum & Attin exsecuisse pudenda; & Gallum quidem pervenisse ad Tyriam fluvium, ibique habitâsse, & amnem Gallum appellâsse. Ex illo enim, pudendis amputatis Gallos nominant.* Hunc Stephani locum recitat Statius Lusitanus, nec tamen Latinam interpretationem affert: quod Græce nescientibus valde incommodum.

v. 4. *Vagus animi* ] Extra se raptus, ut solent insanientes. *Vagus animi*, dixit Catullus, quemadmodum Terentius, *animi, aut consilii incertus*, & Cicero, *animi pendere*.

v. 5. *Devolvit* ] Maxime proprio vocabulo usus est poeta noster ad testiculos abscissos significandos. nôrunt enim qui ἀνατομῇ operam dederunt, virorum testes, ac præsertim iis adjunctas epididymides, ex tenuissimis vasculis constare, in quibus genitale semen elaboratur. ea porro vascula ita plexa, & convoluta esse, ut sunt fere in abdomine intestina. Dum igitur testes ferro demetuntur, devolvi quodammodo atque explicari incipiunt.

ibid. *Illa pondera* ] Ut carminis gravitati consulat, rem obscœnam paucitate verborum innuit potius, quam explicet; idque κατ' εὐφημισμόν. Sic in Elegia ad Januam v. 27.

*Quærendumque necunde foret nervosius illud,*
*Quod posset zonam solvere virgineam.*

Hoc Plautus Casina Ac. 5. Sc. 2. v. 40. ita verecunde adumbravit: *sapit veste id qui estis;* notam scilicet virilem. Aristophanes Plauto præiverat in Acharnensibus v. 1148. τῷ δὲ καθεύδειν μετὰ παιδίσκης ὡραιοτάτης, ἀνατριβομένῳ τε τὸ δεῖνα. *Alii vero* contingat *dormire cum ancilla pulcherrima, & illud conterere.* quæ verba comœdum gestu adjuvare, & δεικτικῶς pronuntiare oportebat; ut Scholiastes ad eum locum docet. τὸ δεῖνα. τουτέστι, inquit, τὸ αἰδοῖον, κατ' εὐφημισμόν. ἔστι δὲ παρεπιγραφή. καὶ γὰρ γέλωτος χάριν ἅμα τῷ λόγῳ τὸ αἰδοῖον ἐπιδείκνυται. *Hoc est, pudendum; ne honos sit auribus. est autem descriptio. risûs enim gratiâ, cum dicto simul digitum ad pudendum intendit.* Ovidius pariter lib. 3. Artis Amat. v. 92.

*Sufficit, & damni pars caret illa metu.*

nempe γυναικεῖον αἰδοῖον. Epictetus autem Sententia 88. καί τι τῶν ἀναγκαίων ποιήσαντα, ἀπονίζειν ἐκεῖνα τὰ μέρη. *Et post opus aliquod necessarium partes illas abluere.* Postremo D. Augustinus lib. 14. de Civ. Dei cap. 23. *Nec ideo tamen incredibile debet videri, etiam illud unum sine ista libidine voluntati potuisse servire, cui tot membra nunc serviunt.* & paullo post: *illa membra*, αὐτὰ τὰ αἰδοῖα. Ceterum διδύμους, quos mente capti Rheæ sacerdotes sibi amputabant, *exta obscœna* vocavit Minutius Felix in Octavio: *Aut cui exta sunt obscœna demessa, quomodo Deum violat, qui hoc modo placat! cum si eunuchos*

Deus

Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro:
Et jam recente terræ sola sanguine maculans,
Niveis citata cepit manibus leve tympanum,
Tympanum tubam Cybelles, tua, Mater, initia.

Qua-

*Deus vellet, posset procreare, non facere.*

ibid. *Acuta silice* ] Cultello lapideo, quo utebantur etiam veteres Hebræi ἐν τῇ τῶ αἰδοίυ ἀκροτομῇ. Vide Exodi caput 4. v. 25. Sed & *Samiam testam* ab insanis Corybantibus ad idem opus fuisse adhibitam, testatur luculente Juvenalis Sat. 6. v. 511.

*- - Matrisque deûm chorus intrat, & ingens*
*Semivir, obscœno facies reverenda minori,*
*Mollia qui rupta secuit genitalia testa*
*Jampridem, cui rauca cohors, cui tympana cedunt*
*Plebeja, & Phrygia vestitur bucca tiara.*

Martialis quoque id attigit Epigr. 81. lib. 3.

*Abscissa est quare Samia tibi mentula testa?*

v. 6. *Membra sine viro* ] Corpus virilitate spoliatum, & omnino defectum. Ita locuti Horatius & Propertius. ille Epodo 15. v. 12.

*Nam si quid in Flacco viri est,*
*Non feret assiduas potiori te dare noctes.*

hic vero Elegia 5. lib. 2.

*Omnia me lædunt: timidus sum: ignosce timori.*
*Et miser in tunica suspicor esse virum.*

sibi enim timere se dicit ab ipsis tunicis quas indueret amica, ne forte aliquid virile continerent & absconderent, quod juratam ab ea sibi fidem temerare posset.

v. 7. *Terra sola* ] Lucretius lib. 2. v. 592.

*Nam multis succensa locis ardent sola terræ.*

Et prior Lucretio Ennius lib. 3. Annalium:

*Tarquinio dedit imperium, simul & sola regni.*

Etymologiam Varronis minus probo, qui lib. 4. de Lingua Latina sic scribit: *Igitur tera terra, & ab eo appellârunt poetæ summa terræ, quæ sola teri possunt, sola terræ.* Obstat enim syllabæ prioris quantitas diversa, quæ in voce *solum*, cum ea vox μόνον Græcorum significat, longa est; cum vero summam terræ superficiem, corripitur.

v. 8. *Niveis* ] Nivis candorem imitantibus.

ibid. *Citata* ] Hactenus poeta locutus est de Atyne, ut de mare: nunc incipit de eodem loqui, tamquam de evirato, & in feminam quodammodo converso.

ibid. *Tympanum* ] Ita legendum omnino est, non *typanum*, quæ vox Græcorum poetarum est. Apollonius Rhodius lib. 1. Argonautic. v. 1139.

*Ῥόμβῳ καὶ τυπάνῳ Ῥείην Φρύγες ἱλάσκονται.*
*Rhombo & tympano Rheam Phryges placant.*

Ubi Scholiastes vetus: Ὅθεν καὶ Φρύγες κυμβάλοις καὶ τυμπάνοις Ῥέαν ἱλάσκονται. In voce autem *tympanum* apud Catullum hoc loco exteritur *m* in dimensione versus, ut numerorum ratio constet.

v. 9. *Tympanum tubam Cybelles* ] Ut recte Vossius monuit, in sacris Cybeles nullus erat tubarum usus: sed



pro

Quatiensque terga tauri teneris cava digitis,

Ca-

pro illis tympana pulsabantur. Catullus igitur elegantissime vocat tympanum Cybeles tubam, quod scilicet vicem tubæ fungeretur. Et hæc quidem translatio verecundior aliquanto mihi videtur ea translatione qua pateram, clypeum Liberi patris, & rursum clypeum, pateram Martis, recte ac proportione servata dici posse, affirmare videtur Aristoteles lib. 3. Rhetoricorum, ubi optimæ translationis præcepta exponit: Οἷον, inquit, *εἰ ἡ φιάλη ἀσπὶς Διονύσου· ϗ τὴν ἀσπίδα ἁρμόττει λέγεσθαι φιάλην Ἄρεως*. Eodem prope pacto Catullus Carm. de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 9. navem a Minerva recens fabricatam, *currum levi flamine volitantem* appellare non dubitat; de qua catachresi, cum ad eum locum explicandum pervenero, plura sum dicturus.

ibid. *Mater* ] Magna deorum Mater. Est apostrophe ad Cybelem.

ibid. *Initia* ] Mysteria, aut mysteriorum insignia. Varro lib. 3. de R. R. cap. 1. *Initia vocantur potissimum ea quæ Cereri fiunt sacra*. nimirum ob antiquitatem, quod agricolarum vita urbanam longe præcesserit. Sunt qui accipiant de crepundiis, quibus Cybele in infantia delectata sit. Hæc porro crepundia tympanum & cymbalum fuisse ajunt.

v. 10. *Terga tauri* ] Corium e tergo bovis detractum, unde tympana fiebant: prætenta scilicet pelle bubula ligneo cylindro, ut & hodie fieri solet. Ovidius lib. 4. Fastorum v. 341.

*Exululant comites, furiosaque tibia flatur,*
*Et feriunt molles taurea terga manus.*

Idem lib. 2. Artis Amat. v. 655. quamquam ibi de tympano mentio nulla:

*Ferre novæ nares taurorum terga recusant:*
*Assiduo domitas tempore fallit odor.*

Significat, homines nondum assuetos, tætro corii bubuli odore vehementer offendi, assuetos vero, puta coriarios, non perinde affici, ac vix animadvertere. Ausonius Epist. 25. v. 21.

*-- Teutis reboant cava tympana tergis.*

Non possum autem hoc loco me temperare, quin Julii Cæsaris Scaligeri animos atque audaciam retundam, qui Exercitatione 127. de Subtilitate, Hieronymum Cardanum injuria reprehendit, quod scripsisset: *Imago beati Joannis Baptistæ tergo cameli tecti*; aitque, eos qui *Latina puritate* delectentur, numquam pro *corio tergum* ponere. Sed ipse iniquus ac temerarius censor potius reprehendendus est, qui a *puritatis* vocabulo non abstineat, quod nemo bonorum Latinitatis auctorum usurpavit. Nam quod ad Cardanum attinet, is locutionem a Scaligero notatam, idoneorum testium auctoritate tueri & comprobare potest; cum præter Catullum & Ovidium, alii quoque non contemnendi scriptores ea uti non dubitaverint. Seneca Epistola 90. *Non hodieque magna Scytharum pars, tergis vulpium induitur, ac murium, quæ tactu mollia, & impenetrabilia ventis sunt?* Corn. Tacitus Annalium lib. 15. de suppliciis Christianorum sub Nerone: *Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent*. cui loquendi modo Cardani locutio quam simillima. Virgilius 1. Æneid. v. 368.

*Taurino quantum possent circumdare tergo.*

Valerius Flaccus lib. 2. Argon. v. 108.

*Dux Lemni, puppes tenui contexere canna*
*Ausus, & inducto cratem defendere tergo.*

nimirum bovis corio; quod manife-

stum

Canere hæc suis adorta est tremebunda comitibus.
Agite ite ad alta, Gallæ, Cybeles nemora simul,

Si-

stum e Lucani lib. 4. Pharsaliæ versu 130.

*Primum cana salix madefacto vimine parvam*
*Texitur in puppim, cæsoque inducta juvenco*
*Vectoris patiens tumidum superenatat amnem.*

*cæso juvenco*. i. e. cæsi juvenci corio. Idem Valerius Flaccus lib. 4. v. 282. ubi Pollucis & Amyci pugilatum describit: *Inflictaque late Terga sonant*. i. e. cestus e corio boum consuti. quod ex Virgilio sumsit Æneid. 5. v. 404.

*- - - - Tantorum ingentia septem*
*Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant:*

Postremo, *tergum bovis* ac *terga capri* pro utre e corio bubulo, & hircina pelle confecto dixit Ovidius. Nam lib. 14. Metamorph. v. 224. ita loquitur:

*Æolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos,*
*Quos bovis inclusos tergo, memorabile munus,*
*Dulichium sumsisse virum - - -*

Et lib. 15. ejusdem Operis v. 303.

*- - - - Ceu spiritus oris*
*Tendere vesicam solet, aut derepta bicorni*
*Terga capro - - - - - - -*

Idem poeta *tergora taurorum*, & *terga boum* pro pellibus taurinis, quæ clypeos veterum heroum, Ajacis præcipue atque Achillis, tegebant, usurpare non dubitavit. Nam lib. 3. Artis Amat. v. 111.

*Scilicet Ajaci conjux ornata venires,*
*Cui tegimen septem terga fuere boum.*

Et lib. 12. Metam. v. 95.

*Dixit: & hæsurum clypei curvamine telum*
*Misit in Æaciden: quod & æs, & proxima rupit*
*Terga novena boum - - - -*

Et lib. 13. ejusdem poematis v. 346.

*- - - - Frustra Telamone creatus*
*Gestâsset læva taurorum tergora septem.*

ibid. *Digitis* ] Suetonius in Octavio cap. 68.

*Videsne ut cinædus orbem digito temperet?*

v. 11. *Tremebunda* ] Artubus trementibus, capite nutanti. Tibullus Elegia 5. lib. 2. de Sibylla furente, ac futura prædicente:

*Hæc cecinit vates, & te sibi, Phœbe, vocavit;*
*Jactavit fusa sed caput ante coma.*

v. 12. *Alta nemora* ] In vertice montium consita. Vel penitissimas nemorum partes significat, ubi arbores incæduæ, & ferarum cubilia.

ibidem. *Gallæ* ] Semiviros Matris deûm Gallas vocat; nempe mulieribus potius quam viris deinceps annumerandos. Et sane, virili veste deposita, muliebrem sumebant. Existimat Isaacus Vossius, hanc appellationem a Gallis Asiaticis seu Gallogræcis duxisse originem, qui cum bellica virtute Ponticas gentes domuissent, iisdemque diutius imperâssent, ipsi tandem a Manlio Vulsone, Romanarum copiarum duce, bello perdomiti, in Romanorum ditionem imperiumque concesserunt. Censet autem, hos populos, quod in agris colendis multum operæ temporisque consumerent, iccirco Magnæ Matri, perinde ac Phryges, inservire dictos. Ostendit præterea Livii testimonio, non tam ovum ovo simile esse, quam hujus nationis mores moribus & ceremoniis Gallorum Cybeles sacerdotum.

 v. 23.

Simul ite, Dindymenæ dominæ vaga pecora,
Aliena quæ petentes, velut exsules, loca,
Sectam meam exsecutæ, duce me, mihi comites
Rapidum salum tulistis, truculentaque pelagi,
Et corpus evirastis Veneris nimio odio.
Hilarate hero citatis erroribus animum.

Mo-

v. 13. *Dindymenæ dominæ* ] Quæ in Dindymis, Phrygiæ majoris monte, præcipua quadam religione colebatur: unde ipsa Dindymene appellata. Horatius Ode 16 lib. 1.

*Non Dindymene, non adytis quatit*
*Mentem sacerdotum incola Pythius,*
*Non Liber æque; non acuta*
*Sic geminant Corybantes æra;*
*Tristes ut iræ - - - - - -*

ibid. *Vaga pecora* ] Homines ad servitutem natos *pecora* dicebant: reges autem ac duces ποιμένας λαῶν, *pastores populorum*, quod vel ex Homeri poematis notum est. Modo memoratus poeta Venusinus Ode 1. lib. 3.

*Regum timendorum in proprios greges,*
*Reges in ipsos imperium est Jovis.*

Nisi mavis opinioni Vossii subscribere, putantis, ideo Cybeles ministros *pecora* a Catullo appellari, quod, tamquam jumenta, sellam Magnæ Matris gestare solerent, quandocumque asinus defuisset.

v. 14. *Velut exsules* ] In dimensione hujus versus, numeri pessime laborant. suspicor propterea, locum esse corruptum. Vossius addit *celere*, i. e. *celeriter*: sed tamen parum proficit.

v. 15. *Sectam . . . exsecutæ* ] Quinctilianus Instit. Orator. lib. 5. cap. 7. *Inter Stoicos & Epicuri sectam secutos pugna perpetua est*. Eadem ταυτολογίᾳ infra v. 47. *reditum ad vada tetulit*, pro *rediit*, ἁπλῶς.

ibid. *Duce me, mihi comites* ] Tibullus Elegia 6. lib. 3.

*Neve neget quisquam me duce se comitem.*

v. 16. *Truculentaque pelagi* ]

*Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto,*

ut loquitur divinus Maro Æneid. lib. 7. v. 200. Sic Horatius *acuta belli*, & Propertius *dura levitatis* dixerunt; quod Scaliger pridem animadvertit. Similes loquendi modi apud Cornelium Tacitum sæpius occurrunt. Apulejus initio lib. 1. Metamorphoseos: *Post ardua montium, & lubrica vallium, & roscida cæspitum, & glebosa camporum emensa*. Sed fortasse scripserat Catullus *truculentaque pelage*, numero multitudinis. τὰ πελάγη. quam vocem imperiti librarii minus intelligentes, fœde corruperint. Lucretius lib. 6. v. 619.

*At pelage multa, & late substrata videmus.*

v. 17. *Corpus evirâstis* ] Id quo viri eratis, exsecuistis: masculam vim pessum dedistis.

ibid. *Veneris nimio odio* ] Non tamen eximius quidam castitatis amor, vel odium τῶν ἀφροδισίων caussa fuit, quamobrem insanientes Berecynthiæ ministri spem liberorum omnem a se projicerent; sed potius immodica superstitio, & artes mangonum illorum, qui pueros vocales undique conquirebant, & inventos exsecabant, ut virilitate deposita suavius canere possent. Hos autem quæstui habebant, & ex illorum cantu plurimum lucri faciebant.

v. 18. *Hero* ] Nimirum Atyni duci vestro, ob recens vulnus graviter dolenti. τὸ *hero* addit Vossius, ex vesti-

Mora tarda mente cedat: ſimul ite, ſequimini 19
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora deæ:
Ubi cymbalum ſonat vox, ubi tympana reboant,

Ti-

ſtigiis priſcæ ſcripturæ. Legunt alii: *Hilarate excitatis*, ut poſt anapæſtum hiatus in carmine relinquatur, ſynalœphe neglecta. ita enim conſtat menſura verſus.

ibid. *Citatis erroribus* ] Feſtinis, & properis diſcurſibus.

v. 21. *Cymbalûm vox* ] Pro *cymbalorum*. κατὰ συγκοπήν. Porro mugitus, tympanorum proprius fuit; tinnitus contra & crepitus, cymbalorum. Notavit hoc diſcrimen Seneca lib. 2. Natur. Quæſtionum cap. 29. *Præter hæc*, inquit, *natura aptus eſt aer ad voces. Quid ni? cum vox nihil aliud ſit, quam ictus aer. Debent ergo nubes utrimque diſſecari, & cava & intenta. Vides enim quanto vocaliora ſint vacua, quam plena, quanto intenta, quam remiſſa. Ita tympana & cymbala ſonant: quia illa repugnantem ex ulteriore parte ſpiritum pulſant, hæc ad ipſum aerem acta, niſi concavo, non tinniunt.* Cymbala fiebant ex ære, concava intus. Cymbaliſtriæ vero mulieres bina cymbala geſtabant, alterum dextra manu, ſiniſtra alterum: quorum labia invicem applicabant, ſcite collidentes: unde tinnitus. Amalarius Fortunatus apud Laurentium Pignorium Patavinum, virum doctiſſimum, in egregio opere de Servis: *Cymbala invicem tanguntur, ut ſonent: ideo a quibuſdam labiis noſtris comparata ſunt.* Idem Pignorius plura de tympani & cymbali differentia in medium producit, quæ ſtudioſos antiquitatis legiſſe non pœnitebit. Quomodo cymbala pulſarentur, indicat etiam Philoſtratus junior in Imagine Comi. Μιμεῖταί τινα, inquit, ἡ γραφὴ καὶ κρότον, οὗ μάλιστα δεῖται ὁ Κῶμος. καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσταλμένοις, ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν πλήττει εἰς τὸ κοῖλον, ἵν' ὦσιν αἱ χεῖρες σύμφωνοι, πληττόμεναι τρόπῳ κυμβάλων. i. e. *Plauſum etiam quemdam imitatur pictura, cujus maxime indiget Comus. Nam dextera contractis digitis ſubjectam ſiniſtram ad cavum ferit; ut percuſſæ manus, cymbalorum more, fiant conſonæ.* Iccirco Auſonius Epiſt. 25. v. 20. *Cymbala dant ſlictu ſonitum.* nimirum colliſione, dum alterum alteri infligitur. Hanc porro Corybantum inſaniam pulchre deſcribit Lucianus in dialogo Veneris & Cupidinis: Οἱ Κορύβαντες δὲ, ὁ μὲν αὐτῶν, τέμνεται ξίφει τὸν πῆχυν· ὁ δὲ ἀνεὶς τὴν κόμην, ἵεται μεμηνὼς διὰ τῶν ὀρῶν. ὁ δὲ αὐλεῖ τῷ κέρατι· ὁ δὲ ἐπιβομβεῖ τῷ τυμπάνῳ, ἢ ἐπικτυπεῖ τῷ κυμβάλῳ. καὶ ὅλως, θόρυβος καὶ μανία τὰ ἐν τῇ Ἴδῃ ἅπαντά ἐστι. i. e. *Corybantum vero, alius ſuum ipſe brachium enſe reſecat: alius, demiſſa coma, per montes fertur inſanus: alius cornu canit, alius tympano ſtrepitum facit, alius cymbalum pulſat. Breviter, omnis Ida tumultus atque inſaniæ omnino plena eſt.* Porphyrius philoſophus in Epiſtola ad Anebonem Ægyptium: Ὡς τῶν ἐξισταμένων ἐνιοί τινες αὐλῶν ἀκούοντες ἢ κυμβάλων, ἢ τυμπάνων, ἢ τινος μέλους ἐνθουσιῶσιν, ὡς οἵ τε Κορυβαντιζόμενοι, καὶ οἱ τῷ Σαβαζίῳ κάτοχοι, καὶ οἱ μητρίζοντες. i. e. *Video autem in iis qui fiunt exſtatici, alios ita affici ſi audierint cymbala forte, aut tympana, aut certum quoddam melos; quod accidere videmus iis qui co*rybantiſmum *patiuntur, ſed & iis qui Sabazio obſidentur, quique deorum Matri operantur.* Quibuſcum concinit Lucretius lib. 2. v. 618.

*Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum*
*Concava:rauciſonoq; minantur cornua cãtu;*

*Et*

Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,

Ubi

*Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.*

Nec non Claudianus lib. 1. de Raptu Proserpinæ v. 208.

*Postquam visa Ceres, mugitum tympana frenant;*
*Conticuere chori; Corybas non impulit ensem;*
*Non buxus, non æra sonant - - -*

*Buxus*, i. e. tibiæ buxeæ, quas inflabant ministri Cybeles. *æra* posuit Claudianus pro *cymbalis æreis*: non enim audiendus Caspar Barthius ad eum locum, qui *æra*, illisos enses interpretatur.

v. 21. *Reboant* ] Verbo admodum apto, & rei descriptæ conveniente utitur poeta noster. Nam *reboare*, est boum seu taurorum vocem imitari. tympanum vero e tauri corio, ut superius diximus. Ausonius Epist. 25. *Teutis reboant cava tympana tergis.*

v. 22. *Tibicen ubi canit* ] *Tibicen* Latinis dictus, quem αὐλητὴν Græci appellant, quasi *tibia*, vel *tibiis canentem*. Porro, *tibia*, Græce αὐλὸς: *canere* autem *tibiis*, αὐλεῖν: *succinere*, ὑπαυλεῖν: ipse vero *tibiæ cantus*, αὔλημα. Laudabantur tibicines a manuum agilitate ac dexteritate: & si pleno spiritu tibias inflarent, in quo scilicet magnitudo, sonus, vigor manifesto apparerent: præterea si minime vultuosos se præberent, neque faciei statum a recto multum immutarent. Id erat nimirum venuste canere, & ut peritos decebat. Contra, eos improbabant qui maxillas inter canendum, præter modum, tumefacerent, labia diducerent, sanguineam oculorum aciem intorquerent: vel rursum, segnitiem quamdam præseferrent, lenteque ac remisse spiritum in tibiam adigerent. De quibus tibicinum virtutibus & vitiis loquitur Julius Pollux lib. 4. Onomastici cap. 9. sect. 67. Consulendus etiam Philostratus de Vita Apollonii Tyanensis lib. 5. cap. 21. Hanc faciei turpitudinem veritus Nero Cæsar, cum esset musicæ studiosus, axillis utrem subjiciebat, eoque presso tibiam inflabat, teste Dione Chrysostomo extrema Oratione 70.

ibid. *Phryx* ] Quatuor erant apud veteres Græcos harmoniæ; Dorica, Phrygia, Lydia, Ionica: quibus addebant σύντονον, seu continuam. Cum vero ad modos Lydios, Phrygios, & Dorios incinendos diversis olim tibiis uterentur, ut nimirum singulæ singulos incinerent; primus Pronomus tibicen Thebanus, omnium qui ad id tempus exstiterant, præstantissimus, vulgoque acceptissimus, ejusmodi tibias excogitavit, quæ inflatæ modos omnes eædem redderent. Hoc autem invento statuam is promeritus fuit. Vide Pausaniam in Bœoticis cap. 12.

ibid. *Curvo* ] Hoc loco non tibiam obliquam, seu πλαγίαυλον, intelligendam, erudite monet Isaacus Vossius; quæ non ideo appellaretur obliqua, quod curva esset, sed quod oblique inflaretur, ita ut tibicines ea utentes, caput in lævum humerum declinare cogerentur: verum Phrygiam potius tibiam e calamo, quæ tametsi tenuis admodum, & recta esset, gravem nihilominus ederet sonum, propter cornu aut κώδωνα æreum calamo adfixum: quem iccirco inflexum apponebant, ut gravius resonaret. Huc pertinent illa Papinii Statii lib. 6. Thebaidos v. 120.

*Cum signum luctus cornu grave mugit adunco*
*Tibia, cui teneros suetum producere manes*
*Lege Phrygum mæsta - - - - - -*

ibid. *Grave* ] Nisi κώδων æreus tibiæ

Phry-

Phrygiæ appositus fuisset, ea non gravem, sed acutum sonum edidisset. Tradit enim Bacchius in Artis Musicæ Introductione, septem fuisse canendi modos; Myxolydium, Lydium, Phrygium, Dorium, Hypolydium, Hypophrygium, Hypodorium. Horum acutissimum fuisse Myxolydium; gravissimum, contra, Hypodorium. Phrygius vero modus gravior erat aliquanto quam Lydius, nimirum, hemitonio: acutior vero quatuor gradatim sequentibus.

ibid. *Calamo* ] Syringem quidem, certam videlicet plurium tibiarum compositionem, καλαμίνην, i. e. *arundineam*, vocavit Aristophanes apud Pollucem lib. 4. cap. 9. sect. 67. sed & singularum tibiarum materiam nonnumquam arundineam fuisse, tradit idem Onomastici auctor eodem capite: quamquam ex alia quoque materia parari tibiæ solerent; ex ferro puta, loto, buxu, cornu, ebore, aut lauri humilioris ramo excavato. Tibia porro ἔλυμος proprie nominata, Phrygum inventum, e buxo potissimum fuit. Quapropter in poetarum carminibus, cum de Cybele ejusque sacerdotibus agitur, *buxus* pro *tibia* sæpenumero usurpatur.

Ceterum Phrygius modus homines ad insaniam & furorem concitabat. Quinctilianus lib. 1. cap. 10. *Est etiam*, inquit, *non inerudite ad declamandum ficta narratio, in qua ponitur tibicen, qui sacrificanti Phrygium cecinerat, acto illo in insaniam & per præcipitia delato, accusari quod caussa mortis exstiterit*. Seneca item Epistola 108. *Quidam ad magnificas voces excitantur, & transeunt in affectum dicentium, alacres vultu & animo: nec aliter concitantur, quam solent Phrygii tibicinis sono semiviri, & ex imperio furentes*. Quibuscum facit Lucretius lib. 2. v. 620.

*Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.*

Hujusmodi cantus memorat Lactantius in Epitome Divin. Instit. cap. 3. *Ut taceam de cantibus, qui sensus intimos ita sæpe deliniunt, ut etiam status mentis furore perturbetur compositis certis orationibus, numerosisque carminibus*. Et hæc quidem caussa fuit, cur Aristoteles lib. 8. de Republica cap. 6. usum tibiarum in pueris ingenuis tantopere improbaverit. Ἔτι, ait, δ' οὐκ ἔστιν ὁ αὐλὸς ἠθικὸν, ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικόν. *Præterea tibia non est organum ad mores mitiores exprimendos aut inserendos aptum (ethicum Græci appellant, nos morale dicamus) sed potius ad animos furore quodam Bacchico stimulandos accommodatum*. Et paullo post affirmat: κωλύειν τῷ λόγῳ χρῆσθαι τὴν αὔλησιν. *tibiæ cantum prohibere uti ratione*. Vide & Longinum sect. 39. libelli περὶ ὕψους. Contra, erant harmoniæ quædam ad sedandos componendosque animos a sapientibus viris regendæque civitatis peritissimis comparatæ. Ut enim refert Censorinus cap. 12. libelli de Die Natali, *Asclepiades medicus phreneticorum mentes, morbo turbatas, sæpe per symphoniam suæ naturæ reddidit*. Memorabilia sunt in hanc rem verba Gellii e lib. 1. Noct. Attic. cap. 11. *Auctor historiæ Græcæ gravissimus Thucydides, Lacedæmonios summos bellatores non cornuum tubarumve signis, sed tibiarum modulis in prœliis usos esse, refert: non prorsus ex aliquo ritu religionum, neque rei divinæ gratia, neque etiam ut excitarentur atque evibrarentur animi; sed contra, ut moderatiores modulatioresque fierent; quod tibicinis numeris temperatur. nihil adeo in congrediendis hostibus atque in principiis prœliorum ad salutem virtutemque aptius rati, quam si permulcti sonis mitioribus non immodice ferocirent*. Harum porro ἁρμονιῶν animos mulcentium ac temperantium princeps fuit Dorica. Quo pacto autem & ipsi Phrygii modi, quorum usus erat promiscuus in Cybeles & Bacchi sacris, a-

animos

Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ,
Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant,
Ubi suevit illa divæ volitare vaga cohors:
Quo nos decet citatis celerare tripudiis.
Simul hæc comitibus Atys cecinit notha mulier,

Thia-

nimos a perturbationibus purgandi vim haberent; cujus καθάρσεως mentionem facit Aristoteles cap. 6. lib. 8. Politicorum, & in libello περὶ ποιητικῆς; ac præterea Aristides Quinctilianus lib. 3. de Musica; altius repetendum foret. Sed ea disputatio perdifficilis & perobscura ab hoc instituto nostro explicandi Catullum paullo alienior esse videtur.

v. 23. *Capita vi jaciunt* ] Quod furentium & bacchantium erat. Cornelius Tacitus Annalium lib. 11. cap. 31. *At Messalina non alias solutior luxu, adulto autumno, simulacrum vindemiæ per domum celebrat. urgeri prela, fluere lacus, & feminæ pellibus accinctæ assultabant, ut sacrificantes, vel insanientes Bacchæ. ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, juxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, strepente circum procaci choro.* Hinc fortasse corrigendus locus Auctoris Rhetoric. ad Herennium lib. 3. *Sin utemur*, inquit, *amplificatione per conquestionem, femineo plangore, & capitis ictu...... uti oportebit*. Legendum ibi videtur *capitis jactu*; nisi τὸ *capitis ictu* eodem recidit, significatque capitis quassationem. Ex hoc verbo frequentativum *jactare* originem ducit, quod nonnumquam ad superbiam pertinet: superbi enim caput movent. Horatius Sat. 5. lib. 1. de Messio scurra cum Sarmento jurgiis contendente:

- - - - - - *Ridemus, & ipse*
*Messius, Accipio; caput & movet: O tua cornu*
*Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum*
*Sic mutilus minitaris?* - - -

ibid. *Mænades* ] Ita vocabantur feminæ Bacchi sacris operatæ, ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, a furendo & insaniendo. Harum porro mulierum hîc meminit poeta noster, quod Bacchi & Cybeles orgia interdum communia essent. Plutarchus in eo Commentario quem ἐρωτικὸν inscripsit: Τὰ γὰρ μητρῷα, ἢ πανικὰ, κοινωνεῖ τοῖς βακχικοῖς ὀργιασμοῖς. Vide Petrum Victorium Var. Lect. lib. 11. cap. 12.

v. 24. *Agitant* ] Celebrant. Virgilius lib. 2. Georgic. v. 527. ubi de viri agricolæ felicitate: *Ipse dies agitat festos*.

v. 25. *Volitare* ] Quam celerrime discurrere. Ita in Carmine de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 251.

*At parte ex alia florens volitabat Iacchus*
*Cum thiaso Satyrorum, & Nysigenis Silenis.*

Cicero in Pisonem: *Sex. Clodium, qui numquam antea prætextatus fuerat. ludos facere, & prætextatum volitare passus es*. Idem pro Sextio: *Non solum alacres lætosque volitare, sed etiam fortissimis atque optimis civibus periculum moliri*.

v. 26. *Tripudiis* ] Saltationibus. Livius lib. 1. Histor. de Numa Pompilio: *Per urbem ire ( Salios ) canentes carmina cum tripudiis, solemnique saltatu jussit*.

v. 27. *Simul* ] Pro *simul ac*. Italice, *tosto che*. Horatius Ode 12. lib. 1. de Dioscuris:

- - - - *Quorum simul alba nautis*
*Stella refulsit*,

De-

Thiaſus repente linguis trepidantibus ululat,
Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.
Furibunda ſimul anhelans vaga vadit animi egens,
Comitata tympano Atys, per opaca nemora dux,
Veluti juvenca vitans onus indomita jugi.
Rapidæ ducem ſequuntur Gallæ properipedem.
Itaque ut domum Cybelles tetigere laſſulæ,
Nimio e labore ſomnum capiunt ſine Cerere.
Piger his labantes langore oculos ſopor operit.
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis



*Deſluit ſaxis agitatus humor,*
*Concidunt venti, fugiuntque nubes:*

ibid. *Notha mulier* ] Ita legendum e veſtigiis veterum MSS. *Notha mulier*, i. e. non vera, ſed arte quodammodo concinnata, nimirum virilitatis amiſſione: *vir ſterilis*, ut infra loquitur v. 69. Ovidius Amorum lib. 2. Elegia 3. de ſpadone, cui teſtes exſecti:

*Hei mihi, quod dominam, nec vir nec*
*femina, ſervas.*

Sunt porro qui ſpadonem a caſtrato diſtinguant.

v. 28. *Thiaſus* ] Chorus ſacrificulorum, Cybelen colentium.

v. 29. *Recrepant* ] Iterum crepant, ſtrepitum denuo edunt.

v. 31. *Animi egens* ] Ita legit Voſſius: quod quidem elegantius eſt, quam *animo*.

v. 33. *Veluti juvenca vitans o. i. jugi* ] Animantes enim nondum cicures, laſciviores plerumque ſunt. Horatius Ode 11. lib. 3.

*Quæ, velut latis equa trima campis,*
*Ludit exſultim, metuitque tangi.*

v. 34. *Properipedem* ] Sequor Voſſii lectionem, quæ Galliambi & dithyrambici carminis genio magis convenire mihi videtur; quam vulgata, *pede propero*. Amat enim Catullus in hoc poemate uti vocibus compoſitis, more poetarum Græcorum. Ejuſmodi ſunt, *hederigeræ*, *ſonipedibus*, *heriſugæ*, *ſilvicultrix*, *nemorivagus*. quod & Janus Meleager olim animadverterat.

v. 35. *Laſſulæ* ] Ὑποκοριστικὸν, quo exprimitur ſuavis quidam languor, & non immodica laſſitudo ex diſcurſu contracta.

v. 36. *Sine Cerere* ] Eunt cubitum incœnatæ, ut loquitur Plautus Pſeudolo Ac. 3. Sc. 2. v. 57.

v. 37. *Labantes langore* ] Ita Voſſius, non *labante*: vereor tamen, ut recte. hac enim lectione, ſententiæ potius, quam verſus rationi conſulitur.

v. 39. *Oris aurei Sol* ] I. e. ore aureo. *Solem aureum* dixerunt Ennius, atque Virgilius. Ille Annalium lib. 1. apud M. Tullium lib. 1. de Divinatione:

*- - - Simul aureus exoritur Sol.*

Hic Georgicon lib. 1. v. 232.

*Per duodena regit mundi Sol aureus*
*aſtra.*

& alibi. χρυσοφαῆ ἥλιον Græci appellant; quod animadvertit Hieronymus

Lustravit æthera album, sola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus,
Ibi somnus excitum Atyn fugiens citus abiit:
Trepidantem eum excepit dea Pasithea sinu.
Ita de quiete molli rapida sine rabie
Simul ipsa pectore Atys sua facta revolüit,
Liquidaque mente vidit, sine queis, ubique foret,
Animo æstuante rursum reditum ad vada tetulit.

Ibi

Columna ad Ennii fragmenta. Propertius pariter dixit, *cinnamon multi odoris*, pro *multo odore*, Elegia 11. lib. 3.

v. 40. *Æthera album* ] Candicantem a luce matutina. Sol ipse *albus* vocatur ab Ennio Annalium 1. loco paullo ante memorato:

*Interea Sol albu' recessit in infera noctis.*

ibid. *Mare ferum* ] Immansuetum, indomitum, procellosum, tumultuosum, vel monstris immanibus plenum.

v. 41. *Vegetis sonipedibus* ] Virgilius interpres esto Æneidos lib. 12. v. 115.

*Postera vix summos spargebat lumine montes*
*Orta dies: cum primum alto se gurgite tollunt*
*Solis equi, lucemque elatis naribus efflant.*

Potuit elegantius?

v. 42. *Ibi* ] Pro *tunc*. Adverbia enim loci ac temporis libenter commutari inter se consueverunt.

v. 43. *Trepidantem* ] Festino gressu incedentem. Horatius Ode 4. lib. 2. v. 23.

*Cujus octavum trepidavit ætas*
*Claudere lustrum.*

ibid. *Pasithea* ] Una Gratiarum, cui Euphrosyne quoque nomen est. Hanc uxorem Somni esse, finxit Homerus.

v. 44. *Rapida sine rabie* ] Vossio adsentior ita legenti; cum alii *rabida* legere malint. Significat poeta fervorem & celeritatem affectus, quo semiviri Cybeles, torrentis instar, concitati ferebantur.

v. 45. *Revolüit* ] Vox quatuor syllabarum, *κατὰ διαίρεσιν* vocalium *u* & *i*. Hanc lectionem præfert Achilles Statius vulgatæ *recoluit*. Cicero tamen Oratione pro Archia: *Si tantum temporis mihi ad hæc studia recolenda sumsero.*

v. 46. *Liquida mente* ] Defæcata, & pristinæ sanitati restituta. Contra Plautus *mentem animi nubilam* dixit, de amante locutus, Cistellariæ Ac. 2. Sc. 1. v. 5.

ibid. *Sine queis foret* ] Quæ nimirum, & quanta amisisset: patriam puta, parentes, amicos, familiares, denique virilitatem.

ibid. *Ubique* ] Et ubi: in qua scilicet regione.

v. 47. *Rursum* ] Retrorsum: vestigia sua relegendo.

ibid. *Tetulit* ] Pro *tulit*, *ἀρχαϊκῶς*. Ennius apud Charisium, & Nonium:

*Ilia dia nepos, quas ærumnas tetulisti!*

Plautus Amphitruone Ac. 2. Scena 2. v. 84.

*- - - Et manum prehendi, & osculum tetuli tibi.*

Idem Menæchmis Ac. 2. Sc. 3. v. 29.

*- - - Qui huc in hanc urbem pedem,*
*Nisi hodie, numquam intro tetulit - -*

Lucretius lib. 6. v. 671.

*Ut tempestates pluvia graviore coortæ*

*Sunt*

Ibi maria vasta visens lacrimantibus oculis,
Patriam adlocuta mæsta est ita voce miseriter:
Patria o mea creatrix, patria o mea genetrix,
Ego quam miser relinquens, dominos ut herifugæ
Famuli solent, ad Idæ tetuli nemora pedem:
Ut apud nivem, & ferarum gelida stabula forem,
Et ut omnia earum adirem, furibunda, latibula:
Ubinam, aut quibus locis te positam, patria, rear?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem,

Ra-

*Sunt, ubi forte ita se tetulernut semina aquarum.*

Dixerunt etiam veteres *adventum apportare*, pro *advenire*; & *pedem exportare*, pro *egredi*, *exire*. Plautus Amphitruone Ac. 3. Sc. 1. v. 5.

*Huc autem quom extemplo adventum apporto.*

Seneca Medea v. 179.

*Medea, Colchi noxium Æetæ genus,*
*Nondum meis exportat e regnis pedem.*

v. 49. *Miseriter* ] Miserandum in modum.

v. 50. *Patria o m. c.* ] Conquestio hæc ( χιτλιασμὸν Græci appellant ) perturbatum Atynis animum, & puerilem affectum graphice ob oculos ponit: Catullus enim ordinem verborum & sententiarum in ea fere negligit, ut personæ inserviat, & dolentium consuetudinem imitetur.

ibid. *O mea genetrix* ] Cicero lib. 1. Officiorum cap. 17. *Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est.*

v. 51. *Herifugæ famuli* ] Servi fugitivi, qui ab hero seu domino fugiebant: de quibus multa Jurisconsulti. Horatius Epistola 2. lib. 2. v. 14. verbis mangonis:

*--- Semel hic cessavit, &, ut fit,*
*In scalis latuit metuens pendentis habenæ.*
*Des nummos, excepta nihil te si fuga lædat.*

v. 52. *Tetuli pedem* ] Virgilius pariter 1. Georgicon v. 11.

*Ferte simul Faunique pedem, Dryadesque puellæ.*

v. 53. *Ut apud nivem* ] Similis comparatio illa Propertiana Elegia 17. lib. 1.

*Et merito, quoniam potui fugisse puellam,*
*Nunc ego desertas adloquor halcyonas.*

ibid. *Ferarum stabula* ] Cubilia, lustra. Virgilius 6. Æneidos v. 179.

*Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum.*

v. 54. *Furibunda* ] Casus est rectus numeri singularis. Ego nempe insaniens, & mente consternata. Quod Alexander Guarinus in suo Commentario olim monuerat, vir, ut illa ferebant tempora, non vulgaris aut contemnendæ doctrinæ.

v. 56. *Pupula* ] Pupilla; ῥαγοειδὴς nimirum oculi tunicæ foramen, per quod lucis radii trajecti ad humorem crystallinum recta pergunt, ut ibi refringantur. Ita dicta est a pupis seu parvis imaginibus rerum externarum, quæ ultra eam depictæ cernuntur. Ob eamdem caussam, Græci κόρην vocaverunt, nempe *virginem*, *puellam*. Horatius Epodo 5. v. 39.

Rabie fera carens dum breve tempus animus est.
Egóne a mea remota hæc ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palæstra, stadio, & gymnasiis?
Miser ah miser, querendum est etiam atque etiam, anime.
Quod enim genus figuræ est, ego non quod habuerim?
Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnasii fui flos, ego eram decus olei.

Mi-

*Interminato quum semel fixa cibo*
*Intabuissent pupula.*

ibid. *Aciem* ] Vigorem oculorum. Porro pupillam ipsam appellari *aciem*, testatur M. Tullius de Nat. Deorum lib. 2. *utramque* vero *aciem* pro ambobus oculis posuit Lactantius in libro de Opificio Dei cap. 10.

v. 57. *Carens est* ] Pro *caret*. Hac loquendi ratione Græci delectabantur. Cebes Thebanus initio Tabulæ: Ἐτυγχάνομεν περιπατοῦντες ἐν τῷ τοῦ Κρόνου ἱερῷ. *Eramus forte deambulantes in Saturni sacello*. i. e. forte deambulabamus.

ibid. *Breve tempus* ] Modico temporis intervallo. Solent enim furiosi per intervalla resipiscere; sed mox ad insaniam redeunt.

v. 60. *Foro* ] Ubi scilicet ingenui adolescentes cum æqualibus spatiari consueverunt, ubi obsonare, ubi circulatores audire, ubi mulierum prætereuntium formas contemplari.

ibid. *Stadio* ] Loco nimirum in quo pueri nobiles apud Græcos exercebantur, & cursu præcipue certabant. Huic & δρόμος nomen fuit, unde δολιχόδρομοι, qui sexies hoc spatium currendo metiebantur. Marcianus J. C. Lege 6. Tituli 8. libri primi Pandectarum, de divisione & qualitate rerum: *Universitatis sunt, non singulorum, theatra, & stadia, & similia: & si qua alia sunt communia civitatium.*

v. 61. *Miser anime* ] Ad animum suum orationem convertit. Sic & Franciscus Petrarcha (*nella Canzone* 38.)

*All' ultimo bisogno, o miser' alma,*
*Accampa ogni tuo ingegno, ogni tua forza.*

v. 62. *Ego n. q. habuerim* ] Vossius mavult, *adierim*. perperam, meo judicio. τὸ *habuerim* enim ad futura tempora referendum est, quibus dici poterit, Atyn omne genus figuræ habuisse: mulierem videlicet fuisse, adolescentem, ephebum, puerum, gymnasii florem, palæstræ decus.

v. 63. *Ego mulier* ] Sunt qui pro *mulier* legant *puber*: verum quî differat *puber* ab *ephebo*, non satis intelligo. Thomas Dempsterus Paralipomenis ad caput 4. lib. 2. Antiquit. Romanarum Joannis Rosini, legi jubet, *Ego impuber*; quomodo dixerit A. Gellius lib. 20. cap. 7. *impuberes ostreas*, pro *macris*: & Festus Pompejus *impuberes infantes*. sed, mi lector, ne dicto audientes simus; & lectionem frigidam, minusque ad rem pertinentem, Dempsterum potius sibi habere jubeamus.

v. 64. *Decus olei* ] Nimirum palæstræ. Luctatores enim, priusquam in arenam descenderent, inungebantur, & ut corpori vires adderent, & ut e nexibus adversarii facilius elabi possent.

v. 65.

Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat
Linquendum ubi esset orto mihi Sole cubiculum.

Egó-

v. 65. *Mihi januæ frequentes* ] Significat, se a multis amatoribus, ob florem ætatis, expetitum fuisse. Consueverant autem veteres, quos eximie diligerent atque observarent, ad eorum domum diluculo ventitare, salutaturi, & per urbem ingenti agmine deducturi. *Laudi* porro *ducebatur in Græcia adolescentibus plurimos habere amatores*, ut ait Cornelius Nepos in Vitarum procemio. Sic Euripides in Supplicibus v. 888. & 889. παῖδα Παρθενοπαῖον, Ἀταλάντης γόνον, εἶδος ἐξοχώτατον, πολλοὺς ἐραστὰς ἔχοντα. i. e. *puerum Parthenopæum, Atalantæ filium, forma præstantissimum, multos amatores habentem* nobis describit. Amatorias hujusmodi salutationes memorat Plato lib. 5. de Republica. πάντες, inquit, οἱ ἐν ὥρᾳ, τὸν φιλόπαιδα καὶ ἐρωτικὸν ἁμηγέπη δάκνουσί τε καὶ κινοῦσι, δοκοῦντες ἄξιοι εἶναι ἐπιμελείας τε καὶ τοῦ ἀσπάζεσθαι. i. e. *Omnes qui sunt in flore ætatis, amatorem quodammodo mordent atque vellicant, quum ipsi sibi cura & salutatione digni esse videantur*. Asoti vero & libidinosi homines procabantur etiam, & comissabantur ad multam noctem in domibus adolescentium quos turpiter ac flagitiose amarent. Testis Maximus Tyrius Sermone 8. Ὡς δὲ, inquit, ἐσωφρόνει τὸ μειράκιον καὶ ὑπερεφρόνει ὑβριστοῦ ἐραστοῦ, ἐκώμασεν εἰς Ἀκταίωνος ὁ ἐραστὴς, ὁμοῦ τοῖς Βακχιάδαις νεανίσκοις· οἱ θαρσοῦντες μέθῃ καὶ τυραννίδι καὶ ἔρωτι εἰσπεσόντες ἐς τὸ δωμάτιον, οἱ μὲν ἐπειρῶντο ἀπάγειν, οἱ δ᾽ οἰκεῖοι κατέχειν. i. e. *Cum vero castus adolescens esset, atque insolentem amatorem despiceret, hic nocte quadam cum aliquot Bacchiadarum familiæ juvenibus, in domum Actæonis procatum venit: qui vel ebrietatis, vel principatus in civitate, vel amoris fiducia, cum in ædes irruissent, adolescentem abducere conabantur, domesticis, contra, retinentibus.*

ibid. *Limina tepida* ] Frequentia, pedibus advenientium trita, atque iccirco tepentia. Propter dissimilem caussam, loca deserta aut minus culta, frigida vocabant. Huc pertinet illud Ciceronis ad Atticum Epistola 1. lib. 1. *Cum Roma a judiciis forum refrixerit*. Quod imitatus videtur Prudentius, veterum elegantiarum studiosissimus, Hymno 2. περὶ στεφάνων v. 498.

*Refrixit ex illo die*
*Cultus deorum turpium.*
*Plebs in sacellis rarior:*
*Christi ad tribunal curritur:*

Vide mihi Janum Rutgersium Venusinarum Lectionum cap. 21. Ceterum & osculis amatorum calere poterant limina. Theocritus Idyllio 28. quod inscribitur ἐραστὴς, ἢ δύσερως v. 17.

Ἀλλ᾽ ἐλθὼν ἔκλαιε ποτὶ στυγνοῖσι μελάθροις,
Καὶ κύσε τὴν φλιάν. - - - -
*Sed flevit accedens ad tristem domum,*
*Et osculatus est limen* - - - -

Poterant etiam tepefieri limina accubitu ipso dormientium. Exclusi enim amatores, sæpe ipso in limine somnum capiebant. Plato certe in Convivio, ubi de adolescentium amoribus, commemorat κοιμήσεις ἐπὶ θύραις. *cubationes ad januas*.

v. 66. *Floridis corollis* ] Supra Carm. 19. v. 10.

*Florido mihi ponitur picta vere corolla.*

v. 67. *Linquendum ubi e. orto m. Sole cubiculum* ] Quid hoc rei sit, explicat Lucianus, seu quisquis est auctor, in Amoribus, de puero formoso verba faciens: Ὄρθριος ἀναστὰς ἐκ τῆς ἀζύγου κοίτης........ ἀπὸ τῆς πατρῴας ἑστίας

Egóne deum miniſtra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir ſterilis ero?
Ego viridis algida Idæ nive amicta loca colam?
Ego vitam agam ſub altis Phrygiæ columinibus,
Ubi cerva ſilvicultrix, ubi aper nemorivagus?

Jam

*ϛίας ἐξέρχεται ........... ἀκόλουθοι δὲ καὶ παιδαγωγοὶ χορὸς αὐτῷ κόσμιος ἕπονται. Poſtquam mane ſurrexit ex lecto non conjugali ....... paterna domo egreditur .... ..... aſſeclæ autem & pædagogi, turba conveniens ipſi, ſequuntur.* Ceterum, de coronis floreis, quas puellæ venuſtæ, domo prodeuntes, in limine abjectas mane inveniebant, ita Ovidius lib. 3. Artis Amat. v. 71. ubi mulierculis ætate uti neſcientibus paullo poſt venturam ſeuectutem denuntiat:

*Nec tua nocturna frangetur janua rixa:*
*Sparſa nec invenies limina mane roſa.*

v. 69. *Ego Mænas* ] Interrogatio cum indignatione, conquerentibus & deſperantibus accommodata. Hi enim fere admirantur id ſibi accidere potuiſſe quod reapſe contigit. Solent autem homines quibus prudentia pectus vacuum eſt, adverſas res ægre ferre: ſive fato, vitioque rerum humanarum, ſive potius culpa ipſi ſua, quemadmodum Atys, in calamitates inciderint. Sapientes, contra, omnia excipiunt præſenti animo, nec boni aut mali quicquam admirantur in vita: ſciunt enim cuivis evenire poſſe quod cuiquam poteſt. Egregie Horatius Epiſt. 6. lib. 1. v. 9.

*Qui timet his adverſa, fere miratur eodem*
*Quo cupiens pacto: pavor eſt utrobique moleſtus:*
*Improviſa ſimul ſpecies exterret utrumque.*
*Gaudeat, an doleat; cupiat, metuatne; quid ad rem;*
*Si, quicquid vidit melius pejuſve ſua ſpe,*
*Defixis oculis, animoque & corpore torpet?*

Quæ cum ita ſint, non ſatis ex decoro, Livia uxor Auguſti Cæſaris, ita conquerens inducitur a Pedone Albinovano Elegia de morte Druſi v. 145.

*Jamne ego non felix? jam pars mihi rapta Neronum*
*Materni celeber nomine Druſus avi?*
*Jamne meus non eſt, nec me facit ille parentem?*
*Jamne fui Druſi mater, & ipſe fuit?*

Aniles hujuſmodi næniæ, ſi quid video, præficas magis in funere conductas, quam feminam principem decuiſſent.

v. 69. *Mei pars* ] Mutilus nimirum ac dimidiatus, quales erant ſemiviri. ibid. *Vir ſterilis* ] Tibullus ita de bubus caſtratis Elegia 3. lib. 2.

*Dum ſubigunt ſteriles arva ſerenda boves.*

v. 71. *Phrygiæ columinibus* ] Arboribus Idæis. Hæc eſt Iſaaci Voſſii explicatio, quamquam Scaligero diſſentiente.

v. 72. *C. ſilvicultrix. a. nemorivagus* ] Feliciores fuerunt Græci poetæ in vocibus fingendis & componendis, quam Latini, qui & meticuloſi, neque ſatis venuſti in hoc genere fuerunt. Quale enim, quæſo, eſt illud Livii Andronici:

*Dirige odoriſequos ad cæca cubilia canes?*

& illa Pacuvii, *repandiroſtrum, incurvicervicum, rudentiſibilus*; cujus meminit

Jam jam dolet quod egi, jam jamque pœnitet.
Roſeis ut huic labellis palans ſonitus abît,
Geminas deorum ad aures nova nuntia referens,
Ibi juncta juga reſolvens Cybele leonibus,
Lævumque pecoris hoſtem ſtimulans ita loquitur:
Agedum, inquit, age ferox, i, * face ut hinc furoribus,
Face ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea libere nimis qui fugere imperia cupit:
Age, cæde terga cauda: tua verbera patere.

Fa-

nit Varro lib. 4. de Lingua Latina. Simile eſt quod ex vetere poeta affert idem Varro eodem libro:

*Noctuque cava cæli ſignitenentibus conficis bigis.*

v. 73. *Dolet quod egi* ] Propertius lib. 2. Elegia 14. E. B.

*Et ſi quid doluit forte, dolere nega.*

v. 74. *Roſeis labellis* ] Infra Carm. 79.

*Quid dicam, Gelli, quare roſea iſta labella*
*Hiberna fiant candidiora nive?*

ibid. *Labellis ſonitus abit* ] Valerius Æditus apud A. Gellium lib. 19. Noct. Attic. cap. 9. diverſam longe ſententiam pari loquendi modo expreſſit in venuſtiſſimo quodam Epigrammate:

*Dicere cum conor curam tibi, Pamphila, cordis,*
*Quid mî abs te quæram? verba labris abeunt.*

nimirum, ad labra non accedunt: non ſuccurrunt: quo ſermonis inopia ſive infantia ſignificatur, morbus amantibus familiaris, cum in eorum quos amant conſpectum venerint: tunc enim fere obſtupeſcunt, atque elingues fiunt.

ibid. *Palans* ] I. e. vagus, & per aerem diſperſus. Eſt autem in hoc verſu quarto loco ſpondæus pro dactylo, pes videlicet dactylo ἰσόχρονος, quamquam ἀνισοσύλλαβος. ſunt qui legant *palam*.

v. 75. *Geminas deorum ad aures* ] Hunc verſum Scaliger ſua ſede moverat, ac poſt inſequentem collocaverat: non recte. *deorum aures* dixit Catullus, quemadmodum Virgilius *divûm* Ecloga 3. v. 73.

*Partem aliquam, venti, divûm referatis ad aures.*

ibid. *Nuntia* ] Docet Iſaacus Voſſius, adverſus opinionem Laurentii Vallæ, Joſephi Scaligeri, & aliorum, *nuntium* pro re nuntiata, neutro genere, dici poſſe, auctoribus Lucretio & M. Varrone. quam doctrinam confirmat teſtimonio & ſuffragio veterum Grammaticorum.

v. 76. *Leonibus* ] Qui Magnæ Matris currum trahebant. Lucretius lib. 2. v. 600.

*Hanc veteres Grajûm docti cecinere poetæ*
*Sedibus in curru bijugos agitare leones.*

Necnon Virgilius Æneidos 10. v. 252.

*Alma parens Idæa deûm, cui Dindyma cordi,*
*Turrigeraque urbes, bijugique ad frena leones.*

v. 77. *Lævum* ] Siniſtræ parti currûs alligatum.

ibidem. *Pecoris hoſtem* ] Leones, in Africa præſertim, ovilibus inſidiantur, & in armenta impetum faciunt.

v. 82.

Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.
Rutilam ferox torosa cervice quate jubam.
Ait hæc minax Cybelle, religatque juga manu.
Ferus ipse se se adhortans rapidum incitat animum:
Vadit, fremit, & refringit virgulta pede vago.

At

v. 82. *Mugienti fremitu* ] Mugitus proprie bubulo generi tribuitur: leonibus rugitus. *Mugiens* tamen *fremitus*, Catullo, esse videtur sonitus ille confusus, & nondum satis expressus, quem leones irasci incipientes edere solent, antequam rugitus emittant. Virgilius lib. 7. Æneid. v. 15.

*Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum*
*Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum.*

v. 83. *Torosa cervice* ] Tori sunt musculi, seu μύες σαρκώδεις, qui in cervice leonis, atque in brachiis & artubus hominum, aliorumque animalium leniter eminent, præcipue cum spiritus in eos influit, quo fit ut breviores quidem, sed latiores evadant. Virgilius a Catullo, ut puto, lib. Æneidos 12. v. 5.

*Saucius ille gravi venantum vulnere pectus*
*Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes*
*Excutiens cervice toros - - - -*

v. 85. *Ferus* ] *Ferum* pro leone usurpat poeta; quemadmodum Phædrus Fab. 4. lib. 4. *ferum* pro apro dicere non dubitavit:

*Equus sedare solitus quo fuerat sitim,*
*Dum se se aper volutat, turbavit vadum.*
*Hinc orta lis est. Sonipes iratus fero,*
*Auxilium petiit hominis - - - - -*

Virgilius Æneidos lib. 2. v. 50. equum ligneum quo Græci Trojam perdiderunt, eadem voce significavit:

*Sic fatus, validis ingentem viribus hastam,*
*In latus, inque feri curvam compagibus alvum*
*Contorsit - - - - - - - - - -*

Eadem ratione & Græci θηρὸν usurpaverunt; quod animadvertit Achilles Statius.

ibid. *Se se adhortans* ] ἑαυτὸν διακελευόμενος. Cæsar lib. 6. de Bello Gallico cap. 37. *Perrumpere nituntur, seque ipsi adhortantur, ne tantam fortunam ex manibus dimittant.*

ibid. *Rapidum incitat animum* ] *Animus*, & *animi*, audacium hominum & ferarum proprie sunt. Idcirco Propertius Elegia 1. lib. 4. v. 107.

*Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis.*

Ovidius lib. 2. Metamorph. v. 84. de Solis equis:

*Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illis*
*Quos in pectore habent, quos ore & naribus efflant,*
*In promtu regere est - - - - - -*

v. 86. *Vadit, fremit, & refringit* ] Hæc est lectio Vossii, ut sit anapæstus in secunda sede. Alii σύνδεσμον abjiciunt. Et sane ἀσύνδετα interdum vim addunt orationi, exprimuntque impetum, celeritatem, ac perturbationis vehementiam, ut Xenophontis & Homeri exemplis allatis ostendit Longinus sect. 19. libelli περὶ ὕψους.

ibid. *Refringit virgulta* ] Proterit obstantia quæque, puta frutices natos in litore. Ovidius Epistola Phyllidis v. 121.

*Mæsta tamen scopulos fruticosaque litora calco.*

De

At ubi humida albicantis loca litoris adiit,
Tenerumque vidit Atyn prope marmora pelagi;
Facit impetum. ille demens fugit in nemora fera.
Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit.
Dea, magna dea, Cybele, Didymi, dea, domina,
Procul a mea tuus sit furor omnis, hera, domo.
Alios age incitatos, alios age rabidos.

LXIII.

De virgultis, ferarum pede in venatu fractis, eleganter Dantes Aligherius ( Inferni Cantu 13. )

*Similemente a colui che venire*
*Sente 'l porco e la caccia alla sua posta,*
*Ch' ode le bestie e le frasche stormire.*

v. 87. *Albicantis litoris* ] Propter arenas longe conspicuas, vel propter spumas aquæ marinæ.

v. 88. *Marmora pelagi* ] Mare commotum & undosum, viride marmor quodammodo imitari videtur. Quamobrem a poetis *marmor* dici solet. Virgilius Æneid. 7. v. 27.

*Cum venti posuere, omnisque repente resedit*
*Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ.*

v. 89. *Facit impetum* ] Ovidius id notavit Metamorph. lib. 10. v. 551. verbis Veneris Adonin a ferarum venatu deterrentis:

*Impetus est fulvis, & vasta leonibus ira.*

ibid. *Nemora fera* ] Humano cultu vacua, in quibus feræ stabulantur.

v. 91. *Didymi* ] Pro *Dindymi*, extrita *n*, ut versûs rationi consulatur.

v. 92. *Hera* ] Etiam Fortunam *heram* appellavit Ennius apud Ciceronem lib. 1. de Officiis cap. 12.

*Vosne velit, an me regnare hera, quidve ferat fors.*

Immo dii universi, *heri* nominantur a poeta nostro Elegia ad Manlium v. 77.

*Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,*
*Quod temere invitis suscipiatur heris.*

v. 93. *Incitatos* ] Furore correptos. M. Tullius lib. 1. de Divinatione: *Multisque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhærent, ut ii qui sono quodam vocum, & Phrygiis cantibus incitantur.* Idem in Lucullo cap. 5. *Et tamen isti physici raro admodum, cum hærent aliquo loco, exclamant quasi mente incitati: Empedocles quidem, ut interdum mihi furere videatur: abstrusa esse omnia,* &c. Hoc autem vatibus futura prædicentibus in primis tribuebant. Cicero iterum lib. 1. de Divinatione: *Terræ vis Pythiam Delphis incitabat, naturæ Sibyllam.* & infra eodem libro: *Quid Asia rex Priamus? nonne & Helenum filium, & Cassandram filiam divinantes habebat, alterum auguriis, alteram mentis incitatione divina?*



# LXIII.

## *De Nuptiis Pelei & Thetidos.*

PELIACO quondam prognatæ vertice pinus

Di-

Argum. Carm. LXIII. ] Enarraturus poeta Pelei ac Thetidos Nuptias, rem fabulis Græcorum valde celebratam, orditur poema suum a notatione temporis quo eæ conjunctæ fuerunt, cum videlicet Argonautæ duce Jasone ad vellus aureum repetendum e Thessalia in Colchicam regionem profecti sunt: idque carminis principium homines oscitantes in errorem induxit, ut hoc opus Catulli perperam inscriberent Argonautica. Quem porro auctorem sequatur, minus compertum est: siquidem ex veterum libris qui ad nostram usque ætatem pervenerunt, satis constat, Peleum ante Argonautarum expeditionem, uxorem Thetidem accepisse, & ex illa Achillem filium sustulisse. Nisi dicamus, Catullum, (quæ poetarum licentia est) ingenio obsecutum, a scriptorum fide, data opera discedere voluisse. Deinde historiam seu fabulam Ariadnæ a Theseo in Naxo insula relictæ, quam in pulvinari Thetidos acu pictam fuisse fingit, tamquam ἐπεισόδιον, & jucundum ἀκρόαμα, inducit, ac Lyricorum more latissime persequitur. Tandem ad propositum revertens, Parcarum vaticinium, de Achille, quem Græcorum omnium fortissimum, ex eo matrimonio, fatis ita jubentibus, nasci oporteret, elegantissimis versibus exponit. De his porro Nuptiis, præter poetas fere omnes, ita Isocrates in Evagora: Τούτου δὲ (Αἰακοῦ) παῖδες ἦσαν, Τελαμὼν καὶ Πηλεύς. ὧν ὁ μὲν ἕτερος μεθ' Ἡρακλέους ἐπὶ Λαομέδοντα στρατευσάμενος, τῶν ἀριστείων ἔτυχε. Πηλεὺς δ' ἐν τῇ μάχῃ τῇ πρὸς Κενταύρους ἀριστεύσας, καὶ κατὰ πολλοὺς ἄλλους κινδύνους εὐδοκιμήσας, Θέτιδι τῇ Νηρέως, θνητὸς ὢν ἀθανάτῳ συνῴκησε· καὶ μόνου τούτου φασὶ τῶν προγεγενημένων, ὑπὸ θεῶν ἐν τοῖς γάμοις ὑμέναιον ᾀσθῆναι. Τούτοιν δ' ἑκατέροιν, Τελαμῶνος μὲν Αἴας καὶ Τεῦκρος ἐγενέσθην, Πηλέως δ' Ἀχιλλεύς, οἳ μέγιστον καὶ σαφέστατον ἔλεγχον ἔδοσαν τῆς αὑτῶν ἀρετῆς. i. e. *Hujus* (Æaci) *filii fuerunt Telamon & Peleus: quorum alter expeditionis Herculanæ contra Laomedontem susceptæ socius, primas virtute meruit: Peleus autem, re contra Centauros bene gesta, & multis aliis pugnis spectatus, Thetidis Nereidos, mortalis ipse, immortalis conjugio potitus est: & solius hujus ex omni vetustatis memoria in Nuptiis, Hymenæum deos cecinisse, memoria proditum est. Hi ambo filios habuerunt: Telamon Ajacem & Teucrum, Peleus Achillem: qui maximum & clarissimum virtutis suæ specimen ediderunt.* Ceterum, Epithalamium Pelei ac Thetidos primus omnium scripsit Hesiodus: cujus poematis duos priores versiculos profert Isaacius Tzetzes in Prolegomenis ad Lycophronis Cassandram. id notavit doctissimus Fabricius Bibliothecæ Græcæ lib. 2. cap. 8. num. 17.

v. 1. *Peliaco vertice* ] In summo jugo Pelii Thessaliæ montis, quod pinea silva circum coronabatur. Ovidius lib. 5. Fastorum v. 381.

*Pelion Hæmoniæ mons est obversus in Austros:*
*Summa virent pinu: cetera quercus habet.*

ibid.

Dicuntur liquidas Neptuni nâsse per undas
Phasidos ad fluctus, & fines Æetæos:

Quum

ibid. *Prægnata* ] Horatius pariter pinum, ex qua navis fabricata, *silvæ filiam* appellat Ode 14. lib. 1.

> *Quamvis Pontica pinus,*
> *Silva filia nobilis,*
> *Jactes & genus, & nomen inutile.*

ibid. *Pinus* ] Ea maxime arbor navigiis compingendis idonea credita est. In hac tamen Thessalica navi ædificanda, de qua Catullus, & aliæ arbores adhibitæ, quercus puta, & præcipue fagus Dodonæa; ex qua scilicet lignum concavum aptaverat Pallas carinæ mediæ, unde vox humana prodibat, Argonautis futura prædicens. Vide Apollonium Rhodium lib. 1. Argonauticon, & Bernardini Realini Commentarium ad hunc poetæ nostri locum. *Alexander Cornelius* ( verba sunt Plinii lib. 13. Nat. Hist. cap. 22. ) *arborem conem appellavit ex qua facta esset Argo, similem robori viscum ferenti, quæ nec aqua nec igni posset corrumpi, sicuti nec viscum: nulli alii cognitam, quod equidem sciam.*

v. 2. *Nâsse* ] Pro *navigâsse*. Supra Carm. 4. de phaselo:

> *Neque ullius natantis impetum trabis*
> *Nequîsse præterire - - -*

Propertius tamen Elegia 19. lib. 2. E. B. illis dumtaxat navibus natationem tribuere videtur quæ scopulis occurrentibus illiduntur.

> *An quisquam in mediis persolvit vota procellis,*
> *Cum sæpe in portu fracta carina natet?*

v. 3. *Phasidos ad fluctus* ] Tribuit fluvio quod maris proprium est: neque id temere, sed ut doctum poetam decebat. Libet huc afferre quæ de hoc flumine tradunt Plinius & Strabo. Prior igitur lib. 6. Nat. Hist. cap. 4. ita scribit: *Clarissimus fluminum Ponti Phasis. oritur in Moschis: navigatur quamlibet magnis navigiis XXXVIII. mill. D. passuum. Inde minoribus longo spatio, pontibus CXX. pervius. Oppida in ripis habuit complura, celeberrima, Tyndarida, Circæum, Cygnum, & in faucibus Phasin. Maxime autem inclaruit Æa, XV. millibus passuum a mari, ubi Hippos & Cyaneos vasti omnes in eum confluunt.* Strabo autem lib. 11. Geographiæ: Καὶ ἡ λοιπὴ δὲ Κολχὶς ἐπὶ τῇ θαλάττῃ ἡ πλείων ἐστί. διαρρεῖ δ᾽ αὐτὴν ὁ Φᾶσις μέγας ποταμὸς, ἐξ Ἀρμενίας τὰς ἀρχὰς ἔχων, δεχόμενος τόν τε Γλαῦκον, καὶ τὸν Ἵππον ἐκ τῶν πλησίων ὀρῶν ἐκπίπτοντας. ἀναπλεῖται δὲ μέχρι Σαραπανῶν, ἐρύματος δυναμένου δέξασθαι καὶ πόλεως συνοικισμόν. ὅθεν πεζεύουσιν ἐπὶ τὸν Κῦρον ἡμέραις τέσσαρσι δι᾽ ἁμαξιτοῦ. Ἐπίκειται δὲ τῷ Φάσιδι ὁμώνυμος πόλις, ἐμπόριον τῶν Κόλχων, τῇ μὲν προβεβλημένη τὸν ποταμὸν, τῇ δὲ λίμνην, τῇ δὲ θάλατταν. i. e. *Sed & reliqua Colchis majore sui parte imminet mari. Perfluit eam Phasis magnus fluvius, ex Armenia ortus, Glaucum & Hippum recipiens a vicinis montibus decidentes. Sursum navigatur Phasis usque ad Sarapana, quod est castellum, in quo etiam urbs condi possit: inde terrestre iter curribus conficitur ad Cyrum. Imposita est Phasidi urbs ejusdem nominis, Colchorum emporium, ab una parte fluvio, ab altera lacu, a tertia mari cincta.* Hinc erudite Propertius Elegia 20. lib. 3.

> *Tuque tuo Colchon propellas remige Phasin.*

ibid. *Æetæos* ] Amat Catullus in hoc poemate, dactylicis hexametris immiscere spondaicos, nempe in duplicem spondæum desinentes, qui gravitati & moræ exprimendæ mirifice inserviunt.

Quum lecti juvenes Argivæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis:

Diva

v. 4. *Lecti juvenes* ] Flos juventutis Thessalicæ. Virgilius lib. 10. Æneidos v. 137. *Stant lecti circum juvenes*. Lucretius lib. 1. v. 87.

*Ductores Danaûm, delecti, prima virorum.*

v. 5. *Auratam pellem* ] Manilius lib. 5. Astronomicon v. 372.

*Unde aurata novo convecta est æquore pellis.*

De aureo Phrixæi arietis vellere trita jam omnia & vulgata. Cave tamen, lector optime, ne auscultes Isaaco Vossio, homini alioqui doctissimo, hanc veterum fabulam ad pretiosas eorum animalium pelles trahenti, quæ ex Iberia, proxima Colchidi regione, nunc Siberia dicta, mercatorum operâ ad omnes Europæ gentes advehuntur, & a nobis *zibellini* appellantur. Hujusmodi enim summorum virorum, ingenio præter modum aliquando indulgentium, cogitationes, ob novitatem blandam conciliatriculam, jucundæ auribus accidere solent: at penitus inspectæ, leves, fragilique tibicine fultæ inveniuntur.

ibid. *Avertere* ] ἀποξίνειν. Sic *hereditatem avertere* Cicero dixit Epist. 26. lib. 12. ad Familiares. Idem Epist. 28. lib. 13. *Cum fere consistat hereditas in iis rebus quas avertit Oppia*. Et in Verrem Orat. de Signis cap. 24. *Avertere aliquid de publico quam obscurissime per magistratum solebant*. Virgilius pariter 1. Æneid. v. 472.

*Ardentesque avertit equos in castra.*

v. 6. *Ausi sunt vada salsa c. d. p.* ] De audacia navigantium egregie Horatius Ode 3. lib. 1.

*Nequicquam Deus abscidit*
*Prudens Oceano dissociabili*
*Terras, si tamen impiæ*
*Non tangenda rates transiliunt vada.*

Recte propterea L. Columella in procemio librorum de Re Rustica ad P. Silvinum, magnam temeritatem censet, *ut rupto naturæ fœdere terrestre animal homo ventorum & maris objectus iræ, se fluctibus audeat credere, semperque, ritu volucrum, longinqui litoris peregrinus, ignotum pererret orbem*. Vide infra versum 11.

ibid. *Decurrere* ] Quam citissime currere. Juvenalis Satyra 1. v. 19.

*Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,*
*Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus.* &c.

vel est *percurrere*, totum scilicet spatium cursui præfinitum currendo conficere. Cicero de Senectute: *Nec vero velim quasi decurso spatio a calce ad carceres revocari*. Idem lib. 1. Tuscul. Quæstionum: *Nunc video calcem, ad quam cum sit decursum, nihil sit præterea extimescendum*. Interdum significat *deorsum currere*. Horatius Ode 2. lib. 4.

*Monte decurrens velut amnis, imbres*
*Quem super notas aluere ripas.*

v. 7. *Verrentes* ] Dictum κατ' ἀναλογίαν. remi enim quodammodo scopas imitantur. Eodem pacto locuti Lucretius & Virgilius. Propertius ad ipsum mare transtulit Elegia 12. lib. 2. E. B.

*Nec nostra Actiacum verreret ossa mare.*

ibid. *Abiegnis palmis* ] Remis ex abiete. Vide quæ adnotavimus ad Carmen 4. v. 4.

v. 8.

Diva quibus retinens in ſummis urbibus arces

Ipſa

v. 8. *Diva q. retinens in ſummis urbibus arces* ] ἀκροπόλεις Græci vocant. Hæ autem Palladi ſacræ erant. Ariſtides Oratione in Minervam: Τὰς ἀκροπόλεις ἐξεῖλον αὐτῇ. *Arces ipſi ſegregavi, ſeu conſecravi*. Cauſſam affert Servius Honoratus ad Eclogam 2. Virgilii: *Ideo dea arcium Minerva dicitur, quia de capite Jovis nata eſt*. Propterea Horatius Ode 7. lib. 1.

*Sunt quibus unum opus eſt intactæ Palladis arces*
*Carmine perpetuo celebrare - -*

ut in aliquot Dionyſii Lambini codicibus legebatur. Sic autem omnino legendum contendit vir ingenio præcellenti Richardus Bentlejus, qui eum Venuſini poetæ locum pluribus veterum ſcriptorum teſtimoniis illuſtrat. Et ſane, in condendis novis oppidis, *ædibus ſacris, quorum deorum maxime in tutela civitas videtur eſſe, & Jovi, & Junoni, & Minervæ, in excelſiſſimo loco, unde mœnium maxima pars conſpiciatur, areas* diſtribuendas præcipit Vitruvius Architecturæ lib. 1. cap. 7. Præcipue vero arcis Athenarum, quam Cecropiam dicebant, tutelam fuiſſe Minervam, ſatis conſtat. Teſtis Auctor Carminis in Priapum Epigram. 77.

*Pallas Cecropias tuetur arces.*

Lucretius quoque lib. 6. v. 749.

*Eſt & Athenæis in mœnibus, arcis in ipſo*
*Vertice, Palladis ad templum Tritonidos almæ,*
*Quo numquam pennis appellunt corpora raucæ*
*Cornices - - - - -*

hæc enim avis Minervæ inviſa. Sed & modo memoratus Vitruvius lib. 4. cap. 7. meminit Minervæ templorum in arcibus Atticis poſitorum. *Hoc autem genere*, ait, *primo facta ædes, uti eſt Caſtoris in circo, Athenis in arce Minervæ, & in Attica Sunio, Palladis*. Eorum templorum, quod fuit ad ἀκρόπολιν, ædificaverant Ictinus & Carpion architecti, curante Pericle, uſi Doricis rationibus: ut narrant Strabo lib. 9. Geographiæ, & Vitruvius in proœmio lib. 7. Cum his concinit Seneca Hippolyto v. 259.

*An miſſa præceps arce Palladia cadam?*

Porro, de Cecropia ſive Athenarum arce inſignem Commentarium conſcripſit Joannes Meurſius, vir, ut notum eruditis, Græcarum præcipueque Atticarum rerum ſcientiſſimus. Celeberrimum etiam fuit Minervæ templum Argis in arce, quæ Lariſſa dicebatur, ubi virgines Argivæ primitias comæ deponere, eædemque nupturæ caſtam illam deam, cujus videlicet in fide erant, placare conſueverant. Hujus arcis mentionem facit Papinius Statius Thebaidos lib. 11. v. 252. & ſeqq.

*- - - Innuptam lumine adibant*
*Pallada, Munichiis cui non Argiva per urbes*
*Poſthabita eſt Lariſſa jugis; hic more parentum*
*Iaſides, thalamis ubi caſta adoleſceret ætas,*
*Virgineas libare comas, primoſque ſolebant*
*Excuſare toros - - - -*

Vide Ezechielem Spanhemium ad Hymnum Callimachi in Lavacra Palladis v. 1. In arce quoque Trojana Minervæ templum, & ſimulacrum, παλλάδιον vocatum, fatale imperii pignus, ſumma religione colebatur. Homerus Iliados lib. 6. v. 297.

Αἳ δ᾽ ὅτε νηὸν ἵκανον Ἀθήνης ἐν πόλει ἄκρῃ.

*Illa vero cum ad templum perveniſſent Minervæ in arce ſumma.*

v. 9.

Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,

Pi-

v. 9. *Ipsa fecit* ] Seu potius Argus Arestoris filius, Palladis hortatu, auspiciis, disciplina. Vide Apollonium Rhodium, & Valerium Flaccum in Argonauticis. Catullo Seneca suffragatur Medeæ v. 365.

*Non Palladia compacta manu,*
*Regum referens inclyta remos*
*Quæritur Argo - - - -*

Et Claudianus de Bello Getico v. 16.

- - - *Ipsamque secandis*
*Argois trabibus jactent sudâsse Minervam.*

ibid. *Volitantem flamine currum* ] Vehiculum scilicet marinum, ὄχημα θαλάσσιον. Julius Pollux Onomastici lib. 1. cap. 9. Λέγοις δ' ἂν τὰς ναῦς καὶ πορεῖα θαλάττια, καὶ ὀχήματα θαλάττια, καὶ πελάγια. *Sed & naves currus marinos, & vehicula marina vocare licebit.* ναΐαν ἀπήνην, *navalem currum*, vocat Euripides Medea v. 1122. Poetæ propterea huic translationi libenter indulgentes, navium gubernatores vocaverunt *aurigas*. Ovidius lib. 1. Tristium Elegia 3.

*Sic non quo voluit, sed quo rapit impetus unda,*
*Aurigam video vela dedisse rati.*

Eodem pacto *equitare* pro *navigare* dixit Nonnus Panopolita lib. 47. Dionysiacon v. 358.

Μηδέ μιν ἀγαθέοισι συνιππεύοντα θυέλλαις
Ἵλαος ἀθρήσειε γαληναῖος Μελικέρτης.
*Nec ventosis hunc equitantem forte procellis*
*Respiciat præsens ac propitius Melicertes.*

Huc pertinet illud Virgilii Æneidos lib. 6. v. 1.

*Sic fatur lacrimans, classique immittit habenas.*

Et Senecæ illud Medea v. 346.

*Palluit audax Tiphys; & omnes*
*Labente manu misit habenas.*

Itemque versu 2.

- - *Quæque domitorem freti*
*Tiphyn novam frenare docuisti ratem.*

Comicam porro licentiam redolere videtur Plauti locutio, qua navim *equum ligneum* appellare non dubitavit Rudente Ac. 1. Sc. 5. v. 10.

*Nempe equo ligneo per vias cæruleas*
*Estis vectæ - - - - - -*

Id prior Douza filius animadvertit. Minus tamen insolens hoc loquendi genus videri possit ei qui noverit, Homerum, ποιητῶν ἡγεμόνα καὶ πατέρα, Plauto exemplo suo ita præivisse Odysseæ lib. 4. v. 707.

- - - - Οὐδέ τί μιν χρεώ
Νηῶν ὠκυπόρων ἐπιβαινέμεν, αἵθ' ἁλὸς ἵπποι
Ἀνδράσι γίγνονται - - - - - -
- - - - - *Neque ipsum opus erat*
*Naves celeres conscendere, quæ maris equi*
*Hominibus sunt - - - - - - - -*

Ceterum venti ipsi, quorum ope navigia per mare promoventur, interdum a poetis *equi* vocati. Valerius Flaccus lib. 1. Argonautic. v. 610.

- - - - *Fundunt se carcere læti*
*Thraces equi, Zephyrusque, & nocti concolor alas*
*Nimborum cum prole Notus - - - -*

Horatius Ode 4. lib. 4.

*Ceu flamma per tædas, vel Eurus*
*Per Siculas equitavit undas.*

Servavit porro mirifice Catullus τὸ πρέπον, cum primam illam navem (aut saltem majorem, magisque instructam & ornatam ceteris quæ ad id tempus fabricatæ fuissent) *currum* vocavit. Nondum enim proprium rei novæ inventum vocabulum fuisse fingit: utitur propterea communi, & a re antiquiori commode translato. *Aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda;* ut sapienter monet M. Tullius in Academicis Quæstionibus ad M. Varronem.

Ad-

Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.

Quæ

Addit tamen poeta noster vulgato vocabulo, *volitantem levi flamine*, γνώρισμα scilicet atque ἰδιότητα, quo vehiculum hoc marinum satis a terrestri discerni posset: illa enim ab equis trahuntur, hæc ventis impelluntur. Non aliter majorum nostrorum temporibus impositum nomen fuit tubo illi ferreo, ex quo plumbeæ glandes, pulveris *pyrii* (ut vocant) vi exploduntur, quique magno humani generis malo, ex Erebi speluncis prolatus est. Hunc enim primum dixerunt *arcobugio*, quod nimirum arcus vicem præstaret, rei antiquissimæ, & in prœliis ad ea tempora, maxime usitatæ: sed addiderunt τὸ *bugio*, ut tubi κοιλότητα significarent, unde glandes erumperent, perinde ac ex vetere arcu sagittæ. Hujus novi generis armorum descriptionem elegantissimam, & improbationem longe gravissimam lege, si placet, apud Ludovicum Areostum, Rolandi Furentis Cantu 11.

v. 10. *Pinea texta*] Ita Ovidius lib. 1. Tristium Elegia 3.

*Pinea texta sonant: pulsi stridore rudentes.*

Vide eumdem Metamorph. lib. 14. v. 530. nec non 1. Fastorum v. 506. quæ loca olim allata sunt a Theodoro Marcilio. *Textrinum* dictum fuisse ναυπήγιον, sive locum in quo naves fabricantur, Ennii auctoritate docuit Josephus Scaliger.

v. 11. *Rudem Amphitriten*] Non, quod ante Argonautarum expeditionem a nemine fuerit navigatum: Catullus enim ipse in hoc poemate, classis Thesei mentionem facit, narratque, juvenes & virgines Atticas in Cretam ad Minotaurum navibus avectas fuisse: verum quod Argonautæ difficilem admodum, & nondum ad ea tempora susceptam navigationem primi tentaverint. Etenim *rudis Amphitrite*, hoc loco, ut recte Vossius animadvertit, non est mare quodlibet, sed Pontus Euxinus, importuosus, vadosus, frequenti occursu scopulorum infestus, & iccirco tempestare illa intentatus. Memorabile est Vegetii monitum lib. 4. de Re Militari cap. 43. *Nauticorum*, inquit, *gubernatorumque solertia est, loca in quibus navigatur, portusque cognoscere: ut infesta prominentibus, vel latentibus scopulis, vadosa ac sicca vitentur. Tanto enim securitas major est, quanto mare altius fuerit.* Videsis quæ adnotavimus ad Carmen 4. v. 9. Ceterum, similem sententiam huic Catullianæ continent versus aliquot Pedonis Albinovani de Germanici navigatione per Oceanum septemtrionalem, quos versus nobis servavit Seneca Suasoria 1.

*Anne alio positas ultra sub cardine gentes,*
*Atque alium libris intactum quærimus orbem?*
*Dii revocant, rerumque vetant cognoscere finem*
*Mortales oculos. aliena quid æquora remis,*
*Et sacras violamus aquas? divûmque quietas*
*Turbamus sedes?* - - - - - - -

Quæ cum scriberet Albinovanus, hunc locum Catulli ante oculos habuisse videtur. Noster enim paullo post:

*Illaque hautque alia viderunt luce marinas*
*Mortales oculi nudato corpore Nymphas.*

ibid. *Prima*] Quomodo id accipi debeat, modo explicavimus. Antea enim

Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor,
Tortaque remigio spumis incanuit unda,
Emersere feri candenti e gurgite vultus
Æquo-

nim Phœnices, Tyrii præcipue, atque a Tyriis profecti Carthaginienses navigaverant, & mercaturis faciendis rem privatam & publicam auxerant. Tibullus Elegia 8. lib. 1.

*Prima ratem ventis credere docta Tyros.*

Propertius lib. 2. Elegia 20. E. B.

*Quaritis & cœlo Phœnicum inventa sereno,*
*Qua sit stella homini commoda, quaque mala.*

ibid. *Imbuit* ] Servius Grammaticus ad illud Eclogæ 1. Virgilii - - *Illius aram Sape tener nostris ab ovilibus imbuet agnus - - Imbuere*, inquit, *est proprie inchoare, & initiare. Nemo autem unam eamdemque rem sape inchoat: sed constat sape pascua mutare pastores: sicut etiam in Georgicis legimus - - Itque pecus longa in deserta sine ullis Hospitiis; tantum campi jacet - - unde necesse est, pastores toties aras imbuere quoties mutaverint pascua.* Valerius Flaccus lib. 1. Argonautic. v. 69. de Triptolemo agriculturæ inventore:

- - - *Ignaras Cereris qui vomere terras*
*Imbuit* - - - - - -

Sunt qui eo loco Valerii legant *ignavas*, quod elegantius videtur. sententia tamen eodem recidit.

ibid. *Amphitriten* ] Uxor Neptuni Amphitrite, ut fabulæ tradunt. Eam iccirco poetæ pro ipso mari usurpare amant.

v. 12. *Rostro* ]Rostra quondam in fronte navium apponi solita, nemo est qui nesciat. Forma illorum apri nonnumquam rostrum imitabatur: sub quo aut unus, aut plures ærei dentes prominebant. Cum vero & ventorum vi, & præcipue remorum impulsu naves agerentur, adeo vehementer obvias in prœliis percutiebant, ut & rostra illarum comminuerent, & interdum ita iisdem fixæ adhærerent, ut nonnisi magno conatu avelli inde ac disjungi possent. Vegetius lib. 4. de Re Militari cap. 43. *Navalis pugna tranquillo committitur mari, Liburnarumque moles non ventorum flatibus, sed remorum pulsu adversarios percutie rostris, eorumque rursum impetus vitat. In quo opere lacerti remigum, & ars clavum regentis magistri victoriam praftae.* Consule, si lubet, Godescalcum Stevvechium in Commentario ad illum scriptorem. Quædam rostrorum similitudo cernitur adhuc in cymbis Venetis, quibus per urbem ultro citroque discurrentes uti solent: sed ea res ad ornatum & æquipondium tantummodo spectat.

ibid. *Ventosum æquor* ] Ventis agitatum. Virgilius 1. Georgicon v. 206.

- - *Quibus in patriam ventosa per æquora vectis*
*Pontus, & ostriferi fauces tentantur Abydi.*

v. 13. *Tortaque* ] Ita Statius legit, Vossio non improbante. Aliis *tota* magis placet.

v. 14. *Feri vultus* ] Marinarum dearum facies notat, subagreste quiddam & subrusticum præ se ferentes. Hic mihi religio fuerit explicationi Vossii subscribere, qui hunc verborum poetæ ordinem esse arbitratur: *Nereides æquorea emersere e gurgite candenti, admirantes monstrum feri vultus:* ut nimirum ipsa navis, torva & incondita facie Nymphis emergentibus visa fuerit. Sed hæc explicatio ( pace loquar viri doctissimi ) nimium abit a simplicitate & nitore quo Catullus verba contexere & collocare solet.

v. 15.

Æquoreæ monſtrum Nereides admirantes:
Illaque hautque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas
Nutricum tenus exſtantes e gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incenſus fertur amore,
Tum Thetis humanos non deſpexit hymenæos,
Tum

v. 15. *Monſtrum* ] Rem inuſitatam; cujuſmodi erant quæ a diis iratis hominum generi monſtrari credebant, & icciréo monſtra & oſtenta appellabant.

ibid. *Admirantes* ] Nereidum pavorem & admirationem, ipſo pondere ſpondaici verſus Catullus expreſſit. Dantes Aligherius, Etruſcorum poetarum doctiſſimus, (Paradiſi Cantu 33.) Argonautarum navigationem ita definivit,

- - - - - - - - *Impreſa*
*Che fe Nettuno ammirar l' ombra d' Argo.*

Eodem pacto, bovem Europæ raptorem, quo Juppiter latebat, admirationi fuiſſe Neptuno, ſcribit Nonnus Panopolita Dionyſiacon lib. 1. v. 60.

Καὶ πλόον εἰλιπόδω ἐπεθάμβεε Κυανοχαίτης.

*Et navigationem incurvis pedibus* bovis *mirabatur cærulea coma Neptunus.*

v. 16. *Hautque alia* ] Aſſentior Voſſio ita legenti: non *atque*. Significat enim poeta, illa tantum die, neque umquam in poſterum, Nereidas nudato corpore ab hominibus fuiſſe conſpectas. Ceterum, *haut* cum adſpiratione pro *aut* in codicibus vetuſtis plerumque occurrit.

v. 18. *Nutricum tenus* ] Ad mammarum fines, quæ *nutrices* ab antiquis dicebantur, a nutriendi munere, quemadmodum ipſæ nutrices *mammæ* dicerentur: ut animadvertit ſæpe laudatus Iſaacus Voſſius.

v. 20. *Thetis humanos n. deſpexit hymenæos* ] Vide ſuperius Carm. 61. verſum illum parium fere numerorum:

*Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.*

Ceterum, quod ait Catullus, Thetidem ab humano conjugio non abhorruiſſe, cum vulgatis fabulis non conſentit. Nam Thetis in eam ſpem adducta fuerat, ut Jovis concubitu frueretur, & ex eo filium conciperet, qui patre major olim evaſurus eſſet; id nimirum oraculis ei præcinentibus. Teſtis, præter ceteros, Quinctilianus Inſtit. Orator. lib. 3. cap. 7. ubi de genere demonſtrativo. *Eum qui ex Thetide natus eſſet, majorem patre ſuo futurum, cecinisſe dicuntur oracula.* Hinc autem ſatis illuſtrari poteſt locus Valerii Flacci Argonauticon lib. 1. v. 130. minus recte ab interpretibus acceptus, vel ſaltem non explicatus.

*Hic inſperatos Tyrrheni tergore piſcis*
*Peleos in thalamos vehitur Thetis: æquora delphin*
*Corripit: illa ſedet dejectis in lumina palla;*
*Nec Jove majorem naſci ſuſpirat Achillem.*

Thetis igitur Peleo nuptura, dolet, Achillem, quem ex eo conjugio oriri oportebat, majorem quidem patre Peleo futurum homine mortali, non tamen Jove deorum immortalium rege majorem. Porro ſi Thetis eum Jove concubuiſſet, atque ex illo concubitu filium ſuſtuliſſet, is Jove major aliquando exſtitiſſet. Tradunt propterea fa-

Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit.
O nimis optato sæclorum tempore nati
Heroes salvete, deûm genus, o bona mater:

Vos

fabulæ, Jovem amore Thetidis captum, cum eam adire decrevisset, a Prometheo deterritum, qui nimirum ei prædixit, si cum Thetide corpus miscuisset, fore ut filius ex eo coitu generatus patri aliquando imperium eriperet, quemadmodum Juppiter patri Saturno eripuisset. Vide Luciani Dialogos, itemque Ovidium lib. 11. Metamorph.

v. 21. *Pater ipse* ] Nereus Thetidis pater. Vel Juppiter, quem *patrem* κατ' ἐξοχὴν poetæ appellare consueverunt. atque hoc verius existimo. Tibullus Elegia 4. lib. 1.

*Gratia magna Jovi. vetuit pater ipse valere*
*Jurâsset cupide quicquid ineptus amor.*

ibid. *Sensit* ] Monitu Promethei in eam sententiam adductus. Vossius legere mavult *sanxit*: quod minus ad rem pertinet. Eam lectionem procudisse dicitur Jovianus Pontanus: quamquam Vossius illam se in nonnullis codicibus calamo exaratis reperisse affirmet.

v. 22. *Nimis optato s. t. n.* ] *Optatum* posuit pro beato & optabili. Sic infra Carm. 105.

*Quis me uno vivit felicior, aut magis est me*
*Optandus vita? dicere quis poterit?*

Hinc illud Valerii Catonis votum in Diris, poemate ita inscripto, v. 178.

*Ergo quod deus, atque heros, cur non minor ætas?*
*Infelix ego, non illo quod tempore natus*
*Quo facilis natura fuit. - - - -*

Valerio Catoni præiverat suavissimus Hesiodus ἐν ἔργοις v. 174.

Μηκέτ' ἔπειτ' ὤφελλον ἐγὼ πέμπτοισι μετεῖναι
Ἀνδράσιν, ἀλλ' ἢ πρόσθε θανεῖν ἢ ἔπειτα γενέσθαι.

*O utinam ego quinto non interessem*
*Hominum generi, sed aut mortuus essem prius, aut postea natus.*

v. 23. *Heroes s. deûm genus* ] Qui fuerint heroes, pluribus explicat minor Homeri Scholiastes ad primam Iliados rhapsodiam v. 4. ΗΡΩΩΝ. τῶν ἡμιθέων ἀνδρῶν· ἥρωας δὲ φασὶ κληθῆναι ἀπὸ τῆς ἀρετῆς. ἢ ἀπὸ τοῦ ἀέρος, ὡς φησὶν Ἡσίοδος ἐν τοῖς ἔργοις καὶ ταῖς ἡμέραις· ἠέρα ἑσσάμενοι πάντη φοιτῶσιν ἐπ' αἶαν. ἢ ἀπὸ τῆς ἐράσεως, τοῦτ' ἔστι μίξεως τῶν θεῶν. οἱ γὰρ θεοὶ θνηταῖς γυναιξὶ συνερχόμενοι ἐποίουν τὸ τῶν ἡρώων γένος. ἢ ἀπὸ τῆς ἔρας. ἔρα δὲ ἡ γῆ, κατὰ διάλεκτον· ἐκ δὲ τῆς γῆς, ἐπλάσθη τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων. id est: HEROUM. *semideorum virorum. Heroas vero ajunt vocatos fuisse* ἀπὸ τῆς ἀρετῆς (*a virtute*): *vel ab aere, ut ait Hesiodus in Operibus & Diebus: Aere induti, passim oberrant per terram: vel* ἀπὸ τῆς ἐράσεως (*ab amatione, seu coitu deorum*); *dii enim cum mortalibus mulieribus coeuntes procreaverunt heroum genus: vel* ἀπὸ τῆς ἔρας· ἔρα *enim terra est, secundum linguæ proprietatem. e terra autem effictum est genus hominum.* Ceterum heroas, quos & semideos appellaverunt, ad quartam humani generis ætatem pertinuisse, tradit sæpe laudatus Hesiodus in Operibus & Diebus v. 156.

Αὐτὰρ ἐπεὶ καὶ τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψεν,
Αὖθις ἔτ' ἄλλο τέταρτον ἐπὶ χθονὶ πυλυβοτείρῃ
Ζεὺς Κρονίδης ποίησε δικαιότερον καὶ ἄρειον,

Αν-

Vos ego ſæpe meo vos carmine compellabo.
Teque adeo, eximie tædis felicibus aucte,
Theſſaliæ columen Peleu, quoi Juppiter ipſe,
Ipſe

Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται
Ἡμίθεοι προτέρῃ γενεῇ κατ' ἀπείρονα γαῖαν.

*Sed poſtquam & hoc genus terra operuit,*
*Rurſum alind quartum in terra multorum altrice*
*Juppiter Saturnius fecit juſtius & melius,*
*Virorum heroum divinum genus, qui vocantur*
*Semidei, priore ætate, per immenſam terram.*

ibid. *O bona mater* ] Thetidem his verbis a Catullo ſignificari, exiſtimat Realinus, quæ nimirum fuerit Achillis mater, de quo multa in hoc poemate. Muretus vero, cui & alii aſſentiuntur, arbitratur, ipſam Argo navem hoc nomine appellari, ex qua, tamquam ex utero, tot clariſſima heroum capita prodierint. Et ſane Apollonius Rhodius lib. 4. Argonauticon v. 1327. ita eam ἐκφράζεται:

Δὴ ῥα τότε σφετέρῃ ἀπὸ μητέρι τίνετ' ἀμοιβὴν
Ὧν ἐκάμεν δηρὸν κατὰ νηδύος ὔμμε φέρουσα.

*Tunc veſtræ matri ( ſc. navi ) rependite retributionem*
*Eorum quæ tulit, diu in utero vos geſtans.*

Neque aliter Virgilius Æneidos lib. 2. v. 20. de durateo equo, armatis hominibus gravido:

- - - - - *Penituſque cavernas*
*Ingentes, uterumque armato milite complent.*

& rurſus v. 237.

- - *Scandit fatalis machina muros*
*Feta armis* - - - - - -

Ego tamen *τὸ mater* accipiendum crediderim de Theſſalia, quæ lectiſſimos illos juvenes Jaſonis comites, non ſecus ac ſolent genitrices, in lucem protulerit: præſertim cum poeta noſter in Galliambo v. 50. patriam *genetricem* appellaverit:

*Patria o mea creatrix, Patria o mea genetrix.*

v. 24. *Vos ego vos* ] Venuſtiſſimæ ſunt hujuſmodi anaphoræ, & ad exprimendos molliſſimos affectus mirum in modum accommodatæ.

v. 25. *Teque adeo* ] Virgilius lib. 1. Georgicon v. 24.

*Tuque adeo, quem mox quæ ſint habitura deorum*
*Concilia, incertum eſt; urbiſne inviſere, Cæſar,*
*Terrarumque velis curam* - - -

Ad quem locum Servius adnotat, *adeo* ſignificare *præcipue*, vel eſſe particulam πληρωτικήν.

ibid. *Eximie* ] Præter mortalium ceterorum conditionem. Ita *eximie diligere* Ciceroni eſt, *ſingulari amore proſequi*. *Eximium* enim ſingulare eſt, quaſi a vulgari hominum ſorte exemtum.

ibid. *Tædis* ] Nuptiis; nam tædæ, ſeu faces, novæ nuptæ præferebantur. Vide Carmen 60.

ibid. *Aucte* ] Eodem pacto dixit M. Tullius *auctum filiolo, beneficio, pecunia, præda*.

v. 26. *Theſſaliæ columen* ] Culmen, ſive fulcrum. Horatius Ode 17. lib. 2.

- - *Mæcenas, mearum*
*Grande decus, columenque rerum.*

Seneca Troadibus v. 6. urbem Trojam *columen Aſiæ* vocat:

- - *Columen everſum occidit*
*Pollentis Aſiæ, cælitum egregius labor.*

Ipse suos divûm genitor concessit amores.
Téne Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Téne suam Tethys concessit ducere neptem?
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quæ simul optatæ finito tempore luces
Ut venere, domum conventu tota frequentat
Thessalia. oppletur lætanti regia cœtu.
Dona ferunt: præ se declarant gaudia voltu.
Deseritur Scyros: linquunt Phthiotica Tempe,
Cra-

v. 27. *Suos concessit amores* ] Qui summus est liberalitatis & amicitiæ gradus. Franciscus Petrarcha ( in Triumpho Amoris cap. 2. ) de Seleuco Nicanore, Syriæ rege, qui Stratonicen uxorem suam, mulierem pulcherrimam, Antiocho filio suo novercæ amore insanienti, atque ex desiderio gravissime laboranti, non invitus habendam concesserat:

*Donar altrui la sua diletta sposa:*
*O sommo amor', o nova cortesia!*

v. 28. *Tenuit* ] Complexa est. Tibullus Elegia 1. lib. 1.

*Te teneam moriens deficiente manu.*

ibid. *Neptunine* ] Patronymicon est. Thetis enim fuit neptis Oceani, quem Catullus hoc loco Neptuni nomine intelligere videtur. Ex Oceano ac Tethy nati sunt Nereus & Doris. Porro ex Nereo & Doride Nereides centum, quarum Thetis pulcherrima. Simili vocis figura Coluthus Thebanus de Raptu Helenæ v. 369. vocavit Helenam *Tyndareonen*, quod nempe Tyndari filia vulgo putaretur:

*Τοῖα δ' φωνήσασα προσέειπε Τυνδαρεώνη.*

v. 29. *Tethys* ] Cæli & Terræ filia, Oceani soror & conjux. Ex ea Doris Thetidis mater.

v. 30. *Mari totum qui amplectitur orbem* ] Oceanus terras omnes, tamquam insulam quamdam ingentem, extrinsecus amplectitur: opponitur autem mediterraneo mari, quod terræ ipsæ gremio receptum circumplectuntur. Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 193.

*Ipse ter æquoreo libans carchesia patri*
*Sic ait Æsonides: O qui spumantia nutu*
*Regna quatis, terrasque salo complecteris omnes.*

Prior vero Tibullus Panegyrico ad Messalam v. 148.

*- - - Oceanus ponto qua continet orbem.*

v. 32. *Tota Thessalia* ] Καθ' ὑπερβολήν. maxima Thessalorum pars. Ita Propertius Elegia 5. lib. 2.

*Non ita complebant Ephyrææ Laidos ædes,*
*Ad cujus jacuit Græcia tota fores.*

v. 33. *Lætanti cœtu* ] Scilicet novo marito, & novæ nuptæ felix conjugium gratulantium.

v. 34. *Præ se d. gaudia voltu* ] Non in sinu gaudent, sed etiam vultu, oculis, fronte, se gaudere, palam testantur. Eodem pacto infra v. 194. quamquam de affectu dissimili:

*Frons exspirantis præportat pectoris iras.*

v. 35. *Scyros* ] Quæ insula longe quidem abest a Thessalia: sed Thessalis Dolopibus olim paruit; quod recte Vossius monet.

ibid. *Phthiotica Tempe* ] Hæc Tempe de quibus Catullus, non fuerunt
( aut

Cranonisque domos, ac mœnia Lariſſæa.
Pharſaliam coeunt, Pharſalia tecta frequentant.
Rura colit nemo, molleſcunt colla juvencis.

Non-

( aut ego fallor ) in Theſſalia proprie dicta, ſed potius in Phthiotide, quam regionem Pomponius Mela lib. 2. Geographiæ cap. 3. a Theſſalia diſtinguit. Porro Phthiotis, auctore Strabone lib. 9. ad Auſtrum vergebat, ſita juxta montem Oetam, & a finibus Maliaco & Pyliaco uſque ad Dolopiam & Pindum olim porrigebatur, deinde longius, uſque ad Pharſalium & campos Theſſalicos. Nomen autem accepit hæc regio a Phthia Achillis patria. Gemina igitur Tempe videntur exſtitiſſe, ut Statius Luſitanus pridem animadvertit: altera ad Sperchium, quæ hic a poeta noſtro memorentur, altera ad Peneum celeberrima, de quibus, præter alios, Plinius lib. 4. Nat. Hiſt. cap. 8. Profecto enim Phthiotæ non attingebant Peneum fluvium, Tempe Theſſala perluentem, Othry monte interjecto ab eo ſeparati.

v. 36. *Cranoniſque domos* ] Ita locum depravatum emendavit egregie vir doctiſſimus Petrus Victorius, cui Voſſius adſtipulatur. Cranon, Theſſaliæ Pelaſgiotidis oppidum fuit, in locis quæ Tempe vocabantur. Joſephus Scaliger malebat *Grajugenaſque*; quod nimirum narret Strabo lib. 8. Theſſalos tantummodo ab Apollodoro Ἕλληνας, ſeu Græcos, appellatos. Hanc Scaligeri lectionem tuetur Theodorus Marcilius.

ibid. *Ac mœnia Lariſſæa* ] Hic mire turbant libri MSS. In hac tamen lectione ſatis commoda acquieſcendum ait M. Antonius Muretus, donec certior alicunde proferatur. Lariſſa enim urbibus Theſſaliæ nobilioribus annumerata eſt.

v. 37. *Pharſaliam* ] Sunt qui legant *Pharſalum*; tradentibus fabulis, in eo Theſſaliæ oppido Pelei nuptias fuiſſe celebratas. Scaliger tamen a vulgata lectione non diſcedit, docetque, alteram ſyllabam vocis *Pharſaliam* eſſe communem apud poetas: quorum licentiam ut oſtendat, affert Lucretii verſum 1252. e libro 4.

*Craſſaque conveniant liquidis, & liquida craſſis*,

quem Alexander Guarinus multo antea notaverat in Commentario ad Catullum. Boni tamen illius & docti Guarini apud Scaligerum οὐδεὶς λόγος. Addo ego, *Pharſaliam*, trium ſyllabarum effici poſſe κατὰ συναίρεσιν, qua figura veteres poetæ ſæpenumero ſunt uſi. Hac ratione defendi poteſt verſus ille Balthaſſaris Caſtilionii ex Elegia pulcherrima, qua Hippolyten uxorem ſuam ad ipſum ſcribentem inducit:

*Huic ego delicias facio, arrideoque, jocorque*,

de quo verſu ita Caſpar Scioppius in Paradoxis Litterariis Epiſtola 5. *In Balthaſſaris Caſtilionii ſummi poetæ Elegia, plorantibus opinor Muſis*, rideo *prima correpta profertur*. Oblitus fuerat ſcilicet ſuperciliosus ille cenſor, *arrideo*, per ſynæreſin triſyllabum fieri poſſe. Ceterum, Thetidem Peleo nuptam, in oppido Pharſalia, Phthiæ vicino, ſeorſum ab hominum frequentia habitaviſſe; quem locum Theſſaliæ populi Thetidæum, propter deæ nuptias, appellaverint; legas apud Euripidem in Andromache, a v. 16.

v. 38. *Rura colit nemo* ] A cultu agrorum omnes feriantur, ut ſolet feſtis diebus. Tibullus Elegia 1. lib. 2.

Luce

Non humilis curvis purgatur vinea rastris:
Non glæbam prono convellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram.
Squalida desertis robigo infertur aratris.

Ipsius

*Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,*
*Et grave suspenso vomere cesset opus.*

ibid. *Mollescunt colla juvencis* ] Boves jugo vincti callum cervice contrahunt: idem, si soluti diutius dimittantur, iis paullatim obliteratur.

v. 39. *Humilis vinea* ] Humi repens, non arbustiva; cujusmodi sunt in Græcia & Asia. Vide Adnotationes nostras ad Carmen 61. v. 49. Vel (quod verius existimo) novella, nuper consita, quæ ad justam altitudinem nondum excrevit, ideoque *humilis* jure dici potest. Novellæ autem vineæ in primis agricolæ operam ac diligentiam requirunt. Audi Columellam lib. 4. de Re Rustica cap. 3. *At ego, cum omne genus ruris, nisi diligenti cura scienteque exerceatur, fructuosum esse non posse, judicem, tum vel maxime vineas. Res est enim tenera, infirma, injuria maxime impatiens, quæ plerumque nimio labore & ubertate consumitur; peritque, si modum non adhibeas, fecunditate sua. Cum tamen aliquatenus se confirmavit, & velut juvenile robur accepit, negligentiam sustinet. Novella vero, dum adolescit, nisi omnia justa perceperit, ad ultimam redigitur maciem, & sic intabescit, ut nullis deinceps impensis recreari possit.*

v. 40. *Prono vomere* ] In terram defixo. Vel vomeri tribuit poeta quod aratoris est. *Arator* enim (ait Plinius lib. 18. cap. 19.) *nisi incurvus, prævaricatur*; i. e. exorbitat, a sulco evagatur; quod proprie dicebant *delirare*: *lira* enim editior terræ cumulus est inter duos sulcos interceptus.

v. 41. *Falx frondatorum* ] Frondatores vocantur qui nimiam ramorum vel foliorum luxuriem in vitibus cæterisque arboribus falce aut manu coercent ac depascuntur. De his Virgilius Ecloga 9. v. 60.

*- - - - Hic ubi densas*
*Agricolæ stringunt frondes, hic, Mœri, canamus.*

Frondatorum præcipuum genus erant qui pampinabant vineas, idest pampinos decerpebant, ne pluribus colibus e sarmento natis, sarmentum nequiret omnibus ministrare succum. Vide Varronem lib. 1. de R. R. cap. 13.

ibid. *Attenuat a. umbram* ] Ovidius in poemate de Nuce v. 63.

*Non mihi falx nimias Saturnia deputat umbras.*

v. 42. *Desertis robigo infertur aratris* ] Vomer, nisi adhibeatur, situ sordescit: contra, si utare, splendet. Virgilius lib. 1. Georgicon v. 45.

*Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro*
*Ingemere, & sulco attritus splendescere vomer.*

Tibullus Elegia ultima lib. 1.

*Pace bidens vomerque nitent: at tristia duri*
*Militis in tenebris occupat arma situs.*

Ceterum, *inferri aratris robiginem* mirus loquendi modus videri possit. Sic tamen dicebant *inferre alicui turpitudinem*, *stuprum*, *infamiam*, *probrum*, *labem*. Hæc autem omnia hoc loco ponuntur a Catullo κατ' αὔξησιν, figuram poetis familiarem; non quod tamdiu a Thessalis agricolis cessatum fuerit, donec robiginem aratra contraherent.

v. 43.

Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro atque argento.
Candet ebur soliis, collucent pocula mensæ.
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Polvinar vero divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum

Tin-

v. 43. *Quacumque opulenta recessit Regia* ] Principum virorum domus amplissimæ sunt, & multos recessus habent. Ipsas porro ædes, antra, litora, & alia hujusmodi loca, non solum poetæ, qui omnia sibi licere volunt, sed & reliqui scriptores, venusta translatione, *recedere* dixerunt. Seneca Epistola 90. *Quid ergo? non vetustas multa abdidit loca, quæ vel injuria temporis, vel alio quolibet casu excavata, in specum recesserunt?* Idem Consolatione ad Marciam cap. 18. memorat *litora in portum recedentia*. Elegantissime vero, atque ἐμφατικῶς Valerius Flaccus lib. 7. v. 109. de Medea Jasonis amore inflammata, ejusque abitum ab Æetæ domo ægre ferente:

*Illa domum atque ipsos paullum procedere postes*
*Optat* - - - - -

Longiores videlicet ædes, magisque remotam januam fieri voluisset, ut diutius cari capitis aspectu frui posset. Virgilius denique Æneidos 2. v. 299. sententia tamen paullo diversa:

- - - - *Quamquam secreta parentis*
*Anchisæ domus, arboribusque obtecta recessit.*

v. 44. *Fulgenti splendent a. a. argento* ] Silius Italicus lib. 14. Punicorum v. 661.

*Jam simul argento fulgentia pocula* - -

v. 45. *Soliis* ] Hac voce mensas aliquando significari, docet Achilles Statius, allato loco Ciceronis ex Oratione in Pisonem. *Græci stipati in lectulis: ipse solus bibiturus quæ eodem de solio ministrentur.* Catullus tamen *solia* pro sedibus & cathedris usurpâsse videtur; præsertim cum heroicis temporibus ad mensam quoque sederent, non in lectulis discumberent, ut postea mos obtinuit. Id uberius explicabo ad versum 303. hujus poematis.

ibid. *Collucent pocula* ] Non solum quod auro & argento essent, verum etiam ob gemmas ipsis affabre infixas. Sequitur enim apud Silium versu paullo ante recitato:

- - - - - *Mixta*
*Queis gemma quæsitus honos* - - -

Fuerunt præterea pocula ex una gemma excavata; de quibus dicam, Deo favente, ad illum Propertii versiculum Elegia 3. lib. 3.

*Nec bibit e gemma divite nostra sitis.*

v. 46. *Tota domus gaudet* ] Mirus loquendi lepos. Domui tribuit quod est habitatorum & advenientium. Sic infra v. 248.

*Queis permulsa domus jucundo risit odore.*

Horatius pariter Ode 11. lib. 4.

*Ridet argento domus* - - - -

v. 47. *Polvinar geniale* ] Λέχος γαμήλιον. lectus Genio sacer. Dixit autem *polvinar*, quia pulvinaria diis proprie sterni solebant.

v. 48. *Ædibus in mediis* ] Hemistichium hoc sumsit Virgilius lib. 2. Æneidos v. 512.

*Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe*
*Ingens ara fuit* - - - - - -

ibid.

Tincta tegit roseo conchylî purpura fuco.



ibid. *Indo quod dente politum* ] Ἐλέφαντι κεκοσμημένον. *Dens Indus* est ebur detractum Indico elephanto. *India* enim *mittit ebur*, ut Maro ait Georgic. 1. v. 57. Erat autem Thetidis lectus genialis ex ebore, manu artificis egregie polito; quæ ars tamen, nobilis philosophi inventum fuit. Seneca testis Epist. 90. *Excidit porro vobis, eumdem Democritum invenisse, quemadmodum ebur poliretur*. Lectis etiam funebribus, in quibus potentiorum cadavera efferebantur, ebur additum fuisse, discimus ex Propertio, qui Elegia 10. lib. 2. E. B.

*Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,*

*Nec tuba sit fati vana querela mei*.

Memorabilia sunt in hanc rem verba Pausaniæ in Atticis cap. 12. ubi ebur quidem ab antiquissimis Græcorum cognitum refert, elephantum belluam non item. Δηλοῖ δὲ καὶ Ὅμηρος, inquit, ὃς βασιλεῦσι κλίνας μὲν καὶ οἰκίας τοῖς εὐδαιμονεστέροις αὐτῶν, ἐλέφαντι ἐποίησε κεκοσμημένας, θηρίου δὲ ἐλέφαντος μνήμην οὐδεμίαν ἐποιήσατο· θεασάμενος δὲ καὶ πεπυσμένος ἐμνημόνευσεν ἂν πολύ γε πρότερον (ἐμοὶ δοκεῖν) ἢ Πυγμαίων τε ἀνδρῶν καὶ γεράνων μάχης. i. e. *Quod ipsum ex Homero facile conjicias, qui cum regum lectos, & opulentiorum inter hosce domos ebore ornatas dixerit, belluæ tamen nuspiam mentionem facit. quod si aut elephantem vidisset, aut de eo quicquam audisset, antiquius opinor duxisset hoc, quam Pygmæorum & gruum pugnam commemorare*.

v. 49. *Roseo conchylî purpura fuco* ] *Conchylî* pro *conchylii*, κατὰ συναίρεσιν. Conchylium genus est testacei piscis, quem etiam purpuram veteres appellaverunt. Ex eo sanies illa Romanis laudatissima, & auro ipso pretiosior depromebatur, qua nobilium virorum atque mulierum, in primis vero magistratuum, & post exstinctam Romanam libertatem, Augustorum tantum vestes tingerentur. M. Tullius Actione 6. in C. Verrem: *Mulier est Segestana, perdives & nobilis, Lamia nomine. per triennium isti plena domo telarum, stragulam vestem confecit: nihil nisi conchylio tinctum*. Seneca Nat. Quæst. lib. 1. cap. 3. *Sic enim & purpura eodem conchylio non unum in modum exit. Interest, quamdiu macerata sit: crassius medicamentum, an aquatius traxerit: sæpius mersa sit & excocta, an semel tincta*. Succus ille conchylii *ostrum* proprie dicebatur, auctore Vitruvio lib. 7. Architecturæ cap. 13. neque unius coloris erat, sed, pro variis cæli plagis, ater, lividus, violaceus, ruber exsistebat, ut idem scriptor eodem loco tradit. Violaceus tamen purpuræ color præcipuo erat in pretio, quem etiam *ianthinum* Græco vocabulo, & *amethystinum* ab amethysto gemma concolore appellabant: quod innumeris veterum scriptorum testimoniis ostendere possem, si operæ pretium esset. Cum igitur ait Catullus *roseo fuco*, intelligit colorem rosæ nigricantis, quam damascenam hodie dicimus. Porro nomen *purpuræ* tria significabat: nimirum ipsum ostreum seu conchylium, cui etiam *murici* nomen fuit: saniem seu succum conchylii, quo tinctores ad pannos tingendos utebantur: vestem denique eo succo infectam. Poeta noster hoc loco postrema significatione adhibuit. *Purpuram* enim *tinctam* dixit, nempe vestem purpuream. Horatius quoque Ode 18. lib. 2.

*Nec Laconicas mihi*

*Trahunt honestæ purpuras clientæ*.

Laconicæ autem purpuræ secundus honor post Tyriam fuit, quæ omnium excellentissima habebatur. Nere purpu-

puram, ut ex his Horatii versibus colligere licet, non fuit opus ancillarum, aut vilium mulierCularum, sed feminarum honestiorum: neque matronas ipsas dedecebat.

Quomodo color purpureus primo inventus fuerit, e Tyriorum historiis narrat Pollux lib. 1. Onomastici cap. 4. in hunc fere modum. Hercules Nymphæ cujusdam, quæ Tyrus vocabatur, amore quondam captus est. Hunc vero sequebatur canis vetusto & heroico more: qui canis repentem in petra purpuram conspicatus, exstantem e concha ejus carnem arripuit mordicus, comeditque. sanguis vero canis labia cruentans, puniceo rubore infecit. Ut vero ad puellam heros iterum venit, ea, canis labia insolito colore tincta animadvertens, Herculem in posterum ad se redire prohibuit, antequam ipsi vestem caninis labiis pulchriorem dono attulisset. Hercules igitur quæsitum animal inveuit, cruorem collegit, & amicæ munus attulit; primus, ut Tyrii testantur, punicei coloris iuventor. Vide Angelum Politianum Miscellaneorum cap. 12. ubi versiculos quosdam Nonni Panopolitæ e lib. 4. Dionysiacon ad eamdem rem pertinentes, in medium profert. Historiam hanc, sive fabellam, Achilles Tatius lib. 2. de Clitophonte & Leucippe, paullo aliter exponit, purpuræque inventionem non Herculi, sed pastori cuidam tribuit, ex eorumdem Tyriorum narrationibus. Illud singulare est quod apud Pollucem eodem loco de purpura legitur: Χαίρει δὲ, inquit, ἡλίῳ ὁμιλοῦσα ἡ πορφύρας ἡ βαφή. καὶ ἡ ἀκτὶς αὐτὴν ἀναπυρσεύει, καὶ πλείω ποιεῖ καὶ φαιδροτέραν τὴν αἴγλην, ἐκφοινισσομένην ἐκ τοῦ ἄνω πυρός. *Tinctura vero purpuræ Solem amat, etenim hujus illustrata radiis majorem latioremque splendorem purpureo colore coruscantem a supero igne concipit.* Propterea Claudianus de 4. Cons. Honorii v. 551.

*- - Vestis radiato murice Solem*
*Combibit - - - - -*

Nec dissimilia scribit Seneca lib. 1. Nat. Quæst. cap. 5. *Sunt etiam*, ait, *quidam colores qui ex intervallo vim suam ostendunt. Purpuram Tyriam, quo melior saturiorque est, eo oportet altius teneas, ut fulgorem suum ostendat. Non tamen ideo non habet illa colorem, quia quem optimum habet, non quomodocumque explicetur, ostendit.* Huc pertinet jocus Augusti quem ita refert Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 4. *Cum de Tyria purpura, quam emi jusserat, obscuritate quereretur, dicente venditore, - - Erige altius, & suspice - -, his usus est salibus: - - Quid? ego, ut me populus Romanus dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum?* Hinc intelliges, quamobrem Horatius dixerit in libello de Arte Poetica v. 15.

*Purpureus, late qui splendeat, unus & alter*
*Assuitur pannus - - - -*

Propertius vero Elegia 3. lib. 4.

*- - Quo Pœnis tibi purpura fulgeat ostris?*

Ovidius pariter Epist. Oenones v. 65.

*- - In summa fulsit mihi purpura prora.*

Ceterum, docte, ac rei naturæ convenienter locutus est Manilius lib. 5. Astronomicon v. 258.

*Pallentes violas, & purpureos hyacinthos,*
*Liliaque, & Tyrias imitata papavera luces.*

i. e. splendorem purpuræ Tyriæ, quo ea Solis radiis objecta nitere solet. Unde etiam docemur, purpuræ colorem, hyacinthorum & papaverum nigricanti rubori similem plane fuisse. *Plebejam purpuram ac pane fuscam* Tullius memorat in Oratione pro P. Sextio.

Hæc vestis priscis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.

Nam-

v. 50. *Hæc vestis* ] Hinc ἔκβασις illa initium ducit, qua Catullus a proposito argumento quam longissime discedit; Lyricos poetas, & præsertim Pindarum imitatus. Ceterum Homerus clypeo Achillis, & Virgilius Æneæ describendo, aliquid simile commisisse videri possint. Exspatiari enim amant poetæ, ac licentius progredi, cum benignam dicendi materiam, tamquam patentes eloquentiæ campos, nacti sunt. Ut autem id quod sentio, candide aperiam, videtur mihi Catullus, in gratiam pulcherrimæ hujus παρεκβάσεως totum hoc poema scribendum suscepisse.

ibid. *Priscis hominum figuris* ] Pro *priscorum hominum figuris*. Ita Virgilius 8. Æneidos v. 526.

*Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.*

id est, *clangor tubæ Tyrrhenæ*.

ibid. *Variata figuris* ] Propertius pariter Elegia 5. lib. 2.

*Non istis olim variabant tecta figuris.*

v. 51. *Heroum virtutes* ] Palladius Fuscus hanc ironiam esse affirmat; illud, credo, significans, Thesei dolum, quo Ariadnen optime de se meritam deserto in litore feris dilaniandam reliquerat, scelus, non virtutem fuisse. Ita loquitur Æschinus apud Terentium Adelphis Ac. 2. Sc. 1. v. 22. cui cum dixisset leno, colaphis ab ipso pulsari jussus,

- - - *Quid hoc rei est? regnúmne, Æschine, hic tu possides?*

respondet adolescens:

*Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.*

At optime monuit Scaliger, *virtutes heroum* pro ipsis heroibus posuisse Catullum: eo plane modo quo Homerus in Odyssea non semel ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο, *sacrum robur Alcinoi* pro ipso Alcinoo, & *sententiam Catonis* pro Catone dixit Horatius Sat. 2. lib. 1.

ibid. *Mira arte* ] Acu scilicet pingente.

v. 52. *Fluentisono litore* ] Fluentibus maris aquis pulsantur litora; ex quo mugitus quidam & fremitus circum diffunditur. Longe ante Catullum Homerus mare appellavit πολύφλοισβον, *multum strepens*, præsertim prope litus. Sic enim Iliados 1. v. 34.

Βῆ δ' ἀκέων παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.

*Ivit autem tacitus ad litus multum strepentis maris.*

Orpheus pariter, seu quisquis nomen Orphei mentitus est, in Argonauticis v. 329.

-- Πρὸς χεῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.

-- *Ad fluxum multum strepentis maris.*

Hujusmodi fremitum tribuit Virgilius lacui Benaco, Georgicon lib. 2. v. 159.

- - - *Te, Lari maxime; teque,*
*Fluctibus, & fremitu adsurgens, Benace, marino.*

ibid. *Dia* ] Tametsi plurimi scriptores monumentis litterarum tradiderint, Ariadnen a Theseo relictam in insula Naxo, una ex Cycladibus, quæ Dia etiam vocata fuit; optime tamen animadvertit Vossius, Diam de qua Catullus hic loquitur, Cretensem videri fuisse, cui nimirum, utpote sterili ac desertæ, magis conveniant ea de quibus infra conqueritur Ariadna. Præterea hæc insula Cretâ proficiscentibus Athenas commodum occurrit. Stephanus περὶ πόλεων voce *Dia*: Εἰσὶ καὶ δ' νῆσοι Δῖαι λεγόμεναι. α', ἡ Νάξος. β', ἡ πρὸς Μιλήτῳ. γ', ἡ πρὸς Σαρμοσσῷ. δ', ἡ κατὰ Κνωσσὸν Κρήτης. *Sunt item quatuor insu-*

*la*

Namque fluentisono prospectans litore Diæ
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
Nec dum etiam, se se quæ visit visere credit,
Utpote fallaci quæ tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena.
Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.
Quem procul ex alga mœstis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis, prospicit, evoe,

Pro-

*la Dia vocata. Prima, Naxus. Secunda Mileto; tertia Amorgo; quarta Creta Gnossô adjacet.* Diæ Cretensis meminit & Strabo lib. 10. Quinque Dias enumerat Scholiastes Theocriti ad versum 45. Pharmaceutriæ.

v. 53. *Cedentem* ] Pro *discedentem*. Verbum simplex pro composito: quæ commutatio poetis frequens.

v. 54. *Indomitos furores* ] Amorem puta, desiderium, indignationem; ex quibus odium, rabies, metus, postremo desperatio.

v. 55. *Nec dum etiam, se se q. v. visere credit* ] Corruptissimus hic versus est in antiquis codicibus, ex quorum tamen vestigiis Isaacus Vossius hanc lectionem exsculpsit, sane tolerabilem: quæ tamdiu retineri debet, quamdiu melior & certior non emerget.

v. 56. *Somno fallaci* ] Eam enim somno sepultam Theseus dereliquerat.

v. 57. *In sola arena* ] Ἐν ἐρήμῳ ψάμμῳ. Tribuit arenæ quod Ariadnæ ipsius proprium erat. Contra Virgilius lib. 1. Georgicon v. 389. de cornice:

*Et sola in sicca secum spatiatur arena.*

v. 58. *Immemor* ] Non tam puellæ, quam beneficiorum quæ ab illa acceperat. Terentius Andria Ac. 1. Sc. 1. v. 16.

- - - - *Nam isthæc commemoratio*
*Quasi exprobratio est immemoris beneficii.*

Sed ibi fortasse τὸ *immemoris* accipiendum est παθητικῶς, ut Donatus monet: nimirum, beneficii quod e memoria penitus exciderit.

v. 61. *Saxea ut effigies* ] Comparatio admodum efficax, quæ rem descriptam non cogitationi solum, sed ipsis pæne oculis subjicere videtur. Puellam acerbissimo luctu externatam comparat poeta non bacchanti mulieri, quod satis fuisset ad rabiem & furorem exprimendum, sed bacchantis mulieris marmoreo simulacro, ut nimirum pallorem faciei, capillum passum atque horrentem, defixum aspectum, pedem in vestigio stantem, stuporem denique ex accepta calamitate contractum, quam maxime significet. Neque sane injuria M. Antonius Muretus, peritissimus harum elegantiarum arbiter, quas vulgares & oscitantes homines non observatas in legendo prætereunt, similitudinem quam hoc loco Veronensis poeta secutus est, summis laudibus extollit. Operæ pretium fuerit legere Ovidianam epistolam Ariadnæ ad Theseum, in qua puram putam invenies imitationem Catulli. Inter alia huc facit versiculus ille:

*Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.*

 qui

Prospicit, & magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti strophio luctantes vincta papillas:
Omnia quæ toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.

Sed

qui tamen declamatorum cincinnos & myrothecia, nescio quomodo, olere mihi videtur.

ibid. *Bacchantis evoë* ] Mulieris Bacchi furore correptæ, & *evoë evoë* clamantis; ut vere atque acute notavit Scaliger. Sic infra locutus est Catullus v. 254.

*Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,*
*Evoë bacchantes evoë, capita inflectentes.*

v. 62. *Curarum fluctuat undis* ] Lucretius lib. 6. v. 195.

*Et genus humanum frustra plerumque probavit*
*Volvere curarum tristes in pectore fluctus.*

Contra solemus dicere *tranquillum animum*, & *animi tranquillitatem*, a mari nihilominus verba transferentes. Ita & Græci locuti: neque solum poetæ. Herodianus enim lib. 1. Hist. *κυμαίνουσαν*, inquit, *ὢν ἔχων τοσαύταις φροντίσι τὴν ψυχήν. His igitur curarum fluctibus æstuans.*

v. 63. *Non flavo retinens s. v. m.* ] Catulli vestigiis pressius insistit Auctor Ciris, poematis elegantissimi, v. 167.

*Infelix virgo tota bacchatur in urbe:*
*Non styrace Idæo fragrantes picta capillos,*
*Condita non teneris pedibus Sicyonia servans,*
*Non niveo retinens baccata monilia collo.*

ibid. *Flavo vertice* ] Καλλιπλόκαμον puellam describit: flavi enim capilli apud veteres, ut & hodie, in virginibus laudabantur.

v. 64. *Subtilem mitram* ] Tegumentum capitis muliebre, e tenuissimis filis contextum; quod Itali appellant *la cuffia*.

v. 65. *Tereti strophio* ] Strophium fascia erat qua pectus mulieres vinciebant, mammosæ præsertim: ea enim immodicum mammarum tumorem cohibebat. *Teres* a Catullo vocatur, quod ita complicaretur & intorqueretur, ut funiculi solent. Sane Suidas vocat strophium *στρογγύλον ζωνάριον, teretem zonam*. Dictum vero fuit ἀπὸ στροφῆς, nempe a versura seu flexu. *ταχινῶν μαζῶν* appellat Anacreon Ode 20. Hoc etiam interdum ad caput velandum utebantur. Auctor Copæ v. 32.

*- - Roseo necte caput strophio.*

ibid. *Luctantes papillas* ] Blande strophium repellentes; sororiantes. Hæc lectio, quam probat Douza filius, longe præferenda est vulgatæ *lactantes*, vel *lactentes*.

v. 67. *Fluctus salis alludebant* ] Non, *allidebant*. Amat enim Catullus nonnumquam solemnia & recepta verba, ut doctum poetam decet. *Alludere* autem & *eludere* dixerunt optimi scriptores cum de aqua fluminis vel maris ripam aut litus alluente verba facerent. Ovidius lib. 4. Metamorph. v. 342.

*- - - - Et in alludentibus undis*
*Summa pedum, taloque tenus vestigia tingit.*

Se-

Sed neque tum mitræ, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
Ah misera, assiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas.

Illa

Seneca Oedipo v. 266.

*Per te, pater Neptune, qui fluctu brevi*
*Utrimque nostro geminus alludis solo.*

Rem ipsam pulchre ac luculenter describit Minutius Felix, Christianus Auctor elegantissimus, in Octavio non longe ab initio: *Et ut semper mare*, inquit, *etiam positis flatibus inquietum est, etsi non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram, tamen crispis tortuosisque ibidem erroribus delectati perquam sumus, cum ipso aequoris limine plantas tingeremus, quod vicissim nunc adpulsum nostris pedibus adluderet fluctus, nunc relabens, ac vestigia retrahens in se se resorberet*. *Eludere* autem, verbum fuit Jurisconsultorum, cum de litoribus agerent: neque enim sicci & severi homines a flosculis orationis, vel a translationibus, ut nostri temporis rabulæ, abhorruerunt. Cicero testis in Topicis ad Trebatium: *Solebat igitur*, ait, *Aquillius, collega & familiaris meus, quum de litoribus ageretur, quæ omnia publica esse vultis, quærentibus iis ad quos pertinebat, quid esset litus, ita definire: Qua fluctus eluderet*. Porro Ciceroni suffragatur Quinctilianus lib. 5. Instit. Orator. cap. 14. prope finem: *Nam & sæpe*, inquit, *plurimum lucis affert illa translatio, cum etiam ipsi Jurisconsulti, quorum summus circa verborum proprietatem labor est, litus esse audeant dicere, qua fluctus eludit*. Sunt qui apud Ciceronem & Quinctilianum pro *eludere* atque *eludit*, legant *alludere* & *alludit*.

v. 68. *Fluitantis amicti* ] In aquam e corpore Ariadnæ delapsi, & ab aqua huc illuc agitati. Lucretius lib. 2. v. 555. de fragmentis navium per mare disjectis:

*Per terrarum omnes oras fluitantia aplustra*
*Ut videantur - - - - -*

Perperam, si quid sentio, Achilles Statius ad hæc Catulli verba illustranda affert locum Taciti de moribus Germanorum: *Non fluitante veste, sicut Sarmatæ ac Parthi, sed stricta, ac singulos artus exprimente*. *Fluitantem amictum* accepit videlicet pro laxo & sinuoso: verum hoc loco aliud omnino sibi voluit Catullus, ut e sequentibus plane manifestum est.

v. 69. *Vicem curans* ] Parvipendens, quid mitræ vel amictui fieret. Ita *vicem alicujus dolere, pertimescere*, non semel apud Ciceronem occurrit.

v. 71. *Externavit* ] Dementem fecit, mentem exturbavit, ut fere explicat Nonius Marcellus.

v. 72. *Spinosas curas* ] ἀκανθώδεις μερίμνας. Ita Propertius Elegia 6. lib. 3. suspiriis punctionem tribuit:

*Odi ego, quos numquam pungunt suspiria, somnos.*

Cicero pariter pro Sex. Roscio Amerino, *scrupulum* dixit *qui dies noctesque stimulet ac pungat*. Neque solum *pungere*, quod spinarum est, verum etiam *urere, coquere, versare, mordere, exedere, lacerare*, & reliqua hujusmodi, poetæ præsertim, ad vim curarum significandam transtulerunt. Singulorum exempla legentibus obvia.

ibid. *Serens in pectore* ] Eodem pacto semi-

Illa tempestate ferox & tempore Theseus
Egressus curvis e litoribus Piræi
Attigit injusti regis Cortynia templa.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
An-

*semina curarum* dictum invenies a Propertio Eleg. 5. lib. 3. ubi nimium pecuniæ amorem gravissime abominatur:

*Semina curarum de capite orta tuo.*

Quemadmodum vero Catullus Venerem serentem curas in pectore inducit, ita suavissimus Anacreon Ode 13. fingit Ἔρωτα πλέκειν καλιὰν ἐν καρδίῃ, *Amorem struere nidum in corde*; ibique ova parere, atque excludere: in dies nimirum succrescentes varias & infinitas cupiditates.

v. 73. *Illa tempestate* ] Hactenus vestem descripsit, qua Thetidis lectus genialis opertus erat: nunc orditur narrationem; ut picturæ argumentum magis innotescat. *Tempestatem* porro pro *tempore* usurpat, ἀρχαϊκῶς. quomodo Sallustius, antiquorum verborum amator, in Catilina cap. 20. *Quia*, inquit, *multis & magnis tempestatibus vos cognovi fortes fidosque mihi*. Porro Catullo & Sallustio, *tempestas*, præter notationem temporis, significat periculum, difficultatem, ærumnam, calamitatem tempori adjunctam: quo potissimum pacto M. Tullius haud raro ipsa voce *temporis* usus est. Legimus enim apud ipsum, *difficili reipublica tempore*, *gravissimis temporibus civitatis*, *tristissimo meo tempore*: item *tempus miserum*, *turbulentum*, *asperum*, *durum*, *summum*, *extremum*, & alia similia. immo interdum *tempus* sine ullo adjuncto, eadem tamen significatione.

ibid. *Tempestate & tempore* ] ταυτολογία: quam Catullus & alibi non est aspernatus; ut accurate Realinus observavit. Ejusdem enim poetæ illa sunt: *Frustra & nequicquam*; *cupido optantique*.

v. 74. *Piræi* ] Πρόληψις hæc est rerum futurarum, & ἀναχρονισμὸς, poetis non inusitatus. Ætate enim Thesei, & deinceps usque ad tempora Themistoclis, *Piræus* Athenis nomen erat vici, non portûs. Ita Virgilius Æneidos lib. 6. v. 366. verbis Palinuri vita functi ad Æneam - - - *portusque require Velinos*. qui scilicet olim vocandi fuerant Velini. Velia enim Lucaniæ oppidum, a qua portus Velinus, post annum amplius sexcentesimum, quam Æneas in Italiam venerat, conditum demum est.

v. 75. *Injusti regis* ] Justissimum regem Minoëm, & ob singularem justitiæ laudem, una cum Æaco & Rhadamantho, a Jove in aula inferorum caussis cognoscendis præfectum, injustum cur appellaverit poeta noster, mirum sane videri possit. Enimvero Atheniensibus blandiri voluit: apud quos Minos male semper audivit, quod eorum urbem expugnavisset, ac malorum facinorum pœnas in posterum dare coegisset. Ἄνομον δὴ δεινὸν πρόσταγμα, edictum Minois adversus Athenienses appellat Isocrates in Laudatione Helenæ.

ibid. *Cortynia templa* ] Sic ex vetere scriptura legit Vossius. *Cortynia* scilicet pro *Gortynia* præferebant libri calamo exarati. solebant enim Græci, ut & Latini, *c.* & *g.* litteris uti promiscue. *Templa* vero pro *tecta*: ædes enim regiæ, ob amplitudinem, majestatem, ac potentiam regum, *templa* vocabantur. Sed & deorum templa iis adjuncta erant.

v. 76. *Crudeli peste coactam* ] Cum Atticam regionem eo tempore pestilen-

Androgeoneæ pœnas exsolvere cædis,
Electos juvenes, simul & decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Queis

lentia & fames depopularetur, Athenienses oraculum consuluerunt, quid ipsis faciendum eompesceret, ut calamitate liberarentur. Responsum tulerunt, non prius malorum finem futurum, quam marem ac feminam, sortito electos, navi imposuissent, & ad Minoēm Cretensium regem misissent, pœnam & multam pro iis quæ injuste adversus eum perpetraverant. ita demum deos placatum iri. Quid enim miserrimis illis temporibus, malo dæmone instigante, superstitio deceptos homines non cogebat? Eodem sane genere fraudis; cum Græcorum classis ad Trojam profecta, Aulide moraretur, ventis interquiescentibus & navigationem prohibentibus; Calchas vates Agamemnoni persuasit, ut Iphigeniam filiam Dianæ immolaret: id enim sacrificium ventos propitios a diis facile impetraturum. Quam impietatem falso pietatis nomine inscriptam maximopere detestatur Lucretius initio libri primi. Ino pariter Athamantis uxor, ut Phrixum privignum cum Helle sorore ejus, quos novercæ odio prosequebatur, e medio tolleret, imperavit mulieribus, ut semen tritici, clam viris, torrerent. Cum igitur terra, quod tostas fruges excepisset, annonam agricolis denegaret, Athamas Delphos misit, qui ex Apollinis oraculo sciscitarentur, quomodo caritatem & penuriam vitarent. Sacerdotes vero ab Ino pecunia corrupti, responderunt, Phrixum & sororem ejus ad aram Jovis a patre jugulari oportere. Vide, si lubet, Virgilium quoque lib. 2. Æneidos a v. 114.

v. 77. *Androgeoneæ cædis* ] Athenienses & Megarenses Androgeum Minois regis filium, adolescentem fortissimum, circumventum occiderunt: ejus virtuti invidentes, quod in sacris certaminibus victoriam sæpius retulisset. De Minoe filii cædem ulciscente, lege, præter alios, Phædrum Fab. 6. lib. 4.

v. 78. *Electos juvenes* ] Vel quorum nomina sorte exiissent, vel (quod verius existimo) lectissima forma. Jusserat enim oraculum, mitti pulcherrimos. Hanc explicationem confirmant quæ sequuntur: *decus innuptarum*; significant enim virgines eximio corpore. *δὶς ἑπτὰ παῖδας*, *bis septenos pueros* fuisse, ait Isocrates in Helenæ Laudatione.

v. 79. *Cecropiam* ] Athenas, ita vocatas a rege Cecrope. Plinius lib. 10. cap. 56. *Oppidum Cecrops a se appellavit Cecropiam, quæ nunc est arx Athenis*. Arx; nempe ἀκρόπολις, quæ vetus urbs teste Thucydide.

ibid. *Dapem* ] Sacrum epulum. Tibullus Elegia 5. lib. 1.

*Illa deo sciet agricolæ pro vitibus uvam,*
*Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.*

ibid. *Minotauro* ] De hoc monstro, ut & de aliis vulgatis fabulis consulere potes Indicem nostrum. Singulare est quod narrat Athenæus lib. 13. Deipnosophiston; Minoēm videlicet flagitioso Thesei amore captum, qua insania Cretenses laborabant, inimicitias quæ ipsi cum Atheniensibus erant, ultro deposuisse: Καὶ τὴν πρὸς Ἀθηναίους ἔχθραν διελύσατο Μίνως καίπερ ἐπὶ θανάτῳ παιδὸς συςᾶσαν, Θησέως ἐρασθεὶς, καὶ τὴν θυγατέρα τούτῳ γυναῖκα ἔδωκε Φαίδραν, ὡς Ζῆνις ἢ Ζῆνος φησὶν ὁ Χῖος ἐν τῷ περὶ τῆς πατρίδος συγγράμματι. *Inimicitias*
*quæ*

Queis angusta malis quum mœnia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Projicere optavit potius, quam talia Cretam



*qua ob cædem filii inter ipsum & Athenienses exarserant, Minos condonavit, amore Thesei placatus, cui & Phædram filiam nuptum dedit, ut scribit Zenis, sive Zenens Chius in opere de patria sua.*

v. 80. *Angusta* ] Ita cum Vossio legendum, non *angusta*. Theseo enim adolescente vetus urbs Athenarum e paucis admodum vicis constabat. Hanc postea ipse Theseus ampliorem fecit.

v. 81. *Thesens* ] Digna omnino sunt quæ hic legantur verba cultissimi oratoris Isocratis ex Helenæ Laudatione: unice enim Catullum interpretantur: Περὶ δὲ, inquit, τοὺς αὐτοὺς χρόνους, τὸ τέρας τὸ τραφὲν μὲν ἐν Κρήτῃ, γενόμενον δ' ἐκ Πασιφάης, τῆς Ἡλίου θυγατρὸς· ᾧ κατὰ μαντείαν δασμὸν τῆς πόλεως δὶς ἑπτὰ παῖδας ὑποτελλούσης· ἰδὼν αὐτοὺς ἀγομένους, καὶ πανδημεὶ προπεμπομένους ἐπὶ θάνατον ἄνομον καὶ προῦπτον· καὶ πενθουμένους ἔτι ζῶντας· οὕτως ἠγανάκτησεν, ὥσθ' ἡγήσατο, κρεῖττον εἶναι τεθνάναι μᾶλλον, ἢ ζῆν αἰσχρῶς, ἄρχων τῆς πόλεως, τῆς οὕτως οἰκτρὸν τοῖς ἐχθροῖς φόρον ὑποτελεῖν ἠναγκασμένης. σύμπλους δὲ γενόμενος, καὶ κρατήσας φύσεως ἐξ ἀνδρὸς μὲν καὶ ταύρου μεμιγμένης· τὴν δ' ἰσχὺν ἐχούσης οἵαν προσήκει τὴν ἐκ σωμάτων τηλικούτων συγκειμένην· τοὺς μὲν παῖδας διασώσας τοῖς γονεῦσιν ἀπέδωκε· τὴν δὲ πόλιν οὕτως ἀνόμου καὶ δεινοῦ καὶ δυσαπαλλάκτου προστάγματος ἠλευθέρωσε. i. e. *Circa eadem tempora cum monstrum illud in Creta educatum, atque ex Pasiphae Solis filia natum extitisset, cui tributi nomine nostra urbs bis septenos pueros ex oraculo mittebat; cum videret eos duci, toto populo comitante, ad necem indignam, certumque interitum, & viventes adhuc lugeri pro mortuis, tanta indignatione exarsit, ut potius esse duxerit emori, quam vivere turpiter, & imperare civitati qua tam miserabile tributum hostibus pendere cogeretur. Conscenso igitur una cum illis navigio, & ea natura superata quæ quidem e viro & tauro constata esset, tantoque robore polleret, quanto par est eam quæ talibus corporibus constat, non pueros solum parentibus incolumes restituit, sed urbem etiam tam injusto, tamque acerbo & inevitabili edicto liberavit.*

ibid. *Corpus projicere* ] Tamquam rem minimi pretii. Virgilius, ut videtur, Catullum imitatus, Æneid. lib. 6. v. 436. de his qui ipsi sibi manus intulissent, dixit: *Projecere animas*. quod Græci dixerunt προβάλλειν, vel ὑποβάλλειν ψυχὴν, προΐεσθαι τὸν βίον. ut animadvertit Ludovicus de la Cerda. Horatius pariter Ode 12. lib. 1.

*- - - - Animæque magnæ*
*Prodigum Paullum, superante Pœno.*

v. 82. *Optavit potius* ] Terentius Andria Act. 4. Sc. 5. v. 1.

*In hac habitâsse platea, dictum est Chrysidem,*
*Quæ se se inhoneste optavit parere hic divitias*
*Potius, quam in patria honeste pauper vivere.*

*Optavit* hoc loco est *elegit*, ut sæpe apud veteres. Livius unus fuerit satis lib. 6. Hist. ab U. C. *Introductis*, inquit, *in senatum captivis, cum bello persequendos Tusculanos, patres censuissent, Camilloque id bellum mandâssent: adjutorem sibi ad eam rem unum petit: permissoque ut ex collegis optaret quem vellet, contra spem omnium L. Furium optavit*. Hinc verba composita *cooptare*, & *adoptare*, quæ & ipsa eligendi vim continent. Libro 33. Pandectarum juris civilis titulus est 5. *De optione vel electione legata*, ubi Ulpia-

Funera Cecropiæ ne-funera portarentur.

At-

nus J. C. Lege 2. initio ſic eleganter: *Quoties ſervi electio vel optio datur, legatarius optabit quem velit*. Hæc autem omnia originem ducunt a Græco verbo ὀπτομαι, i. e. *video*: cui enim optio datur, diligenter inſpicere & conſiderare ſolet, utrum ex duobus propoſitis eligere oporteat.

v. 83. *Funera ne-funera*] Πενθούμενοι ἔτι ζῶντες; *qui lugerentur pro mortuis adhuc viventes*; ut ſcribit paullo ante memoratus Iſocrates. Eodem loquendi modo uſus eſt Plautus Trinummo Ac. 2. Sc. 2. v. 85.

*Eo ne-multa quæ nevolt, eveniunt, niſi fictor malus eſt.*

*ne-multa*, i. e. pauca. Idem Captivis Ac. 2. Sc. 1. v. 26.

--- *Doli non doli ſunt, niſi aſtu colas.*

Et in Epitaphio quod ipſe ſibi vivens videtur poſuiſſe, legiturque apud A. Gellium lib. 1. cap. 24.

*Et numeri innumeri ſimul omnes collacrumarunt.*

Numeri ſcilicet qui vix numerorum nomen mereantur, ad proſam orationem fere accedentes, laxi, ſoluti, quales Comicorum. Et ſane Plautinos numeros, tamquam æquo licentiores, improbat Horatius in Arte Poetica. Lucretius lib. 2. v. 1054. eodem pacto:

*Seminaque innumero numero, ſummaque profunda*
*Multimodis volitent æterno percita motu.*

*innumero numero*; ἀναριθμήτῳ ἀριθμῷ. Neque diſſimile eſt illud Silii Punicorum lib. 8. v. 217.

- - - - *Arma ſenatûs*
*Ex inconſulto poſuit Tirynthius heros.*

Fabius videlicet, qui ad Herculem genus referebat, bellum gerere deſiit non ex ſenatus conſulto, ſed potius *ex* ejuſdem *inconſulto*, nimirum ex decreto quodam temerario, neque ſatis deliberato. Quam lectionem in Silio viri docti fruſtra ſollicitant; eſt enim cum proba, tum elegans. Neque illud Ciceronis Epiſt. 13. lib. 7. ad Atticum: *Quorum dux quam ἀστρατήγητος, tu quoque animadvertis*. nempe, *dux minime dux*. Neque D. Auguſtini Tomo 5. Opp. Sermone 46. partis 1. num. 16. *Inhærent paſtoribus non paſtoribus; ſe ipſos, non oves paſcentibus*. Græci quoque idem loquendi genus adamaverunt. Homerus primus omnium Odyſſeæ lib. 18. v. 72.

Ἦ τάχα Ἶρος ἄϊρος ἐπίσπαστον κακὸν ἕξει.
*Certe mox Irus non Irus attractum malum habebit.*

Idem Hymno in Mercurium v. 92.

Καί τε ἰδὼν μὴ ἰδὼν εἶναι. - -
*Atque videns non videns ſis.* - -

Sibylla apud Lactantium lib. 7. Divin. Inſtit. cap. 16.

Ἔσται κόσμος ἄκοσμος ἀπολλυμένων ἀνθρώπων.
*Erit mundus non mundus pereuntibus hominibus.*

Κόσμον ἄκοσμον, ſignificatione aliquantum diverſa, dixit etiam Antipater in quodam Epigrammate lib. 1. cap. 2. Anthologiæ:

Ἀγκρεμάσας Ἄρηϊ μιάστορι κόσμον ἄκοσμον
*Suſpendens impuro Marti mundum immundum.*

inſtrumentum videlicet bellicum. Sic apud Xenophontem lib. 2. de Cyri Expeditione, in Oratione Clearchi legitur: Τὰ ἑαυτοῦ πιστὰ ἄπιστα ποιῶν Ἕλλησι καὶ βαρβάροις. *fidem ſuam infidam efficere Græcis & barbaris:* nempe fidei ſuæ auctoritatem apud illos infringere. Athenæus pariter lib. 12. Deipnoſoph. Οἱ Συβαρῖται ἔχαιρον τοῖς Μελιταίοις κυνιδίοις, καὶ ἀνθρώποις οὐκ ἀνθρώποις. *Sybaritis in deliciis fuere catelli Melitæi,*

Mm &

Atque ita nave levi nitens, ac lenibus auris
Magnanimum ad Minoa venit, sedesque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suaves exspirans castus odores

Le-

*& homines non homines*. pumiliones puta, moriones, gibberi, & alia hominum monstra. Plutarchus vero in Lycurgo divitias Lacedæmoniorum appellat πλοῦτον ἄπλουτον, *inopes opes*; quod communes essent, neque a privatis possiderentur. Sic Aristophanes alicubi dixit ἀβίωτον βίον, *vitam qua vita non sit*: & alii ἄχαριν χάριτα, *ingratam gratiam*. Euripides vero in Hecuba Polyxenam vocat Νύμφην τ' ἄνυμφον, παρθένον τ' ἀπάρθενον. *nuptam innuptam, & virginem non virginem*. quia desponsa fuerat Achilli. Huc postremo pertinet proverbium illud veteribus Græcis usitatum: ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. *Inimicorum dona non dona sunt*. Dionysius Lambinus, vir solida in his litteris consummataque doctrina, ad illud Horatii Ode 34. lib. 1.

*Insanientis dum sapientiæ*
*Consultus erro*, - -

censet, hoc poetæ nostri loco legendum, *funera nec funera*: quale est *necopinato*, & apud Jurisconsultos *res nec mancipi*, *furtum nec manifestum*. cui summi philologi sententiæ pæne adsentior.

v. 84. *Nave levi* ] Agili, celeri, expedita. θοὰς νῆας, *celeres naves* haud raro appellat Homerus.

ibid. *Nitens* ] Sustentatus, fultus.

v. 85. *Sedesque superbas* ] Vel magnificas; ut Virgilius Æneid. 3. v. 475.

*Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo*.

Propertius autem de purpura, Elegia 5. lib. 4.

*Et qua sub Tyria concha superbit aqua*.

Vel ob tyrannum habitatorem exosas; nam & Tarquinius, septimus Romanorum rex, ob crudelitatem atque impotentem dominatum *Superbus* appellari cœpit.

v. 87. *Exspirans odores* ] Ita Propertius Elegia 22. libri 2. E. B. de Cynthia e somno primum experrecta:

*Qua cum Sidoniæ nocturna ligamina mitræ*
*Solverit, atque oculos moverit illa graves*,
*Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores*,
*Sed quos ipse suis fecit Amor manibus*.

ibid. *Castus Lectulus* ] Ἐπίθετον regiæ virginis lectulo maxime accommodatum, & hoc loco prope necessarium; præsertim cum odorum meminerit, qui sæpius nequitiam cubantium, & libidinem indicabant. Supra Carm. 6. v. 8.

*Nam te non viduas jacere noctes*
*Nequicquam tacitum cubile clamat*,
*Sertis ac Syrio fragrans olivo*.

v. 88. *Alebat* ] Pro *educabat*. quamquam & *alere* somnus proprie dicatur. Ovidius lib. 1. ex Ponto Elegia 10.

- - - - - - - *Somnus*
*Non alit officio corpus, ne ante, suo*.

*Pinguis* propterea vocatur ab eodem poeta, Amorum lib. 1. Elegia 13.

*Nunc etiam somni pingues, nunc frigidus humor*.

Item a Lucano lib. 10. Pharsaliæ v. 354.

*Nunc incumbe toris, & pingues exige somnos*.

v. 89.

Lectulus, in molli complexu matris alebat:
Quales Eurotæ progignunt flumina myrtus,
Aurave distinctos educit verna colores:
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis,
Heu misere exagitans immiti corde furores.
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,

Quæ-

v. 89. *Eurotæ flumina* ] Sic *flumina Mella* dixit Virgilius Georgicon lib. 4. v. 278.

ibid. *Progignunt* ] Supra hoc eodem Carmine, versu primo:

*Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.*

ibid. *Myrtus* ] Lauros quoque in Eurotæ ripa consitas fuisse, constat ex Virgilio Ecloga 6. v. 82.

*Omnia quæ, Phœbo quondam meditante, beatus*
*Audiit Eurotas, jussitque ediscere lauros.*

quod Joannes Livinejus me prior animadvertit.

v. 90. *Aura verna* ] Zephyrus, Favonius. Infra v. 282.

*Aura parit flores tepidi fecunda Favoni.*

ibid. *Distinctos colores* ] Flores antequam in sertis misceantur, distincti & separati sunt: coronas vero ex ipsis contextas, *indistinctas* poeta noster appellavit infra v. 283.

*Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis.*

Porro *colores* pro floribus dixit & suavissimus Propertius Elegia 2. lib. 1.

*Aspice quot summittat humus formosa colores.*

v. 91. *Declinavit Lumina* ] Eodem pacto *Oculos ab aliquo*, & *de aliquo dejicere*, legas apud Ciceronem.

v. 92. *Cuncto* ] Toto simul. M. Tullius in Verrem Orat. de Signis cap. 45. *Rem cunctus senatus Catinensium legibus judicat.*

v. 93. *Imis medullis* ] Amat hanc loquendi rationem Catullus: Carmine enim 35. v. 13.

*Nam quo tempore legit inchoatam*
*Dindymi dominam, ex eo puellæ*
*Ignes interiorem edunt medullam.*

Eleganter Virgilius quoque Georgic. lib. 3. v. 258.

*Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem*
*Durus amor?* - - - -

v. 94. *Immiti corde* ] Immaturo, & nondum amoris patiente. Id apta admodum comparatione Propertius expressit Elegia 3. lib. 2.

*Ac veluti primo taurus detrectat aratra,*
*Post venit assueto mollis ad arva jugo:*
*Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,*
*Dehinc domiti post hæc æqua & iniqua ferunt.*

Idem Elegia ultima libri ejusdem:

*Sed non ante gravi taurus succumbit aratro,*
*Cornua quam validis hæserit in laqueis.*
*Nec tu tam duros per te patieris amores.*
*Trux tamen a nobis ante domandus eris.*

v. 95. *Sancte puer* ] Orationem ad Amorem & Venerem convertit.

Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondosam,
Qualibus incensam jactastis mente puellam
Fluctibus, in flavo sæpe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantum sæpe magis fulgore expalluit auri!

Quum

ibid. *Curis hominum qui gaudia misces* ] Nec tamen æqua portione. Experientia enim verum esse ostendit illud Plauti Cistellaria Ac. 1. Sc. 1. v. 71.

*- - Ecastor amor & melle & felle*
*est fœcundissimus:*
*Gustu dat dulce, amarum ad satietatem usque oggerit.*

v. 96. *Quæque regis Golgos, q. Idalium f.* ] Vide superius Carmen 36. a v. 12.

v. 98. *In f. f. hospite suspirantem* ] Hoc loco notanda est vis quædam peculiaris particulæ *in*. Eodem pacto locutus Terentius Eunucho Ac. 3. Sc. 5. v. 19. verbis adolescentis forma virginis capti: *In hac commotus sum.* Horatius pariter Sat. 2. lib. 1. v. 62.

*- - - - - Quid inter-*
*est, in matrona, ancilla, peccesve togata?*

Et Satyra 6. ejusdem libri v. 17. de populo verba faciens:

*Qui stupet in titulis, & imaginibus.*

His adde Ciceronem Epistola 1. lib. 1. ad Atticum: *Competitores, qui certi esse videantur, Galba, & Antonius, & Q. Cornificius. puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse, ut frontem ferias.*

ibid. *Flavo* ] Capillis nempe flavis, quos elegantes homines in pueris & puellis maxime laudabant. ξανθὸν Ἀχιλλῆα, *flavum Achillem*, dixit Pindarus Nemeorum Ode 3. v. 75. Idem Ode 5. eorumdem certaminum v. 99. σὺν ξανθαῖς Χαρίτεσσι, *cum flavis Charitibus*. Ode vero 9. v. 40. meminit ξανθοκόμαν Δαναῶν, *Danaorum flavâ comâ*.

ibidem. *Sæpe hospite suspirantem* ] Corbinelli nescio cujus ( viri certe docti ) observatio apud Achillem Statium mihi valde probatur: non ἀτέχνως positas esse a Catullo in hoc versu voces *hospite*, & *suspirantem*, quæ propter σιγματισμὸν, seu repetitionem litteræ *s*, natura sua sibilantis, Ariadnæ suspiria quasi exprimerent. Ita Horatius quoque Ode 7. lib. 3.

*Atqui sollicitæ nuntius hospitæ,*
*Suspirare Chloen, & miseram tuis*
*Dicens ignibus uri,*
*Tentat mille vafer modis.*

v. 100. *Magis fulgore expalluit auri* ] Dat puellæ metuenti pallorem, sed aureum, & qui ad augendam formam conducat plurimum. De facie pallentium, auri colori comparata, duo insignia veterum poetarum loca adolescens observaveram, alterum Statii Papinii, alterum Silii Italici, quæ si conferas, & accuratius consideres, non tam ovum ovo simile judicabis, quam ipsa inter se. Nescias utrum plagii postules: vixit enim uterque Domitiani temporibus. Prior igitur Carmine Lyrico ad Maximum Junium lib. 4. Silvarum:

*Quando te dulci Latio remittent*
*Dalmatæ montes? ubi Dite viso*
*Pallidus fossor redit, erutoque*
*Concolor auro.*

Posterior lib. 1. Punicorum v. 231.

*- - - - - - Astur avarus*
*Visceribus laceræ telluris mergitur imis,*
*Et redit infelix effosso concolor auro.*

Loquitur uterque de mancipiis quæ auro e metallis effodiendo in Dalmatia,

Quum sævum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis.
Non ingrata, tamen frustra, munuscula divis

Pro-

tia, & Asturia Hispaniæ regione operam dabant: ipsis enim aere libero diu intercluso, maciem & livorem (ut Lucretiano verbo utar) in tenebris contrahebant. Daniel Heinsius ad Silium, pro Papinio sententiam pronuntiavit, dicens nimirum, Italicum Papinio postremum e tribus allatis versum debere. Quod mihi verissimum videtur: fuit enim Statius ingenio acriore, & ad excogitandum promtiore, ut ex ejus poematis facile cognosci potest. Alter ille plerumque languidus, & ex Virgilio totus pendens, planeque ad aliorum imitationem compositus. Venuste D. Augustinus Sermone 4. ex Sirmondianis, num. 5. *Quid volui? aurum, pallorem terræ; argentum, livorem terræ; honorem, temporis fumum.*

v. 101. *Contra contendere* ] Quod Virgilius Æneidos lib. 5. v. 21. *tendere* dixit, *per aphæresin*, ut ibi notat Servius:

*Nec nos obniti contra, nec tendere tantum*
*Sufficimus* - - - - -

& v. 27.

- - - *Frustra cerno te tendere contra.*

v. 102. *Aut mortem op. Theseus, aut p. l.* ] Horatius Sat. 1. lib. 1. v. 6. mercatorem ita loquentem inducit:

*Militia est potior. quid enim? concurritur: hora*
*Momento cita mors venit, aut victoria læta.*

ibid. *Oppeteret* ] Guarinus Veronensis, vir de litteris renascentibus præclare meritus, hoc loco legere malebat *appeteret;* teste Alexandro ejus filio, in Commentario ad Catullum; quod scilicet *oppetere mortem* proprie quidem dicatur, *oppetere laudis præmia*, non item. Sed, pace dicam doctissimi hominis, etiamsi legamus *oppeteret*, quam veram esse lectionem censeo, subaudire commode possumus verbum aliud, quod *præmiis & laudi* conveniat magis; neque hoc insolens omnino est apud optimos Latinitatis auctores. In præsentia occurrit illud Tibulli, ab eruditis animadversum, Elegia 4. lib. 1.

*Quem referent Musæ, vivet, dum robora tellus,*
*Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas.*

Recte enim dicitur, *cælum vehit stellas*, nec male, *amnis vehit aquas*; non tamen dici potest, *tellus vehit robora:* sed scilicet subaudiri oportet *feret*, vel *gignet*, vel aliquid simile.

ibid. *Præmia laudis* ] Præmia laudandorum facinorum. Cicero pro Milone: *Etenim si id non negat, ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur: dubitaret id fateri, ex quo etiam præmia laudis essent petenda?* Idem Oratione postrema in Verrem: *Vobiscum Africanus hostium spolia, & præmia laudis communicavit.*

v. 103. *Non ingrata, tamen frustra, &c.* ] Hoc vult Catullus: Ariadna Thesei periculum probe intelligens, qui contra sævissimum Minotaurum ingentibus animis tendere pararet, frequenti se voto damnabat, eaque superis daturam pollicebatur quibus unice delectarentur, puta nidorem turis & victimarum occisarum: ne scilicet carissimi capitis jacturam faceret, sed potius Minotauro interfecto Theseus incolumis ad ipsam rediret, cujus conjugio tandem frueretur. Sed hæc omnia frustra: fata enim quæ in Jo-

vem

Promittens, tacito suspendit vota labello.

Nam

vem ipsum imperium exercebant, ut veteres illi crediderunt, voti partem ratam habuere, conjugii vero spem irritam fecere. Huic explicationi favent Muretus, & Realinus.

v. 104. *Tacito s. vota labello* ] Ne fraternæ mortis desiderium proderet. *Mirum*, ait Josephus Scaliger, *hanc veteribus superstitionem fuisse, ut semper taciti vota conciperent.* Sed admirationi locus non erit, si considerare voluerimus, quænam sibi a superis expetere scelerati illi soliti fuerint. Omitto Martialem Epigram. 40. lib. 1. Persium Sat. 2. Juvenalem Sat. 10. a v. 289. quod eorum loca plures jam attulerint: Tibullum prætereа; quem vide in calce Elegiæ 1. lib. 2. & Carm. 5. lib. 4. Sequentes dare non pigebit. Horatius lepidissime Epist. 16. lib. 1. v. 57. de nebulone quodam nigerrimo:

*Vir bonus, omne forum quem spectat & omne tribunal,*
*Quandocumque deos vel porco, vel bove placat,*
*Jane pater, clare, clare cum dixit, Apollo;*
*Labra movet metuens audiri: Pulchra Laverna,*
*Da mihi fallere, da justo sanctoque videri:*
*Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.*

Idem Epistola 14. ejusdem libri v. 14.

*Tu mediastinus tacita prece rura petebas.*

Ovidius lib. 5. Fastorum a v. 681. mercatoris ad Mercurium preces ita graphice describit:

*Ablue præteriti perjuria temporis, inquit.*
*Ablue præterita perfida verba die.*
*Sive ego te feci testem, falsove citavi*
*Non audituri numina magna Jovis;*
*Sive deum prudens alium divamve fefelli;*
*Abstulerint celeres improba dicta Noti.*
*Et pereant veniente die perjuria nobis;*
*Nec curent superi, siqua locutus ero.*
*Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro:*
*Et face ut emtori verba dedisse juvet.*
*Talia Mercurius poscentem ridet ab alto,*
*Se memor Ortygias surripuisse boves.*

Idem lib. 10. Metamorph. v. 274.

*Constitit; & timide, Si, dî, dare cuncta potestis;*
*Sit conjux opto, (non ausus, eburnea virgo,*
*Dicere) Pygmalion, similis mea, dixit, eburna.*

Persius Satyra 5. v. 184. de homine Judaica superstitione imbuto:

*Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.*

Lucanus lib. 5. v. 104. ubi de templo Apollinis Delphici:

- - *Haud illic tacito mala vota susurro*
*Concipiunt* - - - -

Quibus addendi, Cicero pro Lege Manilia: *Hoc brevissime dicam, neminem umquam tam impudentem fuisse, qui a diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt.* Petronius item in Satyrico, agens de re nequissima: *Itaque timidissimo murmure votum feci, &, domina, inquam, Venus*, &c. Hos omnes Hispano sale ita perfricat Seneca lib. 6. de Beneficiis cap. 38. *Quam multa sunt vota quæ etiam sibi fateri pudet! quam pauca quæ facere coram teste possimus!* Et Epistola 10. *Nunc enim quanta dementia est homi-*

Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum,
In-

*minum! turpissima vota diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent; & quod scire hominem nolunt, Deo narrant.* Memorabilia sunt in hanc sententiam verba Macrobii lib. 1. Saturn. cap. 7. *Neque ego sum immemor, nec horum quemquam inscium credo sancti illius præcepti philosophiæ; sic loquendum esse cum hominibus tamquam dii audiant, sic loquendum cum diis tamquam homines audiant. cujus secunda pars sancit, ne quid a diis petamus quod velle nos indecorum sit hominibus confiteri.* Ceterum hic mos tacite orandi deos antiquissimus fuit, & ab heroicis usque temporibus derivatus, ut, præter hunc versum Catulli, ostendunt illa Homeri Iliados lib. 7. v. 194.

Τόφρ' ὑμεῖς εὔχεσθε Διῒ Κρονίωνι ἄνακτι
Σιγῇ ἐφ' ὑμείων, ἵνα μὴ Τρῶές γε πύθωνται·
Ἠὲ καὶ ἀμφαδίην, ἐπεὶ οὔτινα δείδιμεν ἔμπης.

*Interea vos supplicate Jovi Saturnio regi*
*Tacite vobiscum, ut ne Trojani audiant:*
*Vel etiam palam, quandoquidem neminem timemus prorsus.*

Nonnumquam tamen secreto vovebant veteres ob invidiæ metum. Ovidius testis lib. 1. Tristium Elegia 1.

*Et tacitus secum, ne quis malus audiat, optet,*
*Sit mea lenito Cæsare pœna minor.*

Contra, palam vota concipiebant ad suspicionem amovendam. quamobrem idem poeta lib. 2. Artis v. 327. monet amatorem sollicitum de puellæ valetudine: *Multa vove, sed cuncta palam.*

ibid. *Suspendit* ] Plures M S S. codices præferunt *succendit:* ex quo nonnulli fecerunt *suscepit.* Lectio tamen quam sequimur, elegans & optima est. *suspendit vota:* idest concipit quidem, sed pudore impedita revocat identidem, atque interrumpit. Vel *suspendit*, pro *suspensuram se promittit:* ut *vota* nimirum sint donaria, & ἀναθήματα. Ita Livinejus.

v. 105. *In summo Tauro* ] In vertice Tauri Ciliciæ montis.

ibid. *Quatientem brachia* ] Ramos agitantem vi ventorum impulsos. rami porro quasi brachia sunt arboris. Virgilius utrumque conjunxit Æneidos lib. 6. v. 282.

*In medio ramos annosaque brachia pandit*
*Ulmus opaca ingens - - -*

ut scilicet *ramorum* nomine surculos intelligat, seu ramusculos, e quibus demum folia erumpunt; *brachia* vero significent ἀκρέμονας, seu ramos grandiores, qui e stipite seu trunco primi diffunduntur: Italice, *i rami maestri.*

v. 106. *Quercum, aut c. s. c. pinum* ] Eadem comparatione utitur Hesiodus in Scuto Herculis v. 420.

- - - Μέγα γὰρ σθένος ὤλεσε φωτός.
Ἤριπε δ' ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν, ἢ ὅτε πέτρη
Ἠλίβατος, πληγεῖσα Διὸς ψολόεντι κεραυνῷ.

*- - - Magnum vero robur concidit viri.*
*Cecidit autem, veluti cum quercus aliqua cecidit, aut cum rupes*
*Excelsa, icta Jovis fumanti fulmine.*

ibid. *Conigeram* ] Nuces pineas ferentem, quæ coni figuram imitantur. Vossius legit *congestam*, i. e. a ventis diu exercitam, atque ideo stipatam, solidatam, densatam.

ibid. *Sudanti cortice* ] Unde manat pinguis ille humor quem resinam appel-

Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicitus exturbata
Prona cadit, lateque & cominus obvia frangens:
Sic domito sævum proſtravit corpore Theſeus,
Nequicquam vanis jactantem cornua ventis.
Inde pedem victor multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui veſtigia filo:

Ne

pellant, tamquam ſudor aliquis. Voſſius mavult *corpore*: ſed hæc vox occurrit paullo poſt verſu 110. ideoque minus concinna mihi videtur proxima ejuſdem repetitio.

v. 107. *Indomitus* ] Amat hoc ἐπίθετον Catullus; dixit enim *indomitos furores*, & *indomito tauro*, hoc eodem poemate.

ibid. *Turbo* ] Turbines, ut docet Voſſius, ad Chelidonias, ubi Taurus mons immenſo jugo in mare Pamphylium excurrit, vehementiſſimi ſunt.

v. 108. *Illa procul r. exturbata* ] Caſum arboris, non vento erutæ, ſed bipenni ſuccifæ, ita deſcribit Ovidius lib. 8. Metamorph. v. 774. in fabula Eriſichthonis:

*- - - Labefactaque tandem*
*Ictibus innumeris, adductaque funibus arbor*
*Corruit, & multam proſtravit pondere ſilvam.*

ibid. *Procul exturbata* ] *Exturbare* eſt evertere, loco ſuo per vim depellere.

ibid. *Radicitus* ] Petroſis enim in locis arbores non adeo altas radices agunt, & propterea facilius evelluntur.

v. 109. *Lateque & cominus obvia frangit* ] Neſcio cur hanc lectionem putidam & Catullo indignam Voſſius appellet. Nihil ſane continet quod rei deſcriptæ non optime conveniat.

v. 110. *Sævum* ] Ita dicebant *ferum*, non addito *animal*. quæ loquendi ratio, ſi recte memini, apud Virgilium, Ovidium, Phædrum occurrit.

v. 111. *Vanis ventis* ] Vulgari opinioni blandiuntur poetæ: vulgus enim exiſtimat, aerem, ventos, & ſpatia ætheris nullum eſſe corpus. Valerius Flaccus pariter *vacuos* appellavit *ventos* lib. 1. Argonautic. v. 421.

*- - - Saltem in vacuos ut brachia ventos*
*Spargat - - - -*

qui locus hujus Catulliani valde ſimilis eſt. Loquitur autem Flaccus de pugili.

ibid. *Jactantem cornua ventis* ] Sic taurus a rivali prœlio victus apud Virgilium Georgic. 3. v. 232.

*Et tentat ſe ſe, atque iraſci in cornua diſcit*
*Arboris obnixus trunco: ventoſque laceſſit*
*Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.*

v. 112. *Victor* ] Hanc vocem exſtare in MSS. notæ melioris, affirmat Voſſius. Nonnulli contra teſtantur, *ſoſpes* omnium codicum lectionem eſſe. Ego Voſſium ſequor. Illud enim Lucretii de Epicuro lib. 1. v. 76. ſimillimum eſt:

*Unde refert nobis victor, quid poſſit oriri,*
*Quid nequeat - - - - -*

v. 113. *Errabunda veſtigia* ] Terentius Scaurus, inſignis grammaticus, apud

Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error.
Sed quid ego a primo digressus carmine, plura
Commemorem? ut linquens genitoris filia voltum,
Ut consanguineæ complexum, ut denique matris,
Quæ

apud A. Gellium lib. 11. cap. 15. putabat, *errabundum eum dici qui errantem agit aut simulat*. Apollinaris vero ibidem, *errabundum* ait *vocari qui longo atque abundanti errore sit*.

v. 114. *Labyrintheis* ] Longis & polysyllabis vocibus poeta longum labyrinthi errorem exprimere conatur.

v. 115. *Inobservabilis error* ] Amfractus labyrinthi Cretensis, a Dædalo ædificati, ejusmodi erant, ut neque servari oculis, neque retineri memoria possent. Torquatus Tassus a Catullo, Gothofredi libro 16. ita in descriptione labyrinthi:

*Diutorno inosservabile, e confuso*
*Ordin di logge i demon fabbri ordiro.*

v. 116. *Sed quid ego* ] Periculosum omnino est, magnorum scriptorum errores, aut quæ erroris affinia in eorum operibus videntur, censoria virga notare: multo vero periculosius, lingua vel calamo acerbius exagitare: quod plurimi præteritis ætatibus facere non dubitârunt, & hac nostra nonnulli faciunt, pudoris immemores; tamquam illorum virtutes omnes satis perpendissent, aut saltem aliquas imitatione sua assequi possent. Summi enim poetæ atque oratores cum peccare videntur maxime, tunc ex arte dicunt maxime: neque ignorant sæpenumero, quantum sibi permittant: sciunt præterea, stupidos & malignos homines (quorum vilis annona) ipsorum scripta reprehensuros; verumtamen, ut par est, imperitorum judicia contemnunt, & se a divino illo furore abripi sinunt, qui timidis & plebejis pædagogorum legibus coerceri nequit. Id hoc loco præstitit Catullus noster, qui se ipse quidem, ac παρέκβασιν suam objurgat, sed eam tamen prosequitur, securus quid blaterent semidocti, poeticæ rationis ignari. Id etiam præstiterat Isocrates in Panathenaico, cum in laudes Agamemnonis longius a proposito excurrisset. Ejus verba lubet afferre. Ἐγὼ δ᾽ εἰ μὲν ἔλαθον ἐμαυτὸν πλεονάζων, ᾐσχυνόμην ἄν, εἰ γράφειν ἐπιχειρῶν περὶ ὧν μηδεὶς ἂν ἄλλος ἐτόλμησεν, οὕτως ἀναισθήτως διεκείμην. νῦν δ᾽ ἀκριβέστερον ᾔδειν τῶν ἐπιπλήττειν μοι τολμησάντων, ὅτι πολλοῖς τόποις ἐπιτιμήσουσιν. i. e. *Ego vero, siquidem ignorâssem me modum excedere, erubuissem: me, qui de rebus quas nemo alius conari audeat, scribere sim aggressus, usque adeo stupidum exsistere. Nunc certius scivi, quam isti qui me reprehendere audent, hac in multorum esse reprehensionem incursura*. Id quoque fecit, veterum gloriæ proximus, Franciscus Petrarcha (Triumphi Mortis cap. 1.) his versibus:

*Ma per non seguir più sì lungo tema,*
*Tempo è ch' io torni al mio primo lavoro.*

ibid. *A primo digressus carmine* ] A Nuptiis Pelei & Thetidos, hujus carminis argumento potissimo.

v. 118. *Consanguineæ* ] Phædræ sororis: quam tamen simul cum Ariadna Theseum secutam fuisse, alii scriptores tradunt. Phædra ipsa apud Euripidem Hippolyto Coronato v. 339. ita loquitur de Ariadna sorore:

Σύ τ᾽ ὦ τάλαιν᾽ ὅμαιμι, Διονύσου δάμαρ.



Et

Quæ misera gnati misero deperdita leto,
Omnibus his Thesei dulcem præferret amorem?
Aut ut vecta ratis spumosa ad litora Diæ?
Aut ut eam tristi devinctam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore conjux?
Sæpe illam, perhibent, ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse e pectore voces.

Ac

*Et tu miscea consanguinea, Bacchi conjux.*

Ovidius eodem pacto Epistola Hypermnestræ v. 121. sorores ejus quadraginta novem, & fratres patrueles quinquaginta, sororum maritos, vocat *turbam consanguineam:*

*Et consanguineæ quondam centesima turbæ,*
*Infelix, uno fratre manente, cadam.*

Idem lib. 8. Metamorph. v. 476. de Althæa, fratres a Meleagro interfectos jam jam ultura:

*Et, consanguineas ut sanguine leniat umbras,*
*Impietate pia est - - - -*

ibid. *Complexum*] Hanc vocem Realinus cum sequentibus conjungit, ut syntaxis hæc sit: *Filia linquens vultum genitoris, & consanguineæ, denique complexum matris.* quod nimirum poeta superius dixerit v. 88.

*Lectulus in molli complexu matris alebat.*

recte, meo judicio.

v. 119. *Quæ misera gnati*] Hunc locum, in MSS. mutilum & corruptum, ita constituit Isaacus Vossius. *Gnati* porro nomine intelligendus aut Androgeos a Thesei civibus occisus, aut ipse Minotaurus, quem Pasiphae Ariadnæ mater ex tauro conceperat. Id olim vidit Janus Meleager. Quid si legerimus, antiquæ scripturæ ductum secuti:

*Quæ misera ingrato vixit deperdita lecto?*

*ingrato* videlicet ob discessum Ariadnæ, quæ antea, una cum matre in eo cubare solebat.

v. 120. *Præferret*] Guarinus, & nomine Guarini dissimulato Josephus Scaliger legunt *præoptârit*.

v. 122. *Tristi somno*] Ob ea quæ consecutura fuerant. Ariadna ipsa apud Ovidium in Epistola v. 111.

*Crudeles somni, quid me tenuistis inertem?*

Hæc est lectio Scaligeri, qui contendit, τὸ *tristi* non esse hoc loco ἀΐδιον perpetuum. Sed & *dulci* legi potest: quod somno semper conveuit.

ibid. *Devinctam*] Vide Adnotationes Jani Douzæ filii ad Catullum, a quo hæc vox optime illustratur. Aliis placet *devictam*.

v. 123. *Immemori pectore*] Mente ingrata, beneficiorum oblita: vel cui Dionysius oblivionem immiserit, ut Ariadne, a Theseo relicta, ipsius Bacchi matrimonio tandem frueretur. Hoc disertis verbis tradit Scholiastes Theocriti ad illa Pharmaceutriæ v. 45.

Τόσσον ἔχοι λάθας ὅσσον ποκα Θησέα φαντὶ
Ἐν Δίᾳ λασθῆμεν ἐϋπλοκάμω Ἀριάδνας.

*Tantum obliviscatur, quantum olim Thesea dicunt,*
*In Dia oblitum esse pulchricomæ Ariadnes.*

v. 125. *Clarisonas*] Clare sonantes. *Clarificas* mavult Scaliger; quem reprehendit Marcilius.

v. 126.

Ac tum præruptos triſtem conſcendere montes,
Unde aciem in pelagi vaſtos protenderet æſtus:
Tum tremuli ſalis adverſas procurrere in undas
Mollia nudatæ tollentem tegmina ſuræ:
Atque hæc extremis mœſtam dixiſſe querelis,
Frigidulos udo ſingultus ore cientem:
Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deſerto liquiſti in litore, Theſeu?

Sic-

v. 126. *Præruptos* ] Italice: *ſcoſceſi*, *dirupati*.

ibid. *Conſcendere* ] Pro *conſcendiſſe*, quaſi res agatur in præſentia. Sic infra, *procurrere*, ἀντὶ τῦ *procurriſſe*.

v. 127. *Aciem protenderet* ] Subaudi *oculorum*. Horatius Epiſtola 1. lib. 1. v. 28.

*Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus;*
*Non tamen icirco contemnas lippus inungi.*

v. 128. *Adverſas nudas* ] Sibi objectas: ante ſe poſitas. Propertius Elegia ultima lib. 4.

*Seu tamen adverſum mutârit janua lectum.*

v. 129. *Tegmina ſuræ* ] Cothurnos. Idem Propertius Elegia 15. lib. 2. E. B.

*Protinus & nuda choreas imitabere ſura.*

v. 130. *Extremis querelis* ] Graviſſimis, vel tamquam paullo poſt moritura. Virgilius 6. Æneidos. v. 466. ex perſona Æneæ ad umbram Didonis:

*Quem fugis? extremum fato quod te adloquor, hoc eſt.*

Franciſcus Petrarcha (*nella Canzone* 27.)

*Date udienza inſieme*
*Alle dolenti mie parole eſtreme.*

v. 131. *Frigidulos ſingultus* ] Cujuſmodi prodeunt ab ore animam agentium, e quibus vitalis calor paullatim dilabitur.

ibid. *Udo ore* ] Lacrimarum pleno.

ibid. *Cientem* ] Commoventem, excitantem, repetentem, Ita Ovidius lib. 2. Metamorph. v. 621. memorat *gemitus alto de corde petitos*. Etruſci vero poetæ dixerunt: *trar guai*.

v. 132. *Avectam* ] Avehi dicuntur quæ ex una regione in aliam vehiculis vel navigiis aſportantur. Propertius Elegia 2. lib. 1.

*Avecta externis Hippodamia rotis.*

Virgilius Æneidos 2. v. 778.

*- - - Nec te hinc comitem aſportare Creuſam*
*Fas - - - - -*

ibid. *Ab oris* ] Voſſius legit *ab aris*. i. e. a focis & Laribus paternis. quod probari poſſet, ſi *abductam* legeret, ut aliis placet: non *avectam*. *Avehere* enim *ab oris* proprie dicitur; *ab aris*, non item. ſiquidem *ab aris* volentem *abducimus*; invitum *avellimus*, vel *abſtrahimus*. Propertius tamen (ne quid opinioni meæ contrarium diſſimulem) dixit, *a lecto dare vela*, Elegia 18. lib. 3.

*Credis eum jam poſſe tuæ meminiſſe figuræ,*
*Vidiſti a lecto quem dare vela tuo?*

v. 133. *Perfide* ] Ἀναφορά, exprimendo affectui mirum in modum accommodata. Sic Tibullus Elegia ultima lib. 3

*Perfida, nec merito nobis inimica: merenti*
*Perfida. ſed quamvis perfida, cara tamen.*



v. 134.

Siccine discedens neglecto numine divûm
Immemor ah devota domum perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia præsto?
Immite ut nostri vellet mitescere pectus?
At non hæc quondam nobis promissa dedisti
Voce: mihi non hoc miseræ sperare jubebas:
Sed connubia læta, sed optatos hymenæos.
Quæ cuncta aerii discerpunt irrita venti.
Jam jam nulla viro juranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles:

Queis

v. 134. *Numine divûm* ] Virgilius Æneidos lib. 2. v. 777.

*Non hæc sine numine divûm Eveniunt.*

v. 135. *Devota perjuria* ] Exsecranda, diris meis devota, in caput tuum reversura.

v. 136. *Nullane res* ] Non juramenta, non accepta beneficia, non infamiæ timor; non formæ, ætatis, fortunæ, parentum denique meorum misericordia.

v. 137. *Consilium* ] Italice: *la risoluzione*.

ibid. *Tibi nulla fuit clementia* ] Cicero pariter in Verrem lib. 2. *Tibi nulla lex fuit? nulla religio? nullus existimationis pudor? nullus judicii metus?*

ibid. *Fuit præsto* ] Adfuit.

v. 138. *Nostri mitescere* ] Subaudi, *caussâ*; ut sit ἔλλειψις, quemadmodum Vossio placet. recte, meo judicio.

v. 139. *Promissa dedisti Voce* ] Dictum ἐμφατικῶς. non enim ex animo Thesеum promisisse contendit, sed summis tantum labris.

v. 140. *Mihi n. h. miseræ sperare* ] Auctor eras ut mihi sperarem.

ibid. *Jubebas* ] Eodem pacto dicebant veteres illi Romani *salvere jubeo*, pro *saluto*. Plautus Asinaria Ac. 2. Sc. 2. v. 30.

*Jubeo te salvere voce summa, quoad vires valent.*

Terentius vero Adelphis Ac. 3. Sc. 5. v. 14. *Salvere Hegionem plurimum jubeo.*

v. 142. *Discerpunt irrita venti* ] Virgilius pariter 9. Æneid. v. 312.

*Multa patri portanda dabat mandata: sed auræ*
*Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.*

v. 143. *Jam jam nulla v. j. f. c.* ] Consuetudinem graviter dolentium imitatur poeta; qui res immodice amplificant, neque de sententiarum veritate multum sollicíti sunt. Ita Byrrhias apud Terentium Andriæ Ac. 2. Sc. 5. v. 14.

*-- Nullâne in re esse homini cuiquam fidem?*

vehementissime autem Dido Virgiliana Æneid. 4. v. 371.

*- - - - Jam jam nec maxima Juno,*
*Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.*
*Nusquam tuta fides - - - -*

ex quo Maronis loco facile colligas, etiam in hoc versu Catulli legendum esse *Jam jam*, ut Statio & Vossio videtur: cum editiones aliæ male præferant *Tum jam*, vel *Nunc jam*.

v. 144. *Speret esse* ] Pro *fore*. Noster

Queis dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt:
Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Di-

ster infra Carm. 66. verbis Januæ:

- - - - - *Utpote qua mi*
*Speret nec linguam esse, nec auriculam.*

Ita Ovidius quoque Elegia 4. lib. 2. Amorum:

*Spemque dat in molli mobilis esse toro.*

i. e. *se mobilem futuram*.

v. 145. *Cupiens* ] Pro *cupidus*.

ibid. *Prægestit* ] Valde gestit, percupit, & cupiditatem suam ipso motu corporis & gestu significat. Cicero in Oratione pro M. Cœlio: *Prægestit animus jam videre primum lautos juvenes mulieris beatæ*.

ibid. *Apisci* ] Adipisci. ἀρχαϊκῶς. Eodem modo usurpabant *aptus* pro *adeptus*. Plautus Epidico Ac. 5. Sc. 2. v. 3. *Sine me hominem apisci*. Idem Captivis Ac. 4. Sc. 1. v. 8.

*Sine sacris hereditatem sum aptus effertissimam.*

Terentius Heautontimor. Ac. 4. Sc. 3. v. 15. *Deorum vitam apti sumus*. Lucretius lib. 1. v. 449.

*Nec, ratione animi quam quisquam possit apisci.*

Et lib. 6. v. 1234.

*Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci*
*Ex aliis alios avidi contagia morbi.*

Ulpianus denique J. C. Lege 7. §. *Si ante aditam* D. de pactis: *Si servus sit qui paciscitur, prinsquam libertatem & hereditatem apiscatur, quia sub conditione heres scriptus fuerat, non profuturum pactum Vindius scribit*.

v. 146. *Metuunt jurare* ] *Metuere deos*, pro *eosdem revereri*, aut etiam *superstitiosum esse*, apud veteres auctores non semel occurrit. Livius lib. 22. Hist. ab U. C. cap. 3. *Consul ferox ab consulatu priore, & non modo legum ac patrum majestatis, sed ne deorum quidem satis metuens erat*. Ovidius lib. 1. Metamorph. v. 322. de Deucalione & Pyrrha:

*Non illo melior quisquam, nec amantior æqui*
*Vir fuit, aut illa metuentior ulla deorum.*

Persius Sat. 2. v. 31.

*Ecce avia, aut metuens divûm matertera, cunis*
*Exemit puerum: frontemque, atque uda labella*
*Infami digito, & lustralibus ante salivis*
*Expiat, urentes oculos inhibere perita.*

Horatius *metum deorum* pro ipsorum cultu & religione posuit Ode 35. lib. 1.

- - - *Unde manum juventus*
*Metu deorum continuit? quibus*
*Pepercit aris?* - - -

*Timorem* vero *deorum* pro anili superstitione Sat. 3. lib. 2. v. 297.

- - - - *Mater delira necabit*
*In gelida fixum ripa, febrimque reducet.*
*Quone malo mentem concussa? timore deorum.*

Ceterum, ut Ariadne Catulliana universum virorum genus perfidiæ crimine accusat, Ita vicissim Tibullus Elegia ultima lib. 3. de mulierum levitate ac perjuriis conqueritur:

*Et si perque suos fallax juravit ocellos,*
*Junonemque suam, perque suam Venerem,*
*Nulla fides inerit* - - -

Propterea Plautus Amphitruone Ac. 2. Sc. 2. v. 206. *Mulier es, audacter juras*. Ejusdem peccati suspicionem in pau-

Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.
Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, & potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque

Præ-

pauperes cadere, scribit Juvenalis Sat. 3. v. 143.

*Quantum quisque sua nummorum servat in arca,*
*Tantum habet & fidei. jures licet & Samothracum,*
*Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper*
*Creditur atque deos, diis ignoscentibus ipsis.*

ibid. *Nihil promittere parcunt* ] Hujusmodi homines, *pollicitorum divites* vocat Ovidius lib. 1. Artis A. v. 444.

v. 148. *Dicta* ] Promissa. Catullus infra Carm. 69.

*Dicit; sed mulier cupido quod dicit amanti,*
*In vento & rapida scribere oportet aqua.*

& Ovidius lib. 3. Artis A. v. 435.

*Quæ vobis dicunt, dixerunt mille puellis.*
*Errat, & in nulla sede moratur amor.*

*Φησὶ, ait*, eadem promittendi significatione usurpat Anacreon Ode 9. verbis columbæ:

Καί φησιν ἀδέως με
Ἐλευθέρην ποιήσειν.
*Et is ait, propediem me*
*Liberam se facturum.*

Hanc Ariadnæ conquestionem pulchre imitatus est vir ingeniosissimus Ludovicus Areostus admirabilis poematis lib. 10. strophe 5.

*Donne, alcuna di voi mai più non sia*
*Che a parole d' amante abbia a dar fede.*
*L' amante, per aver quel che disia,*
*Senza curar che Dio tutto ode e vede,*
*Avviluppa promesse e giuramenti,*
*Che tutti spargon poi per l' aria i venti.*

v. 149. *In medio versantem turbine leti* ] Subaudi *te* ἀπὸ κοινοῦ. Cicero pariter, *inter hostium tela, atque in maximis periculis insidiisque, versari*, dixit. Noster infra v. 167.

*Ille autem prope jam mediis versatur in undis.*

ibid. *Turbine leti* ] Præsentissimum vitæ periculum hac translatione significat. *Turbo* enim ventus est valde rapidus, & impetu maximo spirat. Ovidius ita locutus Metamorph. lib. 7. v. 614. de Ægeo pestilentiam deplorante:

*Attonitus tanto miserarum turbine rerum.*

v. 150. *Crevi* ] Pro *decrevi*. Plautus in Cistellaria v. 1.

*Cum ego antidhac te amavi, & mihi amicam esse crevi,*
*Mea Gymnasium* - - - - - -

quem locum attulit Achilles Statius.

v. 151. *Supremo in tempore* ] Cum in eo esses, ut a Minotauro occidereris: *in novissimo casu*, ut alibi loquitur.

v. 152. *Pro quo* ] Epigramma ad Priapum, quod viri docti Tibullo tribuunt:

*Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor,*
*Assiduus custos ruris ut esse velis.*

ibid. *Dilaceranda feris d. alitibusque Præda* ] Sumtum ab Homero Iliados 1. v. 4. - - Αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν,
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι - - -
- - - *Ipsos prædam discerpendam fecit canibus,*
*Alitibusque omnibus* - - -

v. 153.

Præda, neque injecta tumulabor mortua terra.
Quænam te genuit sola sub rupe leæna?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quæ Syrtis, quæ Scylla rapax, quæ vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci præmia vita?

Si

v. 153. *Injecta terra* ] Antiqui, non solum in funeribus, verum etiam prætereuntes, glæbam in sepulcra vel in cadavera insepulta, injiciebant, idque ad pietatem erga vitâ functos pertinere exiltimabant. Horatius Ode 28. lib. 1. verbis Archytæ Tarentini, qui naufragium fecerat: *Licebit Injecto ter pulvere curras.* Vide Kirchmannum de Funerib. Romanorum lib. 3. cap. 21.

v. 154. *Quanam te genuit s. s. r. leana?* ] Theocritus Idyllio 3. v. 15.

*Νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα· βαρὺς θεός· ἦ ῥα λεαίνας*
*Μαζὸν ἐθήλαζε. - - -*
*Nunc scio quid sit amor. sævus est deus: certe leana*
*Mammam suxit. - - -*

v. 155. *Quod mare* ] Idem Horatius Ode 1. lib. 2.

*- - - - Quod mare Dannia*
*Non decol' avere cades?*

ibid. *Spumantibus exspuit undis?* ] Hoc quoque ex Homericis thesauris depromtum. Iliados enim lib. 4. v. 425. ita divinus poeta de maris fluctu:

*Χέρσῳ ῥηγνύμενον μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας*
*Κυρτὸν ἐὸν κορυφοῦται, ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἄχνην.*
*Terra allisus vehementer fremit, quin & circa promontoria*
*Tumidus attollitur, exspuitque maris spumam.*

Quos versus laudat Macrobius lib. 5. Saturnal. cap. 13. ubi Homerum & Virgilium inter se comparat. Porro illud Furii mali poetæ, allatum derisumque ab Horatio Sat. 5. lib. 2. v. 41. vitiosum est, quamquam simile videri possit:

*-- Hibernas cana nive conspuet alpes.*

v. 156. *Syrtis* ] Quid ea proprie sit, docet Sallustius Belli Jugurthini cap. 80. his verbis: *Id oppidum* ( Leptis ) . . . . . . . . . *situm inter duas Syrtis, quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura. quorum proxuma terra praalta sunt; cetera, uti fors tulit, alta; alia in tempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse, & sævire cœpit ventis, limum, arenamque, & saxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis simul mutatur: Syrtes ab tractu nominata.* nimirum ἀπὸ τοῦ σύρειν: unde etiam *syrma*, vestis longa, quæ per humum trahitur.

ibid. *Scylla rapax* ] Legunt alii *vorax*, minus proprie. Scylla scopulus est in freto Siculo, contra Charybdin, navigantibus infestus. Dicta videtur ἀπὸ σκύλλυ, ἢ σκύλακος, *a catulo*; nam prope scopulum illum undarum sonitus canum latratum imitatur: iccirco eam canibus succinctam poetæ finxerunt. vel ἀπὸ τοῦ σκύλλειν, ab *unguibus trahendo*, seu *lacerando*.

ibid. *Vasta Charybdis* ] Hæc, vorago pessima est, absorbens navigia. Sallustius lib. 6. Histor. apud Servium in librum Æneidos 9. *Charybdis*, ait, *qua forte illata naufragia sorbens, gurgitibus occultis millia sexaginta Tauromenitana ad litora trahit.* Vide & Strabonem lib. 6. Geographiæ, qui tribuit Charybdi συστροφὴν καὶ δίνην μεγάλην,

con-

Si tibi non cordi fuerant connubia noſtra,
Sæva quod horrebas priſci præcepta parentis,
Attamen in voſtras potuiſti ducere ſedes,
Quæ tibi jucundo famularer ſerva labore,
Candida permulcens liquidis veſtigia lymphis,
Purpureave tuum conſternens veſte cubile.
Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris

Ex-

*converſionem & verticem magnum*.

v. 159. *Priſci parentis* ] Ægei, quem veriſimile eſt, noluiſſe, Theſeum filium injuſſu ſuo ducere uxorem. Nugantur ſane, qui hoc ad Ceeropem, primum Athenarum conditorem, aut ad Minoem Ariadnæ patrem referre malunt. *Priſcum* appellavit, ſenem frugi, antiqua ſeveritate, cui juvenum licentia odioſa eſſet. Hujuſmodi ſenes moroſos egregie ob oculos ponit Terentius Heautontim. Ac. 2. Sc. 1. v. 1.

*Quam iniqui ſunt patres in omnes adoleſcentes judices,*
*Qui æquum eſſe cenſent nos a pueris illico naſci ſenes;*
*Neque illarum affines eſſe rerum quas fert adoleſcentia!*
*Ex ſua libidine moderantur, nunc quæ eſt, non quæ olim fuit.*

Ita Catullum explicant Hadrianus Turnebus & Iſaacus Voſſius, qui huc affert verſum illum e Copa:

*Ah pereat cui ſunt priſca ſupercilia.*

v. 162. *Veſtigia* ] Pro *pedes*. Infra Elegia de Coma Berenices v. 69.

*Sed quamquam me nocte premunt veſtigia divûm.*

v. 163. *Purpureaque t. conſternens v. c.* ] Hoc etiam in præcipuis ancillarum officiis a veteribus poetis numeratur. Quorum princeps Homerus Iliados 1. v. 29. verbis Agamemnonis, Chryſeidem ſe patri redditurum pernegantis, ita canit:

Τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω, πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν
Ἡμετέρῳ ἐνὶ οἴκῳ ἐν Ἄργεϊ τηλόθι πάτρης
Ἱστὸν ἐποιχομένην, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν.

*Hanc autem ego non prius dimittam quam eam & ſenectus adeat,*
*Noſtra in domo, Argis, procul a patria*
*Telam percurrentem, & meum lectum inſternentem.*

Ariadna ipſa apud Nonnum Dionyſiacon lib. 47. v. 391.

Καὶ στορέσω σέο λέκτρα. - -
*Et ſternam tuos lectos.* - -

Terentius porro ita locutus eſt ut Catullus Heautont. Ac. 5. Sc. 1. v. 30.

*Huc eſt intro latus lectus: veſtimentis ſtratus eſt.*

nempe ſtragula veſte.

v. 164. *Ignaris auris* ] Vel ſtupidis & dolere neſcientibus; vel ignotis & peregrinis; quam explicationem, a nemine antehac excogitatam, veram eſſe oſtendunt illa Ovidii Epiſtola Ariadnæ v. 121.

*Spiritus infelix peregrinas ibit in auras.*

Nam *ignarus* παθητικῶς, eſt *ignotus*. Teſtatur id modo memorati Naſonis auctoritas lib. 7. Metam. v. 404.

*Jamque aderat Theſeus proles ignara parenti.*

Propertii quoque Elegia 7. lib. 2. E. B.

*Hic olim ignaros luctus populavit Achivos.*

Eo

Externata malo, quæ nullis sensibus auctæ
Nec missas audire queunt, nec reddere voces?
Ille autem prope jam mediis versatur in undis,
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore sæva
Fors etiam nostris invidit questubus aures.

Jup-

Eo loco *ignari Achivi* sunt vilia & ignota capita, plebs Achivorum. Contra, *gnarus* interdum sumitur pro cognito. Tacitus lib. 1. Annalium cap. 63. *Trudebanturque in paludem gnaram vincentibus, iniquam nesciis.*

ibid. *Conqueror auris* ] Querelas meas ventis effundo. Propertius Elegia 7. lib. 4.

*Fœderis heu taciti! cujus fallacia verba*
*Non audituri diripuere Noti.*

v. 165. *Externata* ] Prorsus perturbato animo, & propemodum insana. Ovidius lib. 1. Metam. v. 640.

*- - - Novaque ut conspexit in unda*
*Cornua, pertimuit, seque externata refugit.*

Idem lib. 11. ejusdem Operis v. 76.

*Sic, ut quæque solo defixa cohæserat harum,*
*Externata fugam frustra tentabat. - -*

ibid. *Nullis sensibus aucta* ] Nihil enim sentiunt venti. *Aucta*, sunt *prædita*: modus loquendi Lucretianus; ut animadvertit Achilles Statius. Ita enim poeta philosophus lib. 3. de R. N. v. 636. ubi disputat, hominis animam esse mortalem:

*Quinque (ut opinor) eam faciendum*
*est sensibus auctam.*

v. 166. *Nec missas &c.* ] Hunc versum, sicut & alios ex hoc poemate, pressius imitatur Virgilius: quod Macrobius olim, & plures Catulli interpretes notaverunt.

ibid. *Missas voces* ] *Mittere vocem*, loqui est, aut clamare. Cicero pro A. Cluentio: *Ita diu jactata ista res est, ut hodierno die primum veritas vocem contra invidiam, his judicibus freta, miserit.* Horatius in Arte Poetica v. 390.

*- - Nescit vox missa reverti.*

Pedo Albinovanus ad Liviam v. 352.

*Nec vox missa potest principis ore tegi.*

v. 168. *Quisquam mortalis* ] Poterant enim adesse in eo litore immortales, qui non viderentur, puta Nymphæ, ac Genius loci: nulli tamen occurrebant mortales. Ita sæpius loqui amat Sallustius, ut *mortalem* scilicet pro *homine* usurpet. Belli Jugurthini cap. 51. *Ubi & incolere, & mercari consueverant Italici generis multi mortales.* Et lib. 6. Histor. apud Nonium: *Cujus duas insulas propinquas inter se, & decem stadium procul a Gadibus sitas, constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.*

v. 170. *Fors* ] Cognomen Fortunæ. Varro lib. 5. de L. L. *Dies Fortunæ appellatus ab Servio Tullio rege, quod is fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio mense.* Columella de cultu Hortorum v. 316.

*Et celebres Fortis Fortunæ dicite laudes.*

Porro Geta servus apud Terentium Phormione Ac. 5. Sc. 6. v. 1. Fortunam, & Fortem Fortunam, tamquam deas diversas appellat:

*O Fortuna, o Fors Fortuna, quantis*
*commoditatibus*
*Quam subito, meo hero Antiphoni ope*
*vestra hunc onerâstis diem!*

O o ibid.

Juppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiæ tetigissent litora puppes:
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem:
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Con-

ibid. *Etiam n. invidit questubus aures* ] *Invidit*, pro abstulit, negavit. Virgilius Ecloga 7. v. 58.

*Liber pampineas invidit collibus umbras.*

quod olim a Parthenio notatum. Contra Cicero Epist. 18. lib. 1. ad Atticum: *Mulca enim sunt qua me sollicitant anguntque, qua mihi videor, aures nactus tuas, unius ambulationis sermone exhaurire posse.*

v. 171. *Utinam ne* ] Optat, ea quæ facta fuerant, non fuisse facta. Id autem neque dii possunt. Horatius Ode 29. lib. 3.

*- - - - Cras vel atra*
*Nube polum Pater occupato,*
*Vel Sole puro; non tamen irritum*
*Quodcumque retro est, efficiet: neque*
*Diffinget, infectumque reddet*
*Quod fugiens semel hora vexit.*

Inepte Plinius lib. 2. Nat. Hist. cap. 7. *Imperfecta vero in homine natura pracipua solatia, ne Deum quidem posse omnia. Namque nec sibi potest mortem consciscere, . . . . . . . . . nec facere, ut qui vixit, non vixerit: qui honores gessit, non gesserit: nullumque habere in praterita jus, prater quam oblivionis.* Ceterum, sapienter monet M. Tullius in libro de Fato, *Non sic caussam intelligi debere, ut, quod cuique antecedat, id & caussa sit; sed quod cuique efficienter antecedat: . . . . . . . . . . . . . nec Hecubam caussam interitus fuisse Trojanis, quod Alexandrum genuerit: nec Tyndareum Agamemnoni, quod Clytamnestram. . . . . . . . . . . . . . ex hoc genere*, ait, *illud est Ennii,*

*Utinam ne in nemore Pelio securibus*
*Casa, cecidisset abiegna ad terram trabes!*

*Licuit vel altius, Utinam ne in Pelio nata ulla umquam esset arbor! etiam supra, Utinam ne esset mons ullus Pelius!. similiterque superiora repetentem regredi in infinitum licet.* Lege ibi plura in eamdem sententiam.

v. 173. *Dira stipendia* ] Tributum septem adolescentium ac totidem virginum lectissimarum, quod Athenienses quotannis, ante expeditionem Thesei, Minotauro mittere cogebantur.

v. 174. *Perfidus navita* ] Atheniensium omnium fidem incusare videtur, qui Androgeum Ariadnæ fratrem proditione occiderant.

ibid. *In Cretam* ] In litore Cretensi. quartus casus pro sexto: hypallage frequens Latinis auctoribus.

ibid. *Religâsset funem* ] Seneca Medea v. 611.

*Et tot emensus pelagi labores,*
*Barbara funem religavit ora.*

Cajus J. C. Lege 5. D. de Divisione Rerum & Qualitate: *Riparum usus publicus est jure gentium, sicut ipsius fluminis. Itaque navem ad eas appellere, funes ex arboribus ibi natis religare . . . . . . . cuilibet liberum est.*

v. 175. *Celans d. crudelia forma Consilia* ] Auctor Ciris, poematis elegantissimi, ut & alia multa, hoc imitatus est v. 431.

*Non equidem ex isto speravi corpore posse*
*Tale malum nasci - - - -*

Sed vere Phædrus Fab. 4. lib. 3.

*- - - Et*

Consilia in nostris requiesset sedibus hospes.
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?

Ido-

*- - - Et formosos saepe inveniri pessimos,*

*Et turpi facie multos cognovi optimos.*

Neronem profecto, bipedum crudelissimum, *pulchro vultu* fuisse, narrat Suetonius in ejus vita cap. 51. Et Pandoram illam, cujus e pyxide mala omnia, ut poetae fabulantur, in orbem terrarum effluxerunt, hujusmodi nobis describit Hesiodus ἐν ἔργοις v. 78. facie quidem pulcherrima, at malignam & versipellem, celantem nimirum in pectore

*Ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος.*

*Mendacia, blandosque sermones, & dolosos mores.*

Talis etiam erat adolescentulus ille apud Theocritum Idyllio 23. v. 2.

*Τὰν μορφὰν ἀγαθός, τὸ δὲ τρόπον οὐκ ἔθ' ὅμοιος.*

*Forma quidem bona, sed moribus nequaquam similibus.*

Martanus item, ejusque concubina Origille apud Areostum lib. 16. Rol. Fur. de quo nebulonum pari sic egregius poeta:

*E copria l'uno e l'altro il suo difetto,*
*Con danno altrui, sotto cortese aspetto.*

Non abs re igitur vetus philosophus, allatus a Joanne Stobaeo Serm. 63. eo nomine pulchritudinem laudabat, quod prae ceteris animi fortunaeque bonis cognitu facillima sit. Formosum enim primo aspectu agnoscimus: claris parentibus ortum, aut locupletem, aut virtute praeditum, non item.

v. 177. *Nam quo me referam?*] Medea apud Euripidem in tragoedia cognomine v. 502.

*Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους,*
*Οὓς σοὶ προδοῦσα, καὶ πάτραν, ἀφικόμην;*
*Ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας; καλῶς γ' ἂν οὖν*
*Δέξαιντό μ' οἴκοις, ὧν πατέρα κατέκτανον.*

*Quo me nunc vertam? an ad domum patris,*
*Qua tibi prodita, & patria huc veni?*
*An ad miseras filias Peliae? scilicet illae pulchre*
*Me reciperent in suas aedes, quarum patrem interfeci.*

Similis dubitatio Atherbalis, filii Micipsae Numidiae regis, apud Sallustium Belli Jugurthini cap. 16. *Quid agam? aut quo potissimum infelix accedam? generis praesidia omnia exstincta sunt: pater, uti necesse erat, naturae concessit: fratri, quem minume decuit, propinquus per scelus vitam eripuit.* Et inferius: *Nunc vero exsul patria, domo, solus, atque omnium honestarum rerum egens, quos accedam, aut quos appellem? nationesne, an reges, qui omnes familiae nostrae ob vestram amicitiam infesti sunt? an quoquam mihi adire licet, ubi non majorum meorum hostilia monumenta plurima sint? aut quisquam nostri misereri potest qui aliquando vobis hostis fuit?* Simile quoque Graechanum illud apud Quinctilianum Instit. Orat. lib. 11. cap. 3. *Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. an domum? matremne ut miseram lamentantemque videam & abjectam?* Dido etiam Virgiliana lib. 4. discessum Aeneae iniquissimo animo ferens, hunc etiam locum in conquestione leviter tangit v. 320.

*Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni*
*Odere, infensi Tyrii: te propter eumdem*

 Ex-

Idomenióſne petam montes? ah gurgite lato
Diſcernens Ponti truculentum ubi dividit æquor?
An patris auxilium ſperem? quémne ipſa reliqui
Reſperſum juvenem fraterna cæde ſecuta?
Conjugis an fido conſoler memet amore?
Quíne fugit lentos incurvans gurgite remos?

Præ-

*Exſtinctus pudor, &c, qua ſola ſidera adibam,*
*Fama prior. cui me moribundam deſeris, hoſpes?*
*Hoc ſolum nomen quoniam de conjuge reſtat.*

ibid. *Quo me referam?* ] Quo me vertam? ad quos adeam, vel accedam, vel confugiam?

ibid. *Quali ſpe nitar?* ] Fulcro, vel anchoræ ſpes comparari ſolet. Propterea ſcriptores his locutionibus utuntur, *ſpe ſuſtineri*, vel *ſuſtentari*: item *pendere a ſpe*. Ovidius Epiſt. Briſeidos v. 142.

*Suſtinet hoc anima ſpes tamen una tui.*

ibid. *Nitar* ] Idem Ovidius lib. 5. Triſtium Elegia 2.

*Ille deus bene quo Romana potentia nixa eſt.*

v. 178. *Idomenióſne* ] In tanta lectionum varietate, quæ ſententiam hujus verſus obſcuram & incertam faciunt, viſum eſt mihi Voſſium ſequi ita legentem. Porro Idomenii montes, ut idem recte docet, vocantur ab Idomene oppido. Fuerunt autem Idomenæ duæ: una quidem Ambraciæ proxima, ſita in duobus excelſis collibus: altera prope fines Thraciæ, poſita in montibus Bottiæis, condita vero ab Idomeneo Cretenſium duce, quo tempore ille in Macedoniam claſſe profectus eſt; ut narrat Strabo lib. 6. Geographiæ. Plutarchus in Theſeo, & Conon apud Photium. Neque tamen neceſſe eſt, ut hoc loco montes aut colles intelligamus in quibus Idomene fundata eſſet: poſſumus enim, eodem Voſſio monente, de Atho Macedoniæ monte hæc accipere, incredibili altitudine prædito, ac longe lateque porrecto, ut non ſolum totam oram maritimam Macedoniæ, ſed etiam partem Ægæi maris opacet, atque ab Aſiæ uſque litore proſpiciatur. Voſſianæ lectioni ſuffragantur duo ſcripti codices chartacei Bibliothecæ Saibantium Veronæ, inſpecti a Paulo Galbardo. Alius vero membranaceus præfert, *Idmeneos*. Ceterum τὸ *Idomenios*, tetraſyllabon eſt κατὰ συναίρεσιν. Plura lege apud virum egregium, & interpretem Catulli doctiſſimum de antiqua illa Idomenei expeditione.

v. 179. *Ponti æquor* ] Si Voſſium audimus modo laudatum, *Pontus* hîc maris deum ſignificat, hoc nomine appellatum: quemadmodum cum dicimus flumen Rheni, Nili, Alphæi, & cetera id genus, hæc nomina non ſunt accipienda de ipſis fluminibus aut fluminum aquis, ſed potius de diis vel Geniis, in quorum fide ac tutela ea flumina erant.

v. 181. *Reſperſum cæde* ] Eodem pacto infra v. 230.

- - - *Ut tauri reſpergas ſanguine dextram.*

ibid. *Fraterna cæde* ] Minotauri fratris mei.

v. 183. *Lentos incurvans g. remos* ] Lentum eſt id quod facile flectitur, ac

Præterea nullo ( litus folum ) infula tecto:
Nec patet egreffus pelagi cingentibus undis.
Nulla fugæ ratio, nulla fpes: omnia muta,
Omnia funt deferta, oftentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languefcent lumina morte,
Nec prius a feffo fecedent corpore fenfus,
Quam juftam a divis expofcam prodita multam,

Cæ-

ac rurfus extendi & rectum fieri poteft. Lentos propterea vocat remos poeta, quod plerumque e viridi ligno fiant: ut nullo negotio incurvari poffint, ac deinde continuo reftitui. nam fi lenti non fuerint, frangi folent. Ita explicat Voffius. Ego vero hunc locum diverfa plane ratione adolefcens olim explicaveram; fcilicet de illo oculorum errore, quo fit ut remi aqua fubmerfi, curvi, immo fracti fpectantibus appareant, cum tamen integri & recti fint. Hoc φαινόμενον ita defcribit Lucretius lib. 4. v. 441.

*Nam quacumque fupra rorem falis edita pars eft*
*Remorum, recta eft; & recta fuperne guberna:*
*Qua demerfa liquore obeunt, refracta videntur*
*Omnia converti, furfumque fupina reverti.*

Quem poetæ philofophi locum attulit etiam Joannes Pafferatius.

v. 184. *Litus folum* ] Litora ab humano cultu plerumque deferta. Propterea Cicero elegantiffime Epift. 18. lib. 1. ad Atticum: *Metellus non homo, fed litus atque aer, & folitudo mera*. qui fcilicet cum eo nihil communicaret, & in quo ipfe nihil præfidii poneret.

v. 186. *Nulla fuga ratio* ] Hic verfus cum proxime fequenti concinnus admodum eft, atque ad exprimendam perditæ mulieris defperationem mirum in modum accommodatus. Lucretius lib. 5. v. 828. eamdem prope metri & locutionis figuram fervavit:

*Nec manet ulla fui fimilis res: omnia migrant:*
*Omnia commutat natura & vertere cogit.*

Claudianus a Catullo, ut videtur, lib. 2. in Eutropium v. 275.

*- - Spes nulla falutis, Nulla fuga. - -*

ibid. *Nulla fpes* ] Altera fyllaba vocis *nulla*, quæ fuapte natura brevis eft, producitur tamen hoc loco propter moram cæfuræ, & ob infequentem pofitionem duarum mutarum, quamquam in alia voce. Simile eft illud Tibulli Elegia 5. lib. 1.

*Pro fegete fpicas, pro grege ferre dapem.*

Itemque Propertii Elegia 9. lib. 3.

*Jura dare ftatuas inter & arma Mari.*

Necnon Juvenalis Sat. 8. v. 106.

*Occulta fpolia, & plures de pace triumphos.*

Denique Martialis Epigram. 66. lib. 2.

*Ut digna fpeculo fiat imago tuo.*

v. 189. *Secedent corpore fenfus* ] Abibunt, mortuo corpore ac diffoluto: vel ita, ut animam ad inferos comitentur; vel ita, ut penitus exftinguantur. quod Epicureorum decretum fuit.

v. 190. *Multam* ] Ἀμοιβὴν, hoftimentum, talionem: ut par pari reddatur.

v. 191.

Cælestumque fidem postrema comprecer hora.
Quare, facta virûm multantes vindice pœna
Eumenides, quibus anguino redimita capillo
Frons exspirantis præportat pectoris iras,

Huc

v. 191. *Cælestum* ] Superorum deorum, *ὀλύμπια δώματ' ἐχόντων*, ut sæpius loquitur Homerus. Tibullus Elegia 9. lib. 1.

*Parcite, cælestes: æquum est impune licere*
*Numina formosis lædere vestra semel.*

Ovidius lib. 1. Artis Am. v. 147.

*At cum pompa frequens cælestibus ibit eburnis,*
*Tu Veneri dominæ plaude favente manu.*

*Cælestes eburni*, sunt ibi simulacra deorum cælestium ex ebore, quæ in pompa per medium Circum thensis ferebantur.

ibid. *Fidem comprecer* ] Opem omnium simul implorem. Terentius Andria Ac. 1. Sc. 5. v. 2. *Proh deûm atque hominum fidem!* Idem Adelphis Ac. 3. Sc. 5. v. 43.

*Illæc fidem nunc vestram implorat, Demea.*

& alibi sæpius, eadem significatione. *Fides* in his locis videtur esse perfugium ac tutela, cui valde fidendum sit.

v. 192. *Facta virûm* ] Scelera hominum. Interdum addebant *impia*. Noster supra Carm. 30. v. 4.

*Nec facta impia fallacum hominum cælicolis placent.*

Tibullus pariter Elegia ultima lib. 3.

*Sit cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,*
*Ingrati referens impia facta viri.*

Nonnumquam *tristia*. Virgilius lib. 2. Æneidos v. 547.

*Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, & nuntius ibis*
*Pelidæ genitori. illi mea tristia facta,*
*Degeneremque Neoptolemum narrare memento.*

v. 193. *Eumenides* ] Furiæ tres; Alecto, Tisiphone, Megæra, quæ improborum hominum scelera ulcisci credebantur. Harum ultricium Furiarum, sive dæmonum, Timæus Locrus, philosophus Pythagoræus antiquissimus, in calce libri de Anima Mundi, his verbis mentionem facit: *Ἅπαντα δὲ ταῦτα ἐν δευτέρᾳ περιόδῳ ἁ Νέμεσις συνδιέκρινε, σὺν δαίμοσι παλαμναίοις χθονίοις τε τοῖς ἐπόπταις τῶν ἀνθρωπίνων.* i. e. *Omnia autem hæc in secundo circuitu Nemesis certo judicio rata fixaque esse voluit, cum infernarum illarum Furiarum numinibus, ad quas humanarum rerum inspectio pertinet.*

ibid. *Anguino* ] Salvianus Massiliensis de Gubernatione Dei lib. 6. cap. 13. de Hydra: *Anguinum illud monstrum, ut fabulæ ferunt, multiplicabat occisio.*

v. 194. *Frons* ] Animi speculum frons. hæc enim, ut ait Plinius lib. 11. N. H. cap. 37. *tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index est.* Vide tamen quæ adnotavimus ad versum 175. hujus poematis.

ibid. *Exspirantis* ] Aut est casus patrius numeri singularis, & *κοινῶς* *pectoris*: aut casus quartus numeri multitudinis, antiquo more scriptus, ut *exspirantes iras* intelligere debeamus. Illud prius verum existimo. Nam *exspirare iras* ita dixit Catullus, quemadmodum Horatius *spirare amores* Ode 13. lib. 4.

- - - *Quid habes illius, illius*
*Quæ spirabat amores,*
*Quæ me surpuerat mihi?*

Ma-

Huc huc adventate, meas audite querelas;
Quas ego, væ miseræ, extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti cæca furore.
Quæ quoniam veræ nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum:
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, deæ, funestet seque suosque.

Has

*Magnum spirare*, legimus apud Propertium Elegia 12. lib. 2. E. B.

*Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,*
*Forsitan includet crastina fata dies.*

Id est magnos spiritus sibi sumere, μέγα φρονεῖν, ut Græci loquuntur. Σαῦλος ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου εἰς τοὺς μαθητὰς τοῦ κυρίου, occurrit in Actibus Apostolorum cap. 9. v. 1. *Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini.*

ibid. *Præportat* ] Præ se fert, ostentat. Lucretius lib. 2. v. 621.

*Telaque præportant violenti signa furoris.*

v. 195. *Huc huc adventate* ] Ἀναδίπλωσις vocantis. Auctor Lusuum in Priapum Carm. 13.

*Huc huc, quisquis es, in dei salacis*
*Diverti grave ne puta sacellum.*

v. 196. *Extremis medullis* ] Hæc locutio nescio quo pacto durior atque usu aliena mihi videtur. Propterea legendum arbitror: *ex imis*, quod facile ab oscitantibus librariis mutari potuit voce *extremis*.

v. 197. *Inops* ] *Rerum omnium honestarum egens*, ut ait Sallustius Belli Jugurthini cap. 16. in Oratione Atherbalis ad Senatum Romanum: vel inops consilii. Superius enim dixit v. 177. *Nam quo me referam?*

ibid. *Amenti cæca furore* ] Cicero lib. 3. Tusc. Quæst. *Amentia est animi affectio lumine mentis carens.* Idem Oratione pro Sextio, *cæcum atque amentem tribunum plebis* P. Clodium appellat.

v. 198. *Veræ nascuntur* ] Lucretius lib. 3. v. 57.

*Nam veræ voces tum demum pectore ab imo*
*Ejiciuntur, & eripitur persona, manet res.*

Id olim viderat interpres Lusitanus.

v. 199. *Nolite pati* ] Sallustius pariter Belli Jugurthini cap. 15. *Vos P. C. nolite pati, me, nepotem Masinissæ, frustra a vobis auxilium petere.* Idem cap. 17. *Nolite pati, regnum Numidiæ, quod vestrum est, per scelus & sanguinem familiæ nostræ tabescere.* Cicero Epist. 25. lib. 9. *Noli pati, litigare fratres, & judiciis turpibus conflictari.*

ibid. *Nostrum vanescere luctum* ] Irrita fieri quæ precor, luctu & mærore confecta. Contra Ovidius Amorum lib. 2. Elegia 14.

*Ista sed æthereas vanescant dicta per auras:*
*Et sint ominibus pondera nulla meis.*

Porro exsecrationes ab ore juste dolentium profectas, numquam effectu carere, sibi persuaserunt veteres. Horatius Epodo 5. v. 89.

*Diris agam vos: dira detestatio*
*Nulla expiatur victima.*

v. 201. *Tali mente* ] Immemori, obliviosa. Infra v. 247.

- - - *Theseus, qualem Minoidi luctum*

Ob-

Has postquam mœsto profudit pectore voces,
Supplicium sævis exposcens anxia factis:
Annuit invicto cælestum numine rector,

Quo

*Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.*

ibid. *Dea* ] Etiam Seneca Medea v. 13. Furias appellavit deas:

*Adeste adeste, sceleris ultrices deæ,*
*Crinem solutis squallidæ serpentibus,*
*Atram cruentis manibus amplexæ facem,*
*Adeste - - - - -*

Cum quo concinit Valerius Flaccus lib. 1. Argonauticon v. 794.

*- - - - - Tu nuntia fontum*
*Virgo Jovi, terras oculis quæ prospicis æquis:*
*Ultricesque deæ: Fasque, & grandæva Furorum*
*Pœna parens, meritis regis succedite tectis,*
*Et sævas inferte fates - - - -*

Cicero tamen lib. 3. de Nat. Deorum dubitare videtur, utrum Furiæ in diis numerandæ sint, necne. *Sin hæc*, inquit ( *Hecate* ) *dea est, cur non Eumenides? quæ si deæ sunt, quarum & Athenis fanum est, & apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinæ; Furiæ deæ sunt, speculatrices, credo, & vindices facinorum, & scelerum.*

v. 204. *Annuit* ] Tibullus lib. 4. Carm. 1. v. 133. de eodem Jove:

*Cunctaque veraci capite annuit. - -*

Hæc ab Homero sumta; quem vide Iliados 1. a versu 524.

ibid. *Invicto numine* ] *Invictus*, perpetuum Jovis ἐπίθετον, ut *Saturnius*, *omnipotens*, atque id genus plurima. Horatius Ode 27. lib. 3.

*Uxor invicti Jovis esse nescis?*

Græcis est ἀνίκητος. Hesiodus Theogoniæ v. 488. de Saturno filios devorante:

- - - Οὐδ' ἐνόησε μετὰ φρεσὶν ὥς οἱ ὀπίσσω
Ἀντὶ λίθου ἑὸς υἱὸς ἀνίκητος καὶ ἀκηδὴς
Λείπεθ' - - - - - -

*- - - Nec cogitavit animo, quod sibi in posterum*
*Pro lapide suus filius invictus & securus*
*Superesset - - - - - -*

nempe Juppiter, qui olim regnum paternum vi occupaturus erat, patremque in carcerem detrusurus. Neque tamen dissimulaverim, etiam alios deos *invictos* appellatos fuisse. Extat Inscriptio hujusmodi apud Gruterum, quæ est 10. pag. XXXIII.

DEO
INVICTO
MITHRAE
C. LVCRETIVS. MNESTER
M. AEMILIVS. PHILETVS
SVM. MAG. ANNI. PRIMI
M. AEMILI. CHRYSANTI
D. S. D. D

Sunt qui apud Catullum hoc loco legere malint *invito*; quod ita explicant: Annuit Juppiter Ariadnæ quod poscebat, cum ad eum pertineat miseris & afflictis subvenire; annuit tamen invitus, quod scilicet ageretur de puniendo Theseo, cujus erat avus Neptunus, Jovis frater.

ibid. *Numine* ] Vim hujus vocabuli sic ostendit Varro lib. 6. de L. L. *Numen dicunt esse imperium, dictum ab nutu. omnia sunt ejus cujus imperium maximum esse videatur. Itaque in Jove hoc & Homerus, & aliquotiens Livius.*

v. 206.

Quo tunc & tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concuſſitque micantia ſidera mundus.
Ipſe autem cæca mentem caligine Theſeus
Conſitus oblito dimiſit pectore cuncta,
Quæ mandata prius conſtanti mente tenebat:
Dulcia nec mœſto ſuſtollens ſigna parenti,
Soſpitem Erechthéum ſe oſtendit viſere portum.
Namque ferunt, olim claſſi quum mœnia divæ

Lin-

v. 206. *Mundus* ] Pro cælo poſitum: quod poetis frequens. Lucretius lib. 5. v. 1435.

*At vigiles, mundi magnum & verſatile templum,*
*Sol & Luna, ſuo luſtrantes lumine circum, &c.*

Virgilius 1. Georgicon v. 240.

*Mundus ut ad Scythiam Rhipæaſque arduus arces*
*Conſurgit; premitur Libyæ devexus in auſtros.*

*Mundum ætherium* Tibullus dixit hac ſignificatione, Elegia 4. lib. 3.

*Jam Nox ætherium nigris emenſa quadrigis*
*Mundum, cæruleo laverat amne rotas.*

v. 208. *Conſitus mentem caligine* ] Νῦν σκότει συναρπασμένος. *Conſitus* videtur hic idem eſſe quod *obſitus*. Vetus Poeta apud Ciceronem lib. 1. Tuſc. Quæſt.

*-- Leti obnubila, obſita tenebris loca.*

Contra Lucretius lib. 2. v. 210.

*Sol etiam ſummo de vertice diſſupat omnes*
*Ardorem in partes, & lumine conſerit arva.*

ibid. *Oblito* ] Male Petrus Burmannus, vir alioqui doctiſſimus, ad Valerium Flaccum lib. 1. v. 792. exiſtimat, *oblito* hic a Catullo παθητικῶς uſurpatum. profecto enim *pectus oblitum*, eſt *mens obliviosa*, ſive *oblivione occupata*, e qua mandata exciderunt, non *oblivioni tradita*.

ibid. *Dimiſit pectore* ] Eleganter admodum dictum: quo pacto a Tibullo Elegia 1. lib. 3.

*Illa mihi referet, ſi noſtri mutua cura eſt,*
*An minor, an toto pectore deciderim.*

Ad quos verſus Equitis Romani operæ pretium eſt legere quæ attulit atque animadvertit Janus Broukhuſius.

v. 209. *Quæ mandata* ] Cujuſmodi fuerint hæc mandata, exponit Catullus inferius a v. 212.

ibid. *Tenebat* ] Retinebat, cuſtodiebat, ſervabat. Propertius Elegia 4. lib. 3.

*Nunc mihi, ſi qua tenes, ab origine dicere prima,*
*Incipe - - - -*

v. 210. *Dulcia ſigna* ] Vela nempe candida, quæ filii ſalutem & victoriam compoſito indicarent.

v. 211. *Erechthéum portum* ] Athenarum litus, ab Eréchtheo, antiquiſſimo Athenienſium rege, ſic appellatum. Hanc lectionem, ſane optimam & quantivis pretii, primus protulit Iſaacus Voſſius e veſtigiis veteris ſcripturæ. Codices enim præferebant: *Soſpitem erectum*; quod teſtatur Achilles Statius. Ita locutus & Claudianus lib. 1. in Eutropium v. 292.

*Triſtis Erechthéi deplorat ſcena theatri.*

v. 212. *Claſſi* ] Claſſe, i. e. pluribus navibus.

P p ibid.

Linquentem gnatum, ventis concrederet Ægeus,
Talia complexum juveni mandata dedisse:
Gnate mihi longa jucundior unice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ:
Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, quoi languida nondum

Lu-

ibid. *Mœnia diva* ] Athenarum videlicet, quæ urbs in tutela Palladis erat, & ab ea nomen acceperat. Pallas enim Græcis Ἀθήνη.

v. 213. *Ventis concrederet* ] Epigramma Q. Ciceroni attributum:

*Crede ratem ventis, animum ne crede puellis.*

Lucretius lib. 5. v. 779.

*- - - Quid primum in luminis oras*
*Tollere, & incertis tentârit credere ventis.*

ibid. *Concrederet* ] Verbum compositum pro simplici. Eodem pacto M. Tullius pro Quintio, & pro Sex. Roscio Amerino dixit, *rem & fortunas alicujus alicui commendare atque concredere.*

v. 215. *Longa jucundior vita* ] Παροιμιῶδες. Infra Carm. 67. v. 105.

*Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,*
*Ereptum est vita dulcius atque anima*
*Conjugium - - -*

v. 217. *Reddite mihi* ] Quem peperit mihi jam seni Æthra Pitthei filia. *Reddere* enim est *parere*. Varro lib. 2. de Re Rustica cap. 3. ubi de capris: *Quæ concepit, post quartum mensem reddit tempore verno. Reddere* item, significatione non dissimili, pro *dare*, *edere*, *ferre*, sæpenumero usurpat Lucretius. Illud singulare est lib. 4. v. 764.

*Usque adeo, certe ut videamur cernere eum quem*
*Reddita vitaï jam mors, & terra potita est.*

nempe, cujus potitus est interitus, redditus, i. e. allatus vitæ. quod mire ac satis nove dictum: si Gifanium audimus in Conlectaneis.

ibid. *In extrema n. m. fine senecta* ] Hujusmodi enim filios in senectute susceptos, impensius amare solent patres: quod scilicet aliorum suscipiendorum spe destituantur. Insignis Homeri locus est Odysseæ lib. 16. v. 17. in hanc plane sententiam:

Ὡς δ' πατὴρ ὃν παῖδα φιλοφρονέων ἀγαπάζει
Ἐλθόντ' ἐξ ἀπίης γαίης δεκάτῳ ἐνιαυτῷ,
Μοῦνον τηλύγετον, τῷ ἐπ' ἄλγεα πολλὰ μογήσῃ·

*Utque pater suum filium amanter excipit*
*Venientem ex longinqua terra decimo anno,*
*Solum unicum in senectute genitum, ob quem dolores multos passus est.*

Non desunt nihilominus, qui Catullum plane diversa ratione sic interpretentur: Quem ego senex vix tandem recepi, educatum scilicet apud Pittheum avum maternum, & multis periculis ac laboribus perfunctum. Sane Plutarchus in Theseo narrat, Ægeum Thesei patrem, filio redeunte *ἀπευθύνετον* fuisse, neque ipsum statim agnovisse.

v. 218. *Fortuna mea* ] *Fortunam* pro *infortunio* posuit; quemadmodum Propertius Elegia 20. lib. 1.

*Sæpe*

Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunæ signa secundæ.
Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra, atque infuso pulvere fœdans;

In-

*Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti.*

ibid. *Tua fervida virtus* ] Significat his verbis poeta, Theseum non patris jussu coactum, aut forte missum, in Cretam abiisse, verum ἑκόντα, amore tantum patriæ impellente, ac gloriæ cupiditate suadente.

v. 220. *Lumina s. g. c. saturata figura* ] Illud Homeri fortasse imitari voluit Odysseæ lib. 11. v. 451. ubi umbra Agamemnonis apud inferos cum Ulixe colloquitur:

*Ἡ δ' ἐμὴ οὐδέ περ υἷος ἐνιπλησθῆναι ἄκοιτις*
*Ὀφθαλμοῖσιν ἔασε· πάρος δέ με πέφνε καὶ αὐτόν.*

*Sed mea neque saltem filio saturari uxor*
*Oculis permisit: prius enim me etiam occidit ipsum.*

Catulli porro vestigiis insistere voluit Hieronymus Vida, haud mediocris poeta, in eo Carmine quo parentum suorum obitum lamentatur:

*Non ego vos posthac, non amplius ora videbo*
*Cara. semel saltem ah licuisset utrumque tueri*
*Ante obitus, vestraque oculos saturare figura.*

Longe vero antea Claudianus, poeta maximus, de secundo Consulatu Stilichonis v. 197.

*Nec vaga dilecto satiantur lumina vultu.*

Similiter Lucretius lib. 1. v. 37. dixit, *pascere visus amore:*

*Pascit amore avidos inhians in te, dea, visus.*

Et *oculos* Ovidius Amorum lib. 3. Elegia 2.

*Tu cursus spectas: ego te. spectemus uterque*
*Quod juvat, atque oculos pascat uterque suos.*

Omnium vero simillime Propertius lib. 2. Elegia 12. E. B.

*Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore.*

Ceterum Catullus ipse Carm. 67. v. 83. dixit *saturare amorem:*

*Conjugis ante coacta novi dimittere collum,*
*Quam veniens una atque altera rursus hiems*
*Noctibus in longis avidum saturâsset amorem,*
*Posset ut abrupto vivere conjugio.*

ibid. *Figura* ] Forma, & facie. Propertius Elegia 2. lib. 1.

*Crede mihi, non ulla tua medicina figura est.*

Idem Elegia 18. lib. 3.

*Credis eum jam posse tuæ meminisse figuræ,*
*Vidisti a lecto quem dare vela tuo?*

v. 222. *Fortuna signa secunda* ] Quæ fuissent vela candida.

v. 224. *Canitiem terra a. i. p. fœdans* ] Quod Græci veteres, ac pæne omnes ad orientem populi in luctu solebant. Hunc autem ritum ab Hebræis acceperant, ut ex divinis litteris manifestum est. Laertes ille senex Homericus Odysseæ lib. 24. v. 313. cum Ulixem filium obiisse mortem suspicaretur,

*Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν*
*Χεύατο κακκεφαλῆς πολιῆς, ἀδινὸν στεναχίζων.*



*Am-*

Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus, nostræque incendia mentis,
Carbasus obscurata dicet ferrugine Hibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quæ nostrum genus, ac sedes defendere Erechthei
An-

*Ambabus manibus sapiens pulverem ardentem*
*Fudit in caput sanum, graviter suspirans.*

v. 225. *Infecta* ] Tincta. ab *inficio*, quod est *colore tingo*: inde *infectores*. Porro, ex his opificibus pulcherrimam translationem petivit Cicero lib. 3. de Finibus: *Sed infici jam debet* ( Lucullus puer ) *iis artibus, quas, si dum est tener, combiberit, ad majora veniet paratior*. Lanæ albæ purpuram, vel alios colores *bibere* & *combibere*, iisque *imbui* & *saturari* dicebantur.

ibid. *Vago malo* ] Erranti per mare. Tribuit malo quod est navis totius.

v. 226. *Incendia mentis* ] Æstum & ardorem exulcerati animi. Supra v. 197.

*Cogor inops, ardens, amenti caca furore.*

A Catullo Valerius Flaccus, poeta doctissimus, Argonautic. lib. 7. v. 243. verbis Medeæ Jasonem depereuntis:

*Perpetior dura jamdudum incendia mentis.*

v. 227. *Carbasus obscurata* ] *Carbasus* lini tenuissimi genus est: *carbasum* vero vestis, aut velum ex eo lini genere. Ovidius lib. 11. Metamorph. v. 48.

- - - - *Obscuraque carbasa pullo*
*Naides & Dryades, passosque habuere capillos.*

Propertius Elegia 3. lib. 4. *carbasa lina* dixisse videtur pro *carbasinis*:

*Raptaque odorato carbasa lina duci.*

ibid. *Dicet* ] Pro *indicet*, ἀρχαϊκῶς. Verbum simplex pro composito: quod tamen Lexicographi prætermiserunt. Utitur eo Catullus & Carm. 55. v. 29.

*Quos junctos, Cameri, mihi dicares.*

ut Vossius recte animadvertit.

ibid. *Ferrugine Hibera* ] Πορφύρᾳ μελαίνᾳ, purpura nigricanti: quem colorem Græci ὄρφνινον, φαιόν, κυάνεον, πέλιον, πελλόν, πελιδνὸν seu πελιδνὸν vocaverunt, teste Isaaco Vossio. *minium Hiberum* appellat Propertius Elegia 2. lib. 2. E. B.

*Ut Mæotica nix minio si certet Hibero.*

Quod autem color ferrugineus a ferro nomen traxerit; ( ferrum enim, præcipue novum, quasi cæruleum apparet ) propterea videtur Homerus cælum ipsum σιδήρεον, *ferreum*, vocavisse, nimirum ob colorem cyaneum, quem præfert. Sic enim Odysseæ lib. 15. v. 328.

Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει.
*Quorum contumelia & violentia ad ferreum cælum pervenit.*

ibid. *Hibera* ] Non Hispana quidem, sed ex Hiberia, mediterranea minoris Asiæ regione, quæ ab occasu Colchidem attingit ac regionis Ponti partem: a septemtrione Caucasios montes: ab ortu Albaniam: a meridie Armeniam magnam.

v. 228. *Incola Itoni* ] Itonus, sive Itone, Thessaliæ oppidum fuit, in quo Minervæ templum celeberrimum. Ex hoc oppido Minervæ cultum Athenienses acceperunt: quod Pausanias, & alii scriptores tradunt. Vide Vossii Observationes.

v. 229. *Sedes Erechthei* ] Corruptissimum locum ita sanavit atque restituit, vir de Catulli manibus præclare meritus, Isaacus Vossius: quam emendationem certissimam judico. *Sedes*

Annuit, ut tauri reſpergas ſanguine dextram:
Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret ætas:
Ut ſimul ac noſtros inviſent lumina colles,
Funeſtam antemnæ deponant undique veſtem,
Candidaque intorti ſuſtollant vela rudentes:

Quam-

*des Eréchthei* ſunt Athenæ. Homerus Odyſſeæ lib. 7. v. 80. ita de Minerva:

Ἵκετο δ' ἐς Μαραθῶνα καὶ εὐρυάγυιαν Ἀ-θήνην,
Δῦνε δ' Ἐρεχθῆος πυκινὸν δόμον - - -
*Venit autem ad Marathonem & ſpatioſas plateis Athenas,*
*Ingreſſaque eſt Erechthei bene munitam domum* - - - -

Hunc Erechtheum ( qui alio nomine Erichthonius ) regem Athenarum antiquiſſimum, Vulcani ſemine ex Terra genitum, deinde a Minerva ipſa educatum, Athenienſes fabulabantur; eumque divinis honoribus colebant, & ſacrificiis placabant. Id etiam teſtatur Homerus in Bœotia, ſeu navium enumeratione, v. 53. cujus verba afferre non pigebit:

Οἳ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον,
Δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος, ὅν ποτ' Ἀθήνη
Θρέψε Διὸς θυγάτηρ, τέκε δὲ ζείδωρος Ἄρουρα
Κὰδ δ' ἐν Ἀθήνῃσ' εἷσεν ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ·
Ἔνθα δέ μιν ταύροισι καὶ ἀρνειοῖς ἱλάονται
Κοῦροι Ἀθηναίων, περιτελλομένων ἐνιαυτῶν.
*Qui vero Athenas tenebant, bene ædificatam urbem,*
*Civitatem Erechthei magnanimi, quem olim Minerva*
*Nutrivit Jovis filia, peperitque alma Tellus,*
*Et Athenis collocavit in ſuo divite templo:*
*Et illic eum tauris & agnis placant Athenienſes, ſingulis luſtris. &c.*

Ad quem ſummi poetæ locum videndi Euſtathius, & minor interpres.

v. 232. *Ætas* ] Pro *tempore*. Sic infra v. 237. *ætas proſpera*.

v. 233. *Lumina* ] Oculi tui, o nate.

ibid. *Noſtros colles* ] Montes Atticæ, ſeu colles præcipui, fuerunt Brileſſus, Ægialeus, Icarius, Hymettus, Lycabettus, Pentelicus: teſtibus Plinio atque Strabone.

v. 234. *Funeſtam veſtem* ] Navis velum appellat *veſtem*, quemadmodum ſupra v. 163. lecti ſtragula:

*Purpureaque tuum conſternens veſte cubile.*

*Funeſtam* porro dixit, obſcuram & ferrugineam; qui color lugentibus conveniebat. Fortaſſe autem & vela navium, quibus tributum puerorum & virginum in Cretam ad Minotaurum vehebatur, eo colore infecta erant: & ob id quoque cecinit ſupra Catullus v. 83.

*Funera Cecropiæ ne-funera portarentur.*

v. 235. *Candidaque intorti ſ. v. r.* ] Animadvertit M. Antonius Muretus, in quibuſdam veteribus libris poſt verſum hunc, tantum ſupereſſe ſpatii, quantum uni verſui ſcribendo ſit ſatis: dubitat propterea, ne forte verſus ille, qui tamquam Catulli a Nonio citatur,

*Lucida qua ſplendent ſummi carcheſia mali,*

in hoc forte ſpatio ſit collocandus: quæ conjectura & Gabrielis Faerni olim fuit, teſte Achille Statio.

v. 236.

Quamprimum cernens ut læta gaudia mente
Agnoſcam, quum te reducem ætas proſpera ſiſtet.
Hæc mandata prius conſtanti mente tenentem
Theſea, ceu pulſæ ventorum flamine nubes
Aerium nivei montis, liquere, cacumen.
At pater, ut ſumma proſpectum ex arce petebat,
Anxia in aſſiduos abſumens lumina fletus:
Quum primum inflati conſpexit lintea veli,
Præcipitem ſe ſe ſcopulorum e vertice jecit,
Amiſ-

v. 236. *Gaudia Agnoſcam* ] Cauſſam gaudiorum: videlicet filii ſalutem ac de Minotauro victoriam.

v. 237. *Ætas proſpera* ] Felix hora, felix tempus. Similiter Horatius Ode 16. lib. 2.

*Et mihi forſan, tibi quod negârit,*
*Porriget hora.*

ibid. *Siſtet* ] Statuet. Cicero Epiſt. 17. lib. 10. ad Atticum: *Te vegetum nobis in Græcia ſiſte.*

v. 240. *Aerium montis cacumen* ] Editum, ſublime, ventis agitatum. Virgilius Ecloga 8. v. 59.

*Præceps aerii ſpeculâ de montis in undas*
*Deferar* - - - -

Auctor Ciris v. 301.

*Numquam tam obnixe fugiens Minois amores,*
*Præceps aeriis ſpeculâ de montibus iſſes.*

ibid. *Nivei* ] Nivoſi, nive amicti; cujuſmodi ſolent eſſe montium juga.

ibid. *Liquere* ] Bis hoc repetendum, ut recte monuit Realinus. quemadmodum enim nubes impulſæ ventorum flamine liquere cacumen montis, ita mandata liquere Theſea, i. e. exciderunt animo Theſei. Vel ſubaudiendum eſt, *linquunt.*

v. 241. *Proſpectum ex arce petebat* ] Hoc etiam a Catullo ſumſit Virgilius Æneidos lib. 1. v. 180.

*Æneas ſcopulum interea conſcendit, & omnem*
*Proſpectum late pelago petit* - - -

Prior Pacuvius apud Nonium Marcellum dixit, *Proſpectum aucupare.* quod obſervatum a Ludovico de la Cerda.

ibid. *Ex arce* ] E Cecropia, Athenarum arce. nam ἐντεῦθεν ἡ θάλασσά ἐςι σύνοπτος, auctore Pauſania in Atticis cap. 22. ubi hanc de Theſei patre hiſtoriam paucis commemorat. Arx porro illa ſita erat in collibus aut ſcopulis ἀποτόμοις mari impendentibus, e quibus poſtea Ægeus ſe præcipitem jecit. Nonnumquam colles ipſi dicti ſunt *arces* a veteribus. Maro lib. 2. Georgicon v. 535. de Roma:

*Septemque una ſibi muro circumdedit arces.*

*Juga* vocat Propertius Elegia 9. lib. 3.

*Septem urbs alta jugis, toti quæ præſidet orbi.*

v. 242. *Anxia lumina* ] Κατάχρησις. Mentis anxietatem ad oculos transfert.

v. 243. *Inflati* ] Adoleſcens olim hoc loco legendum ſuſpicabar *infecti*; quod ſententia poſtulat. Conjecturæ hujus meæ prædes & ὁμοψήφους poſtea deprehendi Palladium Fuſcum, Alexandrum Guarinum, & Bernardinum Realinum. Ea porro lectio notatur & in margine Editionis Gryphianæ anni 1542.

v. 244. *Scopulorum e vertice* ] E Sunio videlicet, terræ Atticæ promontorio: quod luculentis verbis teſtatur Pa-

Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte, ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.
Quæ tamen adspectans cedentem mœsta carinam
Multiplices animo volvebat saucia curas.
At parte ex alia florens volitabat Iacchus,

Cum

Papinius Statius Thebaidos lib. 12. v. 624.

*Linquitur Eois longe speculabile proris*
*Sunion, unde vagi casurum in nomina ponti*
*Cressia decepit falso ratis Ægea velo.*

Hunc locum mihi indicavit Realini Commentarius. nemo enim debita laude fraudandus est.

v. 245. *Immiti* ] Acerbo, immaturo, ante diem.

v. 246. *Funesta* ] Funere polluta. Lucretius lib. 6. v. 229.

*Hac ratio quondam morborum, & mortifer æstus*
*Finibus Cecropiis funestos reddidit agros.*

ibid. *Paterna Morte* ] Muretus ( qui propterea vapulat a Vossio ) male interpungit post τὸ *paterna*, & pejus explicat. *Superbus*, inquit, *post Minotaurum interfectum*. Non id sibi vult Catullus, at hoc potius: Theseus, suopte ingenio ferox, ingressus tecta domus, funesta interitu Ægei patris sui. Sic autem dixit *tecta domus*, ut paullo ante *lintea veli*.

v. 249. *Tamen* ] Hae particula interdum scriptores optimi utuntur ad significandum constantem hominem, & in proposito susceptoque consilio permanentem. Cicero Epist. 19. lib. 9. ad Familiares, initio ipso: *Tamen a malitia non discedis*. quod Itali dicimus: *E pure, tuttavia*. Dantes Aligherius ( Purgatorii Cantu 5. )

*E vidile guardar, per maraviglia,*
*Pur me, pur me, e'l lume, ch'era rotto.*

ibid. *Cedentem* ] Pro *discedentem*, aut *longe abscedentem*. Propertius a Catullo Elegia 3. lib. 1.

*Qualis Thesēa jacuit cedente carina*
*Languida desertis Gnosia litoribus.*

v. 250. *Saucia* ] Μεταφορικῶς. Hinc illud Virgilii versu primo lib. 4. Æneid.

*At regina gravi jamdudum saucia cura*
*Vulnus alit venis, & caco carpitur igni.*

v. 251. *At parte ex alia* ] Singulare est quod narrat Lactantius de Baccho lib. 1. Divin. Instit. cap. 10. *Sed invictus*, ait, *ille imperator Indicus maximus, ab amore ac libidine turpissime victus est. Delatus enim Cretam cum semiviro comitatu, nactus est impudicam mulierem in litore: ac fiducia victoria Indica vir esse voluit; ne nimirum mollis videretur: atque illam patris proditricem, fratris interemtricem, ab alio relictam & repudiatam, in conjugium sibi vindicavit, & Liberam fecit: & cum ea pariter ascendit in cælum*. Videtur nihilominus Lactantius Cretam pro Dia Cretensi, quæ L X X. stadiis a Cretæ litore distabat, ponere maluisse: utpote insulam maxime illustrem, ac longe notiorem. quod prudenter monuit Christophorus Cellarius, vir πολυμαθέστατος, ad eum eloquentissimi scriptoris locum.

ibid. *Parte ex alia* ] Quamquam Achilles Statius, & Isaacus Vossius testen-

Cum thiaso Satyrorum, & Nysigenis Silenis,
Te quærens, Ariadna, tuoque incensus amore:
Qui

stentur, in omnibus fere Catulli codicibus MSS. legi, *At pater ex alia*, ut scilicet *parte* subaudiatur: ego tamen id librariorum inscitiæ ac negligentiæ tribuendum pronuntio. Fateor equidem, Dionysium a poetis *patrem* sæpius vocari: verum huic loco appellatio illa, tribus de caussis, minus convenit. Primum, quod poeta noster *Iacchum florentem* dicit, ob ætatis florem scilicet, ut mox ostendam: ætatem porro juvenilem, immo puerilem, patris vocabulum haud satis decet. Deinde non placet duplex ἐπίθετον sine conjunctione, & aliis vocibus interpositis, *pater florens Iacchus*. Postremo, cum satis commode scribere posset Catullus, *parte ex alia*, non video cur *pater* scribere voluerit, quod certe necessarium non erat; ut dure admodum & violenter, τὸ *parte* subaudiri deberet.

ibid. *Florens Iacchus* ] Non propterea quod floribus coronatus esset: verum quod puerili, aut puellari potius facie, integra ætate, immo æterna juventute fingeretur. Auctor Carminis in Priapum Epigram. 36.

*Trahitque Bacchus virginis tener formam.*

*trahit*, nimirum *contrahit*, τὸ παρθενικῆς μετέχει μορφῆς: Italice diceres, *pizzica di fanciulla*. Tibullus pariter Elegia 4. lib. 1.

*Solis aterna est Phœbo, Bacchoque juventas:*

*Nam decet intonsus crinis utrumque deum.*

Idem Elegia 3. lib. 2.

*Et tu Bacche tener, jucunda consitor uva.*

Ovidius præterea lib. 1. Artis. Amat. v. 189.

*Nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuisti*

*Cum timuit thyrsos India victa tuos?*

Et lib. 4. Metamorph. v. 17. ad eumdem:

- - - - *Tibi enim inconsumta juventas:*

*Tu puer aternus, tu formosissimus alto*

*Conspiceris cælo: tibi, cum sine cornibus adstas,*

*Virgineum caput est* - - - - -

Consule adnotationes nostras ad Carmen 17. v. 14. ubi de juventutis flore plura non contemnenda in medium attulimus.

ibid. *Volitabat* ] Supra in Galliambo v. 25.

*Ubi suevit illa diva volitare vaga cohors.*

*volitare* ibi est citissime discurrere. Ita Cicero, *volitare in foro*. Virgilius lib. 11. Æneidos v. 476.

- - *Volat igneus aquore Tarchon.*

ibid. *Iacchus* ] Unum e Bacchi cognominibus, ἀπὸ τοῦ ἰαχχεῖν, a clamando; vel ἀπὸ τῆς ἰαχῆς, a clamore. Bacchantes enim clamabant, atque ululabant.

v. 252. *Thiaso* ] Thiasus, proprie bacchantium chorus est.

ibid. *Nysigenis Silenis* ] Ita vocatos fuisse constat primores Nysæ, Indicæ urbis, a Baccho expugnatæ: hi enim, deleta patria, Bacchum secuti sunt. Ceterum Silenus Bacchi nutricius erat, & Satyrorum κορυφαῖος. Fuit etiam qui Papposilenus vocaretur, tamquam Sileni ipsius πάππος, nempe avus; cui barbâ os occlusum, vultumque maxime horribilem tribuebant, feræ quam homini similiorem. Satyri porro & Sileni, personæ fuerunt Satyrici dramatis apud veteres Græcos.

v. 254.

Qui tum alacres paſſim lymphata mente furebant,
Evoe bacchantes evoe, capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuſpide thyrſos;
Pars e divolſo raptabant membra juvenco;
Pars ſe ſe tortis ſerpentibus incingebant;
Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis,

Or-

v. 254. *Alacres* ] Hilares, vegeti: unde vox Italica *allegro* derivata videtur.

ibid. *Lymphata mente* ] Mota, & perturbata, cujuſmodi fere ebriorum eſt. Horatius Ode 37. lib. 1. de Cleopatræ ſuperbia inſaniæ proxima:

*Mentemque lymphatam Mareotico*
*Redegit in veros timores*
*Cæſar - - -*

v. 255. *Evoe bacchantes evoe, c. i.* ] Sic interpungendum exiſtimo, ut vox bacchantium iteretur. Virgilius pariter Ecloga 6. v. 44.

*- - - Ut litus, Hyla Hyla, omne ſonaret.*

v. 256. *Tecta q. cuſpide thyrſos* ] Haſtas pampinis circum velatas.

v. 257. *E divolſo r. membra juvenco* ] Mulieres Bacchi ſacris operatæ, volucres, feras, & præcipue vitulos manibus diſcerpebant, eorumque carnes crudas comedebant; propterea ὠμοβόροι & ὠμοφάγοι dictæ. Furoris hujuſmodi, præter alios auctores, meminit Ovidius lib. 11. Metamorph. v. 20. ubi de Orphei cæde:

*Ac primum attonitas etiamnum voce canentis*
*Innumeras volucres, anguesque, agmenque ferarum*
*Mænades Orphéi titulum rapuere theatri:*
*Inde cruentatis vertuntur in Orphea dextris.*

& infra v. 37.

*Quæ poſtquam rapuere feræ, cornuque minaces*
*Divellere boves: ad vatis fata recurrunt.*

Valde placet Scaligeri lectio, *raptabant*: quam Voſſianæ, *jactabant*, præponendam cenſeo.

v. 258. *Tortis ſerpentibus incingebant* ] Bacchæ ſerpentes tractabant ſine ullo timore, verum innoxios; quibus & caput coronabant, & corpus medium, tamquam zona, cingebant. De capite, Horatius Ode 19. lib. 2. ad Bacchum:

*Tu ſeparatis uvidus in jugis*
*Nodo coerces viperino*
*Biſtonidum ſine fraude crines.*

*ſine fraude*, i. e. ſine ullo damno & noxa. Poſſet etiam hic locus noſtri poetæ accipi de ſerpentum ſpoliis, e quibus flagella fiebant: aut de ipſis flagellis & ſeuticis, quæ ſerpentum ſpeciem quamdam præferrent, ac graviter ſibilarent, dum torquerentur, deinde explicata valide excuterentur: quod nunc rhedarii faciunt. Plura de his Voſſius, e reconditis veterum theſauris depromta.

v. 259. *Obſcura c. c. orgia ciſtis* ] In ſacris Liberi patris occulta quædam & myſtica, tum frivola & pudenda circumferri ſolebant, eaque vel ciſtis incluſa (unde mulieres ciſtophoræ, ſeu κιστοφόροι) vel etiam, nonnullis feſtis diebus, palam expoſita. In his erant dei crepundia, poma, nuces pineæ, ſpeculum, vannus, & phallus: quorum meminere Euſebius lib. 11. de Præparatione Evangelica capite 5. Herodotus in Euterpe, Diodorus Siculus lib. 5. Bibliothecæ, Plutarchus non uno in libello, Lucianus ἐν τῷ

 ἐπὶ

Orgia quæ fruſtra cupiunt audire profani.
Plangebant aliæ proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.
Multi raucifonos efflebant cornua bombos,
Barbaraque horribili ſtridebat tibia cantu.
Talibus amplifice veſtis decorata figuris
Polvinar complexa ſuo velabat amictu.

Quæ

περὶ τῆς Συρίης θεοῦ, D. Auguſtinus lib. 7. de Civitate Dei cap. 21. & alii ſcriptores, quos affert Realinus in Commentario ad hoc poema. Porro ciſtas adhibitas ad myſteria quoque Cereris operienda, nemo paullo eruditior ignorat. quod ſic Ovidius attigit lib. 2. Artis Amat. v. 609.

*Condita ſi non ſunt Veneris myſteria ciſtis,*
*Nec cava veſanis ictibus æra ſonant:*
*Attamen inter nos medio verſantur in uſu:*
*Sed ſic, inter nos ut latuiſſe velint.*

ibid. *Orgia* ] Nomen commune ſacrorum omnium apud Græcos, quod tamen κατ' ἐξοχὴν de Bacchi myſteriis præcipue uſurpatum eſt.

v. 260. *Profani* ] Non initiati, quibus turpiſſimi ritus ceremonias revelare, nefas omnino fuit. *Profanis* opponuntur ἐπόπται, ſcilicet *Inſpectores*, & ſecretorum omnium participes.

v. 261. *Proceris palmis* ] Sublatis, & extentis manibus; quales hujuſmodi tympaniſtrias in antiquis marmoribus effictas adhuc videre eſt. Martialis pariter lib. 7. Epigr. 20. *longam dextram* dixit pro *porrecta*, & *demiſſa*:

*Colligere longa turpe nec putat dextra*
*Analecta, quicquid & canes reliquerunt.*

v. 262. *Tereti ære* ] Miror, Laurentium Pignorium, hominem antiquitatis periſſimum, in egregio opere de Servis, hunc verſum Catulli de cymbalis accipere; cum poeta noſter crotalum ſignificare voluerit. Cymbala enim concava erant & patentia, inſtar profundiorum paropſidum, nec iccirco teretia vocari poterant. Deinde ingenti crepitu reſonabant, ut aliquando mugitum ipſum tympanorum obruerent; quod manifeſte indicat alicubi Papinius Statius, a Jano Douza F. citatus, his verbis:

*- - - - Tum plurima buxus,*
*Æraque taurinos ſonitu vincentia pulſus.*

Hic vero Catullus *tenues tinnitus* memorat. Crotalum contra videtur plerumque fuiſſe bacillum teres, ex ære, in orbem affabre ductum, quod *granis quibuſdam interpoſitis*, dum concuteretur, *pro quantitate & ſpecie metalli varios ederet ſonos*; ut ſcribit Joannes Sariſberienſis apud eumdem Pignorium: qui etiam crotalorum varias figuras oculis legentium exhiberi curavit.

v. 263. *Raucifonos efflebant cornua bombos* ] Ita quidem legit Voſſius, ut ſententia ſit: Flebilem auribuſque injucundum cornibus ſonum edebant. quæ tamen lectio, neſcio quomodo, mihi non arridet. Tamdiu tamen cenſeo retinendam, quamdiu melior alia & certior alicunde non emerſerit. Alii legunt:

*Multi raucifonis efflabant cornua bombis.*

hypallage, pro *efflabant bombos cornibus*.

v. 264. *Barbara tibia* ] A Phrygibus inventa, qui Græcis barbari.

v. 265. *Amplifice* ] Magnifice, ut regiæ domus, & ipſius domini ampli-

Quæ postquam cupide spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis cœpit decedere divis.
Ac quali flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas
Aurora exoriente vagi sub lumina Solis:

Quæ

plitudinem decebat. In Editione Grævii legitur *amplifica*, sed τυποθετῶν errore, cum id sententia omnino aspernetur.

ibid. *Vestis* ] Stragula nempe, qua lectus genialis instratus erat.

v. 268. *Expleta est* ] Contra Dido Virgiliana Æneidos lib. 1. v. 713.

*Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo.*

ibid. *Decedere divis* ] Diis advenientibus locum dare, domum vacuam relinquere. Horatius Epist. 2. lib. 2. v. 213.

*Vivere si recte nescis, decede peritis.*
*Lusisti satis, edisti satis atque bibisti:*
*Tempus abire tibi est* - - - -

quod Passeratius animadvertit.

v. 269. *Ac quali* ] Egregia comparatio, sumta ex lib. 4. Iliados Homericæ, ut superiores interpretes olim animadverterunt. Homeri porro & Catulli vestigia feliciter secutus est Ludovicus Areostus divini poematis libro 24. strophe 9. quam integram huc afferre non pigebit:

*Qual venir suol nel salso lito l' onda,*
*Mossa dall' austro, ch' a principio scherza;*
*Che maggior della prima è la seconda,*
*E con più forza poi segue la terza:*
*Ed ogni volta più l' umore abbonda,*
*E nell' arena più stende la sferza:*
*Tal contra Orlando l' empia turba cresce,*
*Che giù da balze scende, e di valli esce.*

ibid. *Flatu matutino* ] Ii qui navigandi scientiam pluribus periculis adeundis, longo usu, assiduaque meditatione consecuti sunt, manifesto deprehenderunt, ventos marinos, tribus ante meridiem horis plerumque consurgere. Initio autem molliter admodum, &, ut ita loquar, pedetentim ad litus accedunt. Æquor paullatim longe inhorrescit, eoque fluctu hic illic incipit agitari, qui vix conspici & notari possit: dum tractus maris interea tempestatis exordio & litorum finibus circumscriptus, æquabili nitore politam speculi superficiem quodammodo imitatur. Postquam vero ad litus vis ventorum pervenit, magis, magisque increbrescit, & usque ad meridiem insignes processus efficit: deinde summam vehementiam adepta, in ea tribus fere pomeridianis horis consistit. Tum rursum languescere incipit, & per gradus remitti, donec ad vesperam pristina tranquillitas exsistat, quæ ad crastini diei exordium permanere solita est.

v. 270. *Horrificans* ] E tranquillo atque immoto crispum aliquantum atque undosum efficiens. Horror ille maris a Græcis vocatur φρίξ: Italice diceres *riprezzo*. *Inhorrescere* autem pro *exasperari* dixerunt veteres; quod & pilis tribuitur.

ibid. *Zephyrus* ] Catullus hoc loco Zephyrum pro Euro usurpavit, qui ab oriente flat, vel certe pro vento quolibet. nam ceteroqui Zephyrus horis matutinis flare non solet, sed tantum Sole ad occidentem declinante, cum ab ea mundi plaga moveatur.

ibid. *Proclivas* ] Ἀντὶ τῦ *proclives*.

Quæ tarde primum clementi flamine pulsæ
Procedunt, leni & resonant plangore cachinni:
Post vento crescente magis magis increbrescunt,
Pur-

ἀρχαϊκῶς. Ita Lucretius lib. 6. v. 728.

*Et proclivus item fiat minus impetus undis.*

Eodem pacto dixerunt veteres *acclivis* & *acclivus*. Porro *unda procliva* sunt aquæ cumuli, aut fluctus, quos e planitie maris excitat ventus.

v. 272. *Clementi flamine* ] Leni & blando spiritu, non vehementi atque immoderato. Transfert ad rem anima carentem id quod hominum, præsertim vero principum & magistratuum, proprium est. Valerius Flaccus a Catullo non abit Argonautic. lib. 6. v. 747.

*Ille super socias elementi turbine gentes*
*Erigitur - - - -*

Neque Claudianus de 3. Cons. Honorii v. 165.

*- - Veneris clementes advolat auras.*

Par Sallustii locutio Belli Jugurthini cap. 25. *Sed is rumor clemens erat*. Nam rumorem inter & ventum similitudo aliqua est. Idem usus adverbii *clementer*. Plautus Epidico A. 2 Sc. 2. v. 21. *Clementer requiesce*. & Mercatore A. 5. Sc. 2. v. 111. EUT. *Sequere sis*. CH. *sequor*. ETU. *clementer quæso: calces deteris*. Eleganter Silius Italicus lib. 1. v. 273.

*Haud procul Herculei tollunt se litore muri*
*Clementer crescente jugo - - -*

Denique Seneca Nat. Quæst. lib. 6. cap. 30. *Non desiit enim assidue tremere Campania, clementius quidem, sed ingenti damno, quia pressa & quassa quatiebat.*

v. 273. *Plangore cachinni* ] M. Antonius Muretus aliquid humani passus videtur cum hunc locum ita explicavit: *Cachinnos vocat undas maris, quæ paullatim diffunduntur in longum. ita enim os quoque ridentium hominum diffundi atque extendi solet*. Sane, pace hominis doctissimi, τὸ *cachinni* vel est casus patrius numeri singularis, ut nimirum *plangor cachinni* sit strepitus cachinnum, seu risum lasciviorem imitatus: vel est rectus numeri multitudinis, ut sint *cachinni resonantes plangore*. Alterutro autem modo acceptum, significat hoc loco certum quemdam undarum fragorem, cachinni similem; quem Æschylus in Prometheo vincto, *ποντίων κυμάτων ἀνήριθμον γέλασμα*, *marinorum fluctuum innumerum risum* appellare non dubitavit; ut jam alii animadverterunt, quicquid Scaliger contradicat. Huc pertinet illud nostri poetæ Carm. 31.

*Gaudete, vosque Lydiæ lacus undæ:*
*Ridete quicquid est domi cachinnorum.*

Catullum, seu potius Æschylum, imitatus est Benedictus Lampridius Cremonensis, admirabilis poeta, in Ode quadam Pindarica de laudibus Leonici Thomæi, quæ adhuc inedita in bibliotheca nostra servatur, strophe 15.

*Seu remigio innumerum maris cachinnum*
*Excipis bacchante vento - - - -*

v. 274. *Magis magis* ] Virgilius 4. Georgic. v. 311.

*Miscentur, tenuemque magis magis aera carpunt.*

quod attulit Passeratius.

ibid. *Increbrescunt* ] Italice: *Più e più s' ingrossano, si fanno spesse*. Seneca Epist. 53. *Nondum erat tempestas, sed jam inclinatio maris, ac subinde crebrior fluctus*. Contra, in sacris litteris Job cap. 14. v. 11. legere est: Χρόνῳ γὰρ σπανίζεται θάλασσα. *Tempore enim rarescit mare*.

v. 275.

Purpureaque procul nantes a luce refulgent:
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta
Ad se quisque vago passim pede discedebant.

Quo-

v. 275. *Purpurea a luce* ] Aurora enim rubicunda. Vel significat, maris undas flante præcipue Zephyro purpurascere. M. Tullius in Lucullo: *Mare illud quidem nunc Favonio nascente purpureum videtur.* *A* vel *ab* interdum caussam efficientem notat. Idem Cicero pro Milone: *Mars communis, qui sæpius spoliantem jam & exsultantem evertit, & perculit ab abjecto.*

ibid. *Nantes* ] Fluctuantes, instabiles. Manilius lib. 1. Astronomic. v. 155.

*Tertia sors undas stravit, fluctusque natantes.*

quod prior Ennius dixerat, Servio teste ad illud Virgilii Æneid. lib. 6. v. 705.

*Lethæumque, domos placidas qui prænatat, amnem.*

i. e. præterfluit. Tibullus Carm. 1. lib. 4. v. 44. de lance inæquali pondere onerata:

*Instabilis natat alterno depressior orbe.*

Horatius pariter Sat. 7. lib. 1. v. 6.

*Pars hominum vitiis gaudet constanter, & urget*
*Propositum: pars multa natat, modo recta capessens,*
*Interdum pravis obnoxia - - - - -*

v. 276. *Sic tum* ] Frequentiam salutatorum e divitum domibus confertim exeuntium Virgilius, perinde ac poeta Veronensis, *unda* nomine significavit Georgic. lib. 2. v. 461.

*Si non ingentem foribus domus alta superbis*
*Mane salutantum totis vomit ædibus undam.*

ibid. *Vestibuli regia tecta* ] Hypallage, pro *vestibulum regiorum tectorum.*

v. 277. *Ad se quisque* ] Domum quisque suam, οἴκαδε. Cicero Epistola 4. lib. 16. *Ad Curium vero, suavissimum hominem & summi officii summaque humanitatis, multa scripsi: in his etiam, ut, si tibi videretur, te ad se transferret.* Homerus hoc ita expressit Odysseæ lib. 1. v. 274.

Μνηστῆρας μὲν ἐπὶ σφέτερα σκίδνασθαι ἄνωχθι.
*Procos quidem ad sua* quemque *discedere jube.*

Joannes vero Apostolus in Evangelio cap. 19. v. 27. Ἔλαβεν αὐτὴν (τὴν τοῦ κυρίου μητέρα) ὁ μαθητὴς εἰς τὰ ἴδια, *Accepit eam* (Domini matrem) *discipulus in sua.* Et cap. 20. v. 10. Ἀπῆλθον οὖν πάλιν πρὸς ἑαυτοὺς οἱ μαθηταί. *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos.* Eodem pacto Latini scriptores dixerunt *ab se*, nempe *ab domo sua*. Plautus Menæchmis Ac. 1. Sc. 2. v. 66. *Ab se ecca exit*. i. e. οἴκοθεν. Nec non *apud se*, pro *domi suæ*. Cicero lib. 1. de Oratore: *M. vero Scaurus, quem non longe ruri apud se esse audio, vir regendæ reipublicæ scientissimus.* &c. Idem Epist. 8. lib. 1. ad Atticum: *Apud te est ut volumus.* nempe, domi tuæ Romæ. Cum quo concinit vulgatus interpres libri Exodi cap. 16. v. 29. *Maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo.*

ibid. *Discedebant* ] Corn. Nepos Themistocle: *Cum plurimi hortarentur, ut domos suas quisque discederent.* quod Achilles Statius vidit. Fortasse autem hoc versu Catulli legendum sit, *A se quisque discedebant*, non *Ad se*: i. e. diversi domos quisque suas repetebant, cum alter ab altero abscederet: quemadmodum locutus est Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 1. *Saturnalibus*, inquit, *apud Vettium Prætextatum Ro-*

*ma-*

Quorum post abitum, princeps e vertice Pelii
Advenit Chiron portans silvestria dona. 279
Nam quotcumque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fœcunda Favonii,

Hos

*manæ nobilitatis proceres, doctique alii congregantur; & tempus sollemniter feriatum deputant colloquio liberali, convivia quoque sibi mutua comitate præbentes, nec discedentes a se nisi ad nocturnam quietem.*

v. 278. *Quorum post abitum* ] A mortalium discessu accedunt semidei gratulabundi: deinde Juppiter cum cœtu deorum universo.

ibid. *Princeps* ] Primus omnium. Ita Lucretius lib. 1. v. 94. de Iphigenia:

*Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat,*
*Quod patrio princeps donârat nomine regem.*

i. e. quod Agamemnoni regi prima filiorum exstitisset. Manilius lib. 1. Astronomicon v. 33.

*Tu princeps, auctorque sacri, Cyllenie, tanti.*

Eodem pacto, qui primas in republica obtinebant, & reliquis civibus vel morum innocentia, vel dignitate, vel gloria, vel opibus præcellebant, principes appellari cœpti.

ibid. *E vertice Pelii* ] Celeberrimi Thessaliæ montis, qui Sepiadi promontorio imminebat, ubi has nuptias celebratas fuisse, veteres μυθολόγοι litteris tradidere.

v. 279. *Advenit Chiron* ] Hunc, Thessalum equitem fuisse constat, e Centaurorum genere, prudentiæ ac doctrinæ laude clarissimum, qui rationem astrorum, musicam artem, stirpiumque omnium e terra natarum facultates egregie calluerit, medicinam ipse fecerit, aliosque docuerit; eam præcipue partem quæ vulneribus ac luxaturis manu medetur, propterea χειρουργίαν vocatam. Hic procul ab hominum frequentia, montium & silvarum solitudine delectabatur, & specum incolebat, ab eo σπήλαιον χειρώνιον nominatam; unde Catullus ipsum ad Pelei domum advenisse canit. Porro Catullo suffragatur Valerius Flaccus lib. 1. Argonauticon v. 255.

*Jamque aderat summo decurrens vertice Chiron,*
*Clamantemque patri procul ostentabat Achillem.*

Ejus enim disciplina imbutus fuit Achilles. Hunc nonnulli scriptores Thetidis patrem fuisse perhibent.

v. 280. *Quotcumque ferunt campi &c.* ] Flores omne genus attulit Chiron, campestres puta, montanos, ποταμογείτονας, seu ripis fluminum gaudentes.

ibid. *Ferunt campi* ] Tibullus Elegia 3. lib. 1.

*Fert casiam non culta seges. - -*

v. 281. *Propter fl. undas* ] I. e. prope, secundum. Virgilius Ecloga 8. v. 87. de juvenca:

*Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulva.*

v. 282. *Aura fœcunda Favonii* ] Venti hujus vim genitalem, in eliciendis præsertim floribus, venuste admodum describit Claudianus, poeta suo sæculo major, lib. 2. de Raptu Proserpinæ v. 88.

*--- Ille novo madidantes nectare pennas*
*Concutit, & glebas fœcundo rore maritat:*

*Qua-*

Hos indiſtinctis plexos tulit ipſe corollis,
Queis permulſa domus jucundo riſit odore.
Confeſtim Peneos adeſt. viridantia Tempe,
Tempe, quæ ſilvæ cingunt ſuperimpendentes,

Xynia-

*Quaque volat, vernus ſequitur rubor. omnis in herbas*
*Turget humus, medioque patent convexa ſereno:*
*Sanguineo ſplendore roſas, vaccinia nigro*
*Induit, & dulci violas ferrugine pingit.*

v. 283. *Indiſtinctis corollis* ] Acervatim, & nullo ordine contextis. Carolus Paſchalius jure ſuſpicatur, corollas, quas Græci vocant στεφανίσκους, coronas fuiſſe non exquiſite pararas, verum ſubito ac temere conſutas, ex floribus tempeſtivis ac facilioribus. Dantes Aligherius ( Purgatorii Cantu 7. ) ubi de florum varietate, vim Catulliani verbi expreſſit; quamquam veriſimile ſit, eum de Catullo ne cogitâſſe quidem, cujus carmina iis temporibus in occulto latebant:

*Non avea pur natura ivi dipinto,*
*Ma di ſoavità di mille odori*
*Vi facea un incognito indiſtinto.*

ibid. *Plexos* ] Græci dicerent ἄνθη πεπλεγμένα. Nam coronæ in orbem flectebantur & implicabantur. Lucretius lib. 5. v. 1398.

*Tum caput, atque humeros plexis redimire coronis,*
*Floribus, & foliis laſcivia læta monebat.*

*Corollæ plectilis* mentio fit apud Plautum Bacchid. A. 1. Sc. 2. Hinc στεφανοπλόκοι, *coronarii*, ſeu *coronarum artifices*; in quibus olim eminuit Glycera Sicyonia. Id teſtatur Plinius Nat. Hiſt. lib. 35. cap. 11. his verbis: *Amavit in juventa* (Pauſias pictor e Sicyone) *Glyceram municipem ſuam, inventricem coronarum, certandoque imitatione ejus, ad numeroſiſſimam florum varietatem perduxit artem illam. Poſtremo pinxit illam ſedentem cum corona, qua e nobiliſſimis ejus tabula appellata eſt Stephaneplocos, ab aliis Stephanopolis, quoniam Glycera venditando coronas ſuſtentaverat paupertatem.*

v. 284. *Permulſa* ] Delinita, a *permulceo*. Italice, *addolcita*.

ibid. *Riſit domus* ] Καγχάζεις. Lucretius lib. 2. v. 27.

*Nec domus argento fulget, auroque renidet.*

Ac prior Homerus Hymno in Apollinem v. 118. μείδησε δὲ γαῖ' ὑπένερθε. *Subriſit autem terra ſubtus*. De hoc tranſlationum genere ita Plinius Panegyr. cap. 50. *Muta quidem illa* ( tecta ) *& anima carentia: ſentire tamen & lætari videntur, quod niteant, quod frequententur*. Ceterum hæc μεταφορά, qua riſum Catullus odoratis ædibus tribuit, longius petita videtur quam Lucretii modo memorata, vel illa Horatii Ode 11. lib. 4. *Ridet argento domus*; quæ ſcilicet ab auri argentique ſplendore ductæ ſunt.

v. 285. *Confeſtim Peneos adeſt* ] Poſt hoc ἡμιστίχιον Voſſius interpungit: quæ autem ſequuntur deinceps ( locum ab interpretibus mire vexatum, & ex corrupto corruptiorem effectum ) ita conſtituit ut nos exhibemus. Non tamen fidejuſſor cuiquam fuerim, eum veram lectionem aut ſententiam acu tetigiſſe. Hac ratione porro conſtruenda ſunt: *Adeſt Peneus, & Doris, linquens Tempe viridantia, qua ſilva ſuperimpendentes cingunt, Xyniaſi Bæbiados, celebranda earum choreis*. quid vero ſingula ſibi velint, mox lectores intelligent.

v. 286. *Superimpendentes* ] Conſitæ nimirum in verticibus montium circumſtantium.

v. 287.

Xyniasi & linquens Doris celebranda choreis
Bœbiados. Namque ille tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine lætanti platano, fletaque sorore
Flammati Phaetontis, & aeria cupressu:

Hæc

v. 187. *Xyniasi* ] Ξυνιάσι, pro *Xyniadibus*, Græcus dativus numeri multitudinis. Sunt autem Xyniades, auctore Isaaco Vossio, Nymphæ paludis Bœbiados, cui proximum erat Xynias oppidum, a poetis non semel memoratum.

ibid. *Doris* ] Uxor Nerei, mater Thetidis & reliquarum Nereidum. Ita legerat olim Antonius Parthenius, cujus apud Vossium hoc loco ἰδίως λόγος.

ibid. *Celebranda choreis* ] Nymphas enim saltatrices & choreis vacantes inducunt poetæ. Horatius Ode 4. lib. 1.

*Jam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna,*
*Junctaque Nymphis Gratiæ decentes*
*Alterno terram quatiunt pede* - - - -

v. 288. *Bœbiados* ] Hæc palus etiam *Bœbe*, & *Bœbeis* dicta fuit. Propertius lib. 2. Elegia 2.

*Mercurio & sanctis fertur Bœbeidos undis*
*Virgineum Brimo composuisse latus.*

ibid. *Radicitus* ] Evulsas *ab radice*. quemadmodum loquitur Virgilius de Silvano lib. 1. Georgic. v. 20.

*Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum.*

Id olim animadverterat Achilles Statius.

v. 289. *Proceras laurus* ] Recta in sublime productas. Ita *proceras fraxinos* dixit Horatius.

v. 290. *Lætanti platano* ] Genio & Baccho, diis lætitiæ datoribus, consecrata. Hanc arborem in deliciis habebant veteres ob ramorum copiam, & foliorum luxuriem, quæ ingentem umbram æstivo tempore subministrat: vinoque interdum irrigabant, ut lætior lætiorque in dies proveniret. Horatius Ode 15. lib. 2. - - - *Platanusque cælebs Evincet ulmos*. cælibem dixit, quod vitibus non maritaretur perinde ac ulmus. Ita legit Vossius pro *nutanti*, quod aliæ præferunt editiones. Nutare enim proprium est arborum in conum desinentium, cujusmodi sunt pinus atque cupressus.

ibid *Fletaque sorore Fl. Phaet.* ] Non *lenta*; ut eidem Vossio placet. *lætanti* enim & *lenta*, si proxime collocentur, κακοφωνίαν efficiunt, deinde *fleta* concinne opponitur *lætanti*, & versui comparat varietatem. *Fleta soror flammati Phaetontis* est alnus, sive populus, in quam arborem, tradunt fabulæ, Heliadas, Solis & Clymenes filias, dum fratrem Phaetontem, fulmine ab Jove ictum, ad Eridanum lugerent, miseratione deorum fuisse conversas. *Fleta* hoc loco est *fletu* seu *lacrimis madens*: nam ex populi cortice electrum fluere, lacrimarum instar, sibi persuaserunt poetæ. Sic Lucretius lib. 2. v. 631. vocat *Curetas sanguine fletos*, i. e. perfusos. Vide Oberti Gifanii Conlectanea ad eum poetam, verbo *flere* & *fleti*. Auctor Ciris v. 434.

*Coralio fragili, ac electro lacrimoso.*

v. 291. *Flammati* ] Κεραυνόβλητος, fulguriti. Capaneum, unum e septem ducibus ad Thebas, impietate insignem, propterea igne cælesti ab Jove percussum, ita describit Statius Papi-

Hæc circum ſedes late contexta locavit,
Veſtibulum ut molli velatum fronde vireret.
Poſt hunc conſequitur ſolerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris veſtigia pœnæ:
Quam quondam ſilici reſtrictus membra catena
Per-

pinius Thebaidos lib. 10. a v. 927.

*Talia dicentem toto Jove fulmen adactum*
*Corripuit. prima fugere in nubila criſta,*
*Et clypei niger umbo cadit. jamque omnia lucent*
*Membra viri. cedunt acies, & terror utrimque*
*Quo ruat, ardenti feriat quas corpore turmas.*
*Intra ſe ſtridere facem, galeamque, comaſque*
*Quærit, & urentem thoraca repellere dextra*
*Conatus, ferri cinerem ſub pectore tractat.*

*Flammare* pro *inflammare* dixit Silius Italicus lib. 10. Punicorum v. 136.

- - *Namque una hic armiger ira*
*Flammabat Martem* - - -

Et Claudianus de Nuptiis Honorii & Mariæ v. 17.

- - *Virgo flammabat Achillem.*

ibid. *Aeria cupreſſu* ] Quod hæc arbor a terra ſublimis in aerem exſurgat. Virgilius pariter Ecloga 1. dixit *aeria ulmo*. Aliis placet legere *aeria cypariſſo*. Vox Græca pro Latina. cupreſſus enim Græcis κυπάρισσος.

v. 292. *Hæc* ] Doris nimirum, ſi Voſſium audimus.

ibid. *Late contexta* ] Quas arbores Peneus attulerat, eas Doris ad ædium veſtibulum ſtatuit, & in quincuncem diſpoſuit.

v. 293. *Velatum* ] Inumbratum, vel amictum. Propertius Elegia 3. lib. 4.

*Flore ſacella tego, verbenis compita velo.*

v. 294. *Solerti corde Prometheus* ] Attingit poeta atque interpretatur nominis ἐτυμολογίαν. Προμηθεὺς enim a Græcis appellatur vir ſagax, & conſilio præcellens, ὃς προμηθεῖται, qui futura longe proſpicit, eaque, antequam adveniant, ratione moderari poteſt. Contra Ἐπιμηθεὺς ab iiſdem vocatur, ὃς ἐπιμηθεῖται, qui ſero ſapere incipit, rei bene gerendæ occaſione jam præterlapſa, vel negotio demum confecto.

v. 295. *Extenuata g. v. veſtigia pœnæ* ] Livorem, vibices, πελιδνώματα in brachiis & cruribus, veterum argumenta vinculorum, ſed jam evaneſcentia, & quæ vix oculis notari poſſent. Propertius lib. 4. Elegia 7. de Andromeda:

*Hæc ſua maternis queritur livere catenis*
*Brachia, nec meritas frigida ſaxa manus.*

Solverat autem Juppiter Prometheum e Caucaſi rupibus, quod hic eum a Thetidis concubitu deterruiſſet, objecto metu filii, qui olim patri & regnum & libertatem vi erepturus eſſet. qua de re ſuperius locuti ſumus. Vide Luciani Dialogos.

v. 296. *Silici reſtrictus m. catena* ] Æſchylus ipſo initio Tragœdiæ graviſſimæ, quam Προμηθέα δεσμώτην inſcripſit, hujus catenæ meminit, verbis Roboris ad Vulcanum:

Ἥφαιστε σοὶ δὲ χρὴ μέλειν ἐπιστολὰς
Ἅς σοι πατὴρ ἐφεῖτο, τόνδε πρὸς πέτραις
Ὑψηλοκρήμνοις τὸν λεωργὸν ὀχμάσαι
Ἀδαμαντίναις πέδησιν, ἐν ἀρρήκτοις πέδαις.

 Tibi

Persolvit, pendens e verticibus præruptis.
Inde pater divûm sancta cum conjuge, natisque
Advenit cælo, te solum, Phœbe, relinquens,
Unigenamque simul cultricem montibus Idri.

Pe-

*Tibi vero, Vulcane, curæ esse debent mandata*
*Quæ tibi pater commisit, ut ad petras*
*Præruptas istum confidentem constringas*
*Vinculis adamantinis inter saxa firmissima.*

Meminit etiam Hesiodus Theogoniæ v. 521.

Δῆσε δ' ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα ποικιλόβουλον,
Δεσμοῖς ἀργαλέοισι μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας.

*Ligavit vero firmissimis compedibus Promethea versutum*
*Vinculis duris medium in columnam affigens.*

Non placet opinio Scipionis Gentilis J. C. qui lib. 1. Parergon cap. 37. putat, dictum a Catullo *silici catena*, eadem loquendi figura qua Plautus dixit *rete jaculum*, Varro *lanienam tabernam*, Virgilius *ferro bipenni*. Profecto enim non silex ipsa vinculum fuit quo Prometheus constringeretur; sed petræ affixum compedibus, manicis, & clavis ferreis narrant paullo ante memorati Græci poetæ. Ceterum, Promethei vincula ex qua materia fuerint, non liquere, tradit Philostratus in Vita Apollonii Tyanensis lib. 2. cap. 3. οὐ ῥᾳδίως ξυμβάλλειν τὴν ὕλην. ubi & alia memorabilia recenset ad hanc fabulam pertinentia.

v. 297. *Pendens e verticibus præruptis* ] Ita Æschylus nobis Prometheum describit ὀρθοστάδην, ἄϋπνον, οὐ κάμπτοντα γόνυ. i. e. *pervigilem, stantem erectum, non flectentem genu*. *Vertices prærupti* Caucasi montis eidem poetæ sunt πέτραι ὑψηλόκρημνοι.

v. 298. *Sancta cum conjuge* ] Junone. Tibullus Carm. 13. lib. 4.

*Hæc tibi sancta tuæ Junonis numina juro,*
*Quæ sola ante alios est mihi magna deos.*

ibid. *Natisque* ] Versus hypermeter, sive unâ syllabâ redundans, quæ absorbetur a prima vocali versus proxime insequentis.

v. 299. *Te solum, Phœbe, relinquens &c.* ] Ait, Apollinem & Dianam sororem ejus nuptiali convivio non interfuisse. Apollo enim pro Trojanis olim acriter pugnaturus, & Achillem Thetidis filium sagitta interfecturus erat. Coluthus vero Thebanus in poemate de Raptu Helenæ, narrat, horum quoque deorum præsentia Nuptias Pelei ac Thetidos honestatas fuisse. Colutho suffragatur Homeri auctoritas, qui libro 24. Iliados v. 62. addit, Apollinem in eo convivio cithara cecinisse. Quem sequitur Claudianus Præfat. in Carmen de Nuptiis Honorii & Mariæ. Religio autem mihi fuerit, hoc loco dissimulare sententiam Theodori Marcilii, qui contendit, absentiam Apollinis & Dianæ ab his Nuptiarum solennibus, rem esse a Physica ratione altius repetendam: Catullum enim significare voluisse, omnes illos dies quibus hæ Nuptiæ celebratæ fuerunt, pluvios exstitisse, ac sine Sole, noctesque pariter ἀσελήνους, illunes nimirum & nubilas. quod copiose Staphylus narret lib. 3. rerum Thessalicarum apud Scholiasten Apollonii Rhodii in librum 4. Argonauticon.

v. 300. *Unigenamque* ] Dianam uno partu cum Apolline a Latona editam,

συγ-

Pelea nam tecum pariter soror aspernata est,
Nec Thetidis tædas voluit celebrare jugales.
Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus,

Lar-

συγγενῆ. Sunt qui Minervam intelligant; icciirco *Unigenam* dictam, quod ab uno progenita sit, nempe a solo Jovis capite, sine ope matris. Verum hæc explicatio minus probanda videtur.

ibid. *Cultricem* ] Habitatricem. Reliquit ergo Juppiter Apollinem & Dianam, qui servarent atque incolerent montes Idri. Supra Carm. 60.

*Collis o Heliconii*
*Cultor, Uraniæ genus.*

ibid. *Montibus Idri* ] Idrus mons est Cariæ, in quo plura oppida Phœbo & sorori ejus consecrata. Vossius ita legit. *hydri* malebat Scaliger, Parnassum intelligens, ubi Python ille serpens, sive hydrus, ab Apolline sagittis confixus.

v. 301. *Aspernata est* ] Fastidivit, conspectu suo non est dignata. Varro de Re Rustica lib. 2. cap. 4. *Porci qui nati hieme, fiunt exiles propter frigora, & quod matres aspernantur propter exiguitatem lactis.* & paullo post: *Scrofa in sua quaque hara suos alat oportet porcos, quo alienos aspernantur.* Sallustius Catilina cap. 3. *Quæ tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium; tamen inter tanta vitia, imbecilla ætas ambitione corrupta tenebatur.* Cicero pro M. Cœlio: *Si quem forte inveneritis qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum.* Livius lib. 1. Hist. *Romani veteres peregrinum regem aspernabantur.* Suetonius in Julio cap. 53. *Circa victum C. Oppius adeo indifferentem docet, ut quondam ab hospite conditum oleum, pro viridi appositum, aspernantibus ceteris, solum etiam largius dicat appetisse.* Ulpianus tandem J. C. Lege 1. D. *Quod quisque juris*, &c. *Quis enim*, ait, *aspernabitur idem jus sibi dici quod ipse aliis dixit, vel dici effecit?*

v. 302. *Jugales* ] Conjugales. Eodem pacto *vincla jugalia*.

v. 303. *Niveos fl. sedibus artus* ] Heroicis temporibus ad mensam convivæ sedebant, priusquam scilicet luxuria deteriorum ætatum lectos tricliniares protulisset: quod ex Homero præcipue atque Athenæo lib. 1. manifestum est. Hunc morem Cretes summa religione servaverunt. Cicero pro L. Muræna: *Neque tamen*, inquit, *Lacedæmonii auctores istius vitæ atque orationis, qui quotidianis epulis in robore accumbunt: neque vero Cretes, quorum nemo gustavit umquam cubans, melius quam Romani homines, qui tempora voluptatis laborisque dispertiunt, respublicas suas retinuerunt.* Et apud veteres Romanos feminæ. Testis Valerius Maximus lib. 2. Memorabilium cap. 1. his verbis: *Feminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant: quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit; nam Jovis epulo, ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitantur.* Præterea frugi homines & antiqua severitate. Plutarchus in Catone: Λουσάμενος δὲ μετὰ πολλῶν ἐδείπνει καθήμενος, οὐ γὰρ κατεκλίθη πλὴν καθεύδων. *Lotus inter frequentes cœnavit sedens, neque enim nisi somni caussa decubuit.* Necnon principum liberi, etiam libertate deleta, & jam luxu omnia vastante. Cornelius Tacitus Annalium lib. 13. cap. 16. *Mos habebatur, principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci in aspectu propinquorum, propria & parciore mensa.* Ad quem locum videsis Adnotationes Justi Lipsii. Ejusdem porro consuetudi-

 nis

Largæ multiplici constructæ sunt dape mensæ.
Quum interea infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique quercus,
Candida purpurea quam Tyro incinxerat ora.

Am-

nis retinentes fuerunt præcipue Cynici Philosophi, deliciarum omnium contemtores. Id facile colligas ex hoc Plauti versiculo Srichi Ac. 5. Sc. 4.

*Potius in subsellio Cynice accipiemur, quam in lectis.*

Duces præterea atque imperatores antiquis moribus. De Tiberio ita Vellejus lib. 2. Hist. Rom. c. 114. *Solus semper equo vectus est, solus cum iis quos invitaverat, majore parte æstivarum expeditionum cœnavit sedens: non sequentibus disciplinam, quatenus exemplo non nocebatur, ignovit. Propria* etiam *observatio* fuit *in Herculis sacris epulari sedentes. & Cornelius Balbus* ἐξηγητικῶν *libro octavodecimo ait, apud aram maximam observatum ne lectisternium* fieret. Verba sunt Macrobii Saturnal. lib. 3. cap. 6. Nonnulla ad hunc morem pertinentia vide apud Casparem Barthium Adversar. lib. 2. cap. 4. & apud Everardum Feithium Antiquit. Homericarum lib. 3. cap. 5.

v. 304. *Largæ* ] Opiparæ, sumtuosæ. Vossius *Large* mavult, adverbium scilicet. quam lectionem Passeratius non prorsus improbat.

ibid. *Constructæ mensæ* ] Hinc servi *structores*, τραπεζοποιοί. Dicebant pariter *struere penum*. Virgilius 1. Æneid. v. 703.

*Quinquaginta intus famulæ: quibus ordine longo*
*Cura penum struere, & flammis adolere penates.*

Plautus vero Menæch. Ac. 1. Sc. 1. v. 25.

*Cereales cœnas dat, ita mensas exstruit:*
*Tantas struices concinnat patinarias;*
*Standum est in lecto, si quid de summo petas.*

v. 305. *Infirmo quatientes corpora motu* ] Vel propter anilitatem; vel, quod caput & reliquum corpus jactare, vaticinantium erat.

v. 306. *Veridicos cantus* ] Horatius in Carmine sæculari:

*Vosque veraces cecinisse Parcæ*
*Quod semel dictum est - - -*

v. 307. *His* ] Subaudi *erat*. *complectens erat*, pro *complectebatur*: quemadmodum infra v. 317. *fuerant exstantia*, pro *exstiterant*.

ibid. *Quercus* ] Ita legitur in vetustis Catulli codicibus. Hoc autem accipiendum est, ut recte monet Vossius, vel de veste picta, cui species quercus intexta fuerit, vel de vera quercu, seu quernis ramis, Parcarum corpora velanribus, qui ora purpurea ita incingerentur, quo pacto coronæ limbis, fimbriis, & lemniscis nonnumquam ornari solebant. Quercus arbor fuit fatidica, ut ex oraculo Jovis Dodonæo præcipue manifestum est: idcirco Parcis deabus fatidicis apprime conveniens. Porro, si quis legere malit *vestis candida*, poterit hanc lectionem tueri Plaronis auctoritate, qui lib. de Republ. 10. non ira procul a fine Parcas inducit λευχειμονούσας, *albatas* videlicer, seu *veste candida incinctas*.

v. 308. *Purpurea ora* ] Limbo purpureo, περιποδίῳ, fasciola nempe vel instita assuta, quæ talos operiret. Hujusmodi vestem περιπόρφυρον Græci, Latini *prætextam* appellavere.

ibid. *Tyro* ] Nympha pulcherrima,

Sal-

Ambrosio niveæ residebant vertice vittæ,

Æter-

Salmonei filia, Neptuni amores, lanificii ac textrini scientissima, quæ cum diis inferis familiariter versabatur, si Vossium audimus.

v. 309. *Ambrosio vertice* ] Plures editiones præferunt *At roseo:* vel *Et roseo;* Interpretes autem coronas e rosis intelligunt, quibus Parcarum capita redimita essent. Ego vero suspicor, pro vera & germana lectione ab imperitis librariis notham esse procusam. Scripserat enim poeta, si quid video:

*Ambrosio niveæ residebant vertice vittæ.*

quod non intelligentes ἄμυσοι homines, vocem in duas diviserunt, litteris nonnullis commutatis. Ἀμβρόσιος Græcis est *immortalis*. Porro, cur capillis Parcarum hoc ἐπίθετον Catullus tribuerit, caussam lectores accipiunto. Putabant veteres, nescio qua superstitione imbuti, maximum vitæ robur in capillis consistere: propterea morituri cujuslibet comam Proserpinæ forficibus attonderi credebant: quod a Marone non est prætermissum Æneid. lib. 4. extremo, ubi de morte Didonis:

*Sic ait, & dextra crinem secat: omnis & una*
*Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.*

Immo in sacrificiis non ante jugulo victimæ culter admovebatur, quam ex ejus capite setæ aliquot præciderentur. Jure igitur optimo comæ deorum & Parcarum *ambrosia* vocantur, utpote quæ Mortis novaculæ obnoxiæ non essent. Fortasse huc pertinent illa ejusdem Virgilii Æneid. 1. v. 403.

*Ambrosiaque coma divinum vertice odorem*
*Spiravere - - - - -*

Quamquam ibi (ne quid dissimulem) *odor ambrosia* commode intelligi possit, cum plerisque interpretibus. Profecto Silius Italicus lib. 15. v. 24. *comas ambrosias* tribuit *Voluptati* deæ, nempe *ambrosiam olentes:*

*Altera Achamenium spirabat vertice odorem*
*Ambrosias diffusa comas - - - - -*

Idem lib. 12. v. 243. de morte pueri delicati a Pediano occisi:

*Solvitur omne decus leto, niveosque per artus*
*It Stygius color, & forma populatur honores.*
*Ambrosia cecidere coma, violataque cervix*
*Marmoreum in jugulum collo labente recumbit.*

Veteres poetas imitatur Joannes Baptista Pius in Paralipomenis ad Argonautica Valerii Flacci lib. 10. v. 166.

*Ambrosia per dorsa coma, pluvioque madentes*
*Nectare, divinum fundebant vertice odorem.*

loquitur de Nymphis. Si qui tamen hanc meam conjecturam probare dubitaverint, iis auctor sim ut potius legant:

*Et rosea niveo residebant vertice vitta;*

cujus lectionis meminit Alexander Guarinus in Commentario; quam *Et roseo nivea:* vel quod cani essent Parcarum capilli, vel quod alba farina conspersi. Hoc testatur Homerus Hymno in Mercurium a v. 549. ubi Parcas describit virgines, velocibus alis instructas, & κατὰ κρατὸς πεπαλαγμένας ἄλφιτα λευκά.

ibid. *Residebant* ] Quiescebant, apte collocatæ. Propertius de lecti stragulis Elegia 3. lib. 4.

*Tum queror in toto non sidere pallia lecto.*

Id imitatus Ovidius Amorum lib. 1. Elegia 2.

Esse

Æternumque manus carpebant rite laborem.
Læva colum molli lana retinebat amictum,
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis: tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atque ita decerpens æquabat semper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morsa labellis,
Quæ prius in leni fuerant exstantia filo.

Ante

*Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur*
*Strata, nec in lecto pallia nostra sedent?*

v. 310. *Æternum laborem* ] Quod essent fati ministræ: caussarum enim fatalium series æterna, ex decreto Stoicorum.

ibid. *Rite* ] Suum singulæ munus ordine ac strenue obeuntes.

v. 311. *Læva colum retinebat* ] Pro *tenebat*. Sic Propertius Eleg. 22. lib. 2.

*Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,*
*Pars etiam visa est vincla parare mihi.*

ibid. *Colum* ] Cur colus & fusus Parcis tribuuntur? quod scilicet lana colo circumvoluta futurum vitæ tempus: quæ autem deducta jam & neta fuso imponitur, præteritum: ipsa vero lanæ migratio in fusum, filorumque formatio, præsens horæ momentum significet. D. Augustinus in Sermone de Prover. cap. 31. seu de Muliere Forti, hoc ita pulchre explicavit: *Adtendite in lanificio duo instrumenta ista, colum & fusum. In colo lana involuta est, quæ filo ducenda & nenda transeat in fusum. Quod in colo est involutum est futurum: quod in fuso collectum est, jam præteritum est.*

v. 312. *Supinis digitis* ] Nentium ὑποτύπωσις omnibus numeris absoluta, picturisque omnibus anteferenda.

v. 313. *Prono in pollice* ] Ad fusum torquendum etiam digito medio vel indice opus est: mentio tamen fit solius pollicis, utpote validioris. Tibullus Elegia 1. lib. 2.

*Fusus & apposito pollice versat opus.*

v. 314. *Libratum* ] Lectio non contemnenda: sed *vibratum* magis placeret; nempe *contortum, convolutum*. Virgilius 12. Æneid. v. 99.

- - - - *Fœdare in pulvere crines*
*Vibratos calido ferro* - - - - -

ibid. *Tereti turbine* ] Hoc loco *turbo* est citata & rapida fusi conversio. Albinovanus ad Liviam v. 164.

*Hanc lucem celeri turbine Parca neat.*

v. 316. *Lanea morsa* ] Lanæ villi morsu decerpti. Hæc vox in quibusdam Lexicis linguæ Latinæ perperam omissa est. Etrusci appellant *lische*. Laurentius Medices (*nella Canzone a Ballo* 70.) loquens de anicula nente, Catullum sic imitatus videtur:

*Sempre al labbro ha qualche lisca*
*Del filar, che la morseggia.*

Ut vero *morsa* a *mordendo*, ita *mansa* a *mandendo* dixerunt veteres. Cicero lib. 2. de Oratore: *Qui ..... omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inserant.*

ibid. *Aridulis* ] Humore ac saliva defectis, quod nentibus mulierculis accidere solet: vel exsuccis propter nimiam senectutem.

v. 317. *Fuerant exstantia* ] Pro *exstiterant*. ἑλληνισμός. *Exstare* hic est *eminere*.

v. 318.

Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hæ tum clarisona pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt carmine fata,

Car-

v. 318. *Candentis lanæ* ] Sunt oves candidæ, sunt & atræ. Candidus lanæ color, cum sermo est de Parcarum lanificio, felicem hominis vitam significat, ut hoc loco: ater contra, miseram & calamitosam, vel saltem extremum vitæ tempus, ac morti proximum. Horatius Ode 3. lib. 2.

*Dum res, & ætas, & sororum*
*Fila trium patiuntur atra.*

Hieronymus Amaltheus, nobilis poeta, Parcas inducit nentes vellus aureum Phrixei arietis, ut prosperam nullisque ærumnis exercitam Pio IV. Pont. Max. ætatem sufficiant, his versibus elegantissimis:

*Divinæ quæ pensa trahunt fatalia Parcæ,*
*Cælituum monitus & grandia jussa sequutæ,*
*Fulgentes secuere jubas, secuere beatum*
*Vellus, & aurato viduârunt tegmine dorsum.*
*Nec mora. nobilibus pensis, ac divite lana*
*Centum involventes operosis orbibus orbes*
*Fatalem cinxere colum; digitisque micantem*
*Dum cedignunt in fila globum, nent longius ævum,*
*Nent fortunatos invicti Principis annos,*
*Et seram numerosa trahunt per lustra senectam.*

ibid. *Mollia vellera* ] Ex lanis Italicis (ut id obiter moneam) apud veteres mollissimæ habebantur Euganeæ. Juvenalis Sat. 8. v. 15.

*- - Euganea quantumvis mollior agna.*

Altinates nihilominus, quæ in Euganeis censeri poterant, Appulis & Parmensibus postponit Martialis. Epigr. 155. lib. 14.

*Velleribus primis Appulia, Parma secundis*
*Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.*

De lanarum pretio ac nobilitate videndus Plinius lib. 8. Nat. Hist. cap. 48.

v. 319. *Virgati calathisci* ] Parvi calathi, ex virgis versicoloribus contexti.

ibid. *Custodibant* ] Pro *custodiebant*. Sic infra Carm. 67. v. 85.

*Quod scibant Parcæ non longo tempore abesse.*

pro *sciebant*. & Carm. 83.

*Audibant eadem hæc leniter & leviter.*

pro *audiebant*. *Custodire* autem *continere* interdum, *tueri*, aut *observare* significat. Horatius Ode 26. lib. 3.

*Barbiton hic paries habebit,*
*Lævum marinæ qui Veneris latus*
*Custodit - - - - -*

Ovidius lib. 11. Metamorph. v. 747.

*- - Ventos custodit, & arcet*
*Æolus egressu.*

Idem lib. 3. Tristium Elegia ultima, *muci custodia* dixit.

v. 320. *Pellentes* ] Frustra quidam legunt *pectentes*. Neque auscultandum Vossio, qui ait *pellere & pulsare lanam rectum esse*. At non hoc sibi vult poeta: ipse enim fungitur vicem interpretis cum toties inculcat:

*Currite ducentes subtemina, currite fusi.*

Hortantur scilicet Parcæ fusos ad currendum. nonnumquam enim *pellere* seu *impellere*, *hortari* est. Plautus Aulularia: *Deus mihi impulsor fuit*, i. e. *hortator*.

v. 321. *Divino carmine* ] Ita omnino legendum censeo. Vossius malebat *diviso*,

Carmine, perfidiæ quod post nulla arguet ætas.
O decus eximium magnis virtutibus augens,
Emathiæ tutamen opis, clarissime nato:
Accipe, quod læta tibi pandunt luce sorores
Veridicum oraclum, serves quæ fata sequuntur.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Adveniet tibi jam portans optata maritis

Hespe-

*viso*, i. e. ἀμοιβαίῳ, quod nimirum Parcæ singulæ alternis canerent. Sed hoc nescio quomodo frigidum mihi videtur, & puto visum iri omnibus qui aures habent. *Divinum carmen* hîc est quod futura vaticinatur. Ita *divini* vocabantur conjectores & vates. unde Italicum *indovini*. Horatius Sat. 6. lib. 1. v. 113.

*Fallacem circum, vespertinumque pererro*

*Sæpe forum: adsisto divinis - - - -*

v. 322. *Perfidiæ arguet* ] Accusabit mendacii: hoc enim fides violatur. Sic *timoris arguere* dixit Virgilius Æneid. lib. 11. v. 383. *Meque timoris Argue tu Drance*.

v. 323. *O decus e. m. virtutibus augens* ] O Peleu, qui a majoribus acceptam nobilitatem tuis ipse magnis virtutibus cumulare atque adaugere non desinis. Tibullus Panegyrico ad Messalam v. 31.

*Sed generis priscos contendis vincere honores,*

*Quam tibi majores, majus decus ipse futuris.*

v. 324. *Emathiæ tutamen opis* ] Tutela terræ Thessaliæ, quæ olim Emathia vocata fuit. Hæc est lectio veterum MSS. teste Vossio; qui contendit, *opis* usurpatum pro *terra*, ut Ceres puta pro frumento, Bacchus pro vino ponatur. Alii malunt: *Emathiæ columen Peleu*. sed fidei codicum adversantur.

ibid. *Clarissime nato* ] Loquuntur Parcæ de Achille in lucem olim proditurо, tamquam de genito, nato, adultoque, more scilicet vatum atque oraculorum, quibus futura præsentia sunt. Achilles porro bellica laude celeberrimus gloriam Pelei patris amplificavit, cum ab eo diceretur Pelides; a quo nomine princeps poetarum Homerus divinam Iliadem auspicatus est. Janus Douza pater cap. 5. Præcidan. legere mavult, *Clarissime natu*, nempe, illustri nobilitate.

v. 325. *Pandunt* ] Ἀποκαλύπτουσι, revelant, patefaciunt. Ita Valerius Flaccus Argonautic. lib. 4. v. 559. verbis Phinei ad Jasonem:

*Ipse etiam, qui me prohibet sua pandere terris*

*Sæcula, te propter fandi mihi Juppiter auctor*.

Et lib. 1. v. 740.

*Talia libato pandebat sanguine Cretheus*.

v. 326. *Serves quæ fata sequuntur* ] Observes, inquiunt, deinceps futuros casus, eosque conferas cum vaticinio, ut ipsius veritatem rerum eventu cognoscere possis.

v. 327. *Subtemina* ] *Subtemen* filum est quod stamini radio textoris inseritur. Persius & Plinius *tramam* appellant. Ut autem hic *ducere subtemina*, ita apud Terentium Heautontim. Ac. 2. Sc. 3. v. 51. *nere subtemen*. *Anus subtemen nebat*.

v. 328. *Optata maritis* ] Quæ novi mariti vehementer cupere solent; cum

eâ

Hesperus: adveniet fausto cum sidere conjux,
Quæ tibi flexanimo mentem perfundat amore,
Languidulosque paret tecum conjungere somnos,
Lævia substernens robusto brachia collo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
[ Nulla domus tales umquam contexit amores:
Nullus amor tali conjunxit fœdere amantes,
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi. ]
Nascetur vobis expers terroris Achilles,

Ho-

eâ nimirum esse quam vitæ ac thalami sociam sibi delegerunt.

v. 330. *Flexanimo* ] Animum quantumvis ferum emolliente ac flectente. Verbum est Pacuvianum. ita enim Pacuvius Hermiona:

*- - - O flexanima,*
*Atque omnium regina rerum oratio.*

v. 331. *Paret t. conjungere somnos* ] Ita locutus Ovidius lib. 1. Artis v. 177.

*Ecce parat Cæsar domito, quod defuit, orbi.*
*Addere. - - - -*

ibid. *Tecum conjungere somnos* ] Rem Veneris honestate verborum obnubit. Propertius pariter Elegia 14. lib. 2. E. B.

*Cum sene non puduit talem dormire puellam.*

Illud vero Terentii suavissimum Andria Ac. 2. Sc. 5. v. 17.

*Ego illam vidi virginem: forma bona*
*Memini videre. quo æquior sum Pamphilo,*
*Si se illam in somnis, quam illum, amplecti velit.*

v. 332. *Lævia brachia* ] Glabra, mollia, teretia, succiplena.

v. 334. [ *Nulla domus* ] Hic versus cum tribus proxime sequentibus deest in plerisque Catulli codicibus. Propterea Scaliger totum τετράστιχον, tamquam spurium & assutum, delere non dubitat. Vossius uncis includit, neque tamen censet, idoneam ullam afferri posse rationem, quamobrem expungi debeat, cum & in optimis quibusdam libris appareat, neque Catulli elegantia sit alienum. Exstat sane in duobus libris vetustis Bibliothecæ Saibantium Veronæ, num. 324. & 329. Ego litem sub judice relinquendam existimo.

ibid. *Contexit* ] Tecto operuit, a *contego*. Propertius lib. 2. Elegia 20. E. B. de se & Cynthia peregrinantibus:

*Unum litus erit sopitis, unaque tecto*
*Arbor: & ex una sæpe bibemus aqua.*

Qui simul vitam degunt, a Latinis uno verbo *contubernales*, aut *convictores* appellantur; res ipsa *contubernium*, vel *convictus*. Græci vocant ὁμοκάπνους, ὁμοσίτους, ὁμοστέγους, ὁμοτραπέζους: rem, ὁμοσκηνίαν, συσκηνίαν. Horatius porro ad idem significandum hac circumlocutione usus est Carm. lib. 3. Ode 2.

*- - Vetabo qui Cereris sacrum*
*Vulgârit arcana, sub iisdem*
*Sit trabibus - - - -*

v. 337. *Adest* ] Pro *est*, vel pro *advenit*. Contra Horatius Epodo 4.

*Lupis & agnis quanta sortito obtigit,*
*Tecum mihi discordia est.*

v. 338. *Expers terroris* ] Fortissimus,

S s &

Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
Qui persæpe vago victor certamine cursus
Flammea prævortet celeris vestigia cervæ.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Non illi quisquam bello se conferet heros,
Quum Phrygii Teucro manabunt sanguine rivi,
Troicaque obsidens longinquo mœnia bello

Per-

& nulla umquam periculi facie territus.

v. 339. *H. h. tergo, f. f. pectore notus* ] Quæ præcipua strenui militis laus. Ovidius lib. 1. Artis Amat. v. 209. ἐμφατικώτερον:

*Tergaque Parthorum, Romanaque pectora dicam.*

v. 340. *Victor certamine cursus* ] Pedum velocitatem Homerus Achilli tribuit sæpenumero, tamquam proprium & singulare ornamentum. Ne vero aliquis existimare posset, Achillem pedibus confidentem, in prœliis fuga sibi consuluisse, Catullus iccirco prius dixit, eum hostibus pectore notum fore, non tergo. currebat enim Achilles ut hostes assequeretur, non ut evaderet aut declinaret: ut fugaret, non ut fugeret.

ibid. *Certamine cursus* ] Ita Propertius Eleg. 11. lib. 3.

*Et certamen habent leti, quæ viva sequatur*
*Conjugium* - - - -

v. 341. *Flammea* ] Nihil enim flamma concitatius. Ovidius lib. 2. Metamorph. v. 392.

- - *Ignipedum vires expertus equorum.*

Memorabile ac rarum est quod Vossius hoc loco animadvertit, nimirum celerrimas illas & instabiles imagines, quas radii Solis ac Lunæ, a tremula & inæquali aquæ superficie repercussi, efficiunt in parietibus ædiumque tabulatis longe dissitis, ab Herone Mathematico ἐν γεωμετρικοῖς, & a Damiano Larissæo in Opticis, Ἀχιλλεῖς, *Achilles*, veteribus Græcis dictas.

ibid. *Prævortet* ] Antecedet, currendo superabit. Achilles ipse hoc de se testatur apud Statium Papinium lib. 2. Achilleidos v. 395.

*Vix mihi bissenos annorum torserat orbes*
*Vita rudis, volucres cum jam prævertere cervos,*
*Et Lapithas cogebar equo, præmissaque cursu*
*Tela sequi.* - - - - -

v. 343. *Quisquam heros* ] Frustra enim Cygnus, ac Telephus, atque Hector ipse Trojanorum fortissimus, cum Achille pedem contulerunt. Diomedes etiam, Ajaces duo, Telamonius & Oilei, Sthenelus, Meriones, Menelaus, Ulixes, Græcorum duces, denique rex regum Agamemnon Achilli de militari virtute concesserunt.

v. 344. *Teucri m. f. rivi* ] Aliis *muri* magis placeret; quod & mihi valde probatur.

v. 345. *Longinquo bello* ] Diuturno scilicet, πολυχρονίῳ, utpote in decimum annum protracto. *Longinquus*, de loco sæpius dicitur, nonnumquam tamen & de tempore usurpatur. Notissimum illud Virgilii: *longinqua ævi vetustas.* Livius pariter lib. 5. Hist. in Oratione Appii Claudii *longinquum morbum* dixit, ac *tædium longinqua op-*

pu-

Perjuri Pelopis vastabit tertius heres.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Illius egregias virtutes, claraque facta

Sæ-

*pugnationis*. Et inferius eodem libro: *Quibus delectus, quibus tributum, quibus diutina militia, longinquitasque belli sit gravis*.

v. 346. *Perjuri Pelopis* ] Hyginus interpres esto Fabula 84. *Oenomaus*, inquit, *Martis & Asteropes* * *filiæ filius, habuit in conjugio Evareten Acrisii filiam, ex qua procreavit Hippodamiam virginem eximiæ formæ, quam nulli ideo dabat in conjugium, quod sibi responsum fuit, a genero mortem cavere. Itaque cum complures eam peterent in conjugium, simultatem constituit, se ei daturum qui secum quadrigis certâsset, victorque exisset, ( quod is equos Aquilone velociores habuit ) victus autem interficeretur. Multis interfectis, novissime Pelops Tantali filius cum venisset, & capita humana super valvas fixa vidisset, eorum qui Hippodamiam in uxorem petierant, pœnitere cœpit, regis crudelitatem timens. Itaque Myrtilo aurigæ ejus persuasit, regnumque ei dimidium pollicetur, si se adjuvaret: fide data, Myrtilus currum junxit, & clavos in rotas non conjecit: itaque equis incitatis currum defectum Oenomai equi distraxerunt. Pelops cum Hippodamia & Myrtilo domum victor cum rediret, cogitavit sibi opprobrium futurum, & Myrtilo fidem præstare noluit, eumque in mare præcipitavit: a quo Myrtoum pelagus est appellatum*.

ibid. *Tertius heres* ] Nam Pelops moriens Atreo filio regnum reliquit, Atreus Thyestæ fratri, Thyestes Agamemnoni fratris filio. Sunt autem qui tradant, Agamemnonem Plisthenis Pelopidæ, qui morte præoccupatus regnare non potuit, filium fuisse, non Atrei ipsius. Profecto Aulus Sabinus Epistola Ulixis ad Penelopen v. 107. Menelaum Agamemnonis fratrem vocat *Plistheniden*:

*Felix Plisthenide, quacumque in sorte fuisti,*
*Conjuge cum cara non gravis illa fuit.*

Agamemnon porro Trojam fraude expugnavit.

v. 348. *Illius egregias virtutes* ] Puta robur corporis, & animi magnitudinem. Ceteroqui enim, Achillem veris & philosopho dignis virtutibus omnino caruisse, satis indicant illa Horatii Arte Poetica v. 120.

*- - - Honoratum si forte reponis Achillem:*
*Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,*
*Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.*

Hæc debemus Passeratio. Enimvero, quæ virtus esse possit in his publicis latronibus, qui vel ut novam dominationem sibi comparent, vel, pretio & mercede conducti, aliorum ambitioni flagitiose inservientes, cum perditissimorum satellitum comitatu, hominum cædibus, oppidorum direptionibus, virginum atque ingenuorum stupris dant operam: sacra, profana pessumdant: orbem terrarum incendiis, luctu, terrore permiscent? Hos nimirum, humani generis malo natos, iræque Dei ministros, qui sensum omnem humanitatis amiserunt, poetæ, oratores, historici miris laudibus ornare, atque in cælum tollere consueverunt, hos heroas appellare, ac tamquam virtutum omnium exempla posteritati proponere: eorum ita sceleribus se se obligantes, aliosque ad similia patranda spe immortalitatis excitantes. Esse aliquam militarem virtutem, numquam satis laudatam, præmiis uberrimis omniumque sæculorum memoria dignissimam, libenter concedimus:

 ve-

Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres:
Quum in cinerem canos ſolvent a vertice crines,
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Namque velut denſas proſternens meſſor ariſtas,
Sole ſub ardenti flaventia demetit arva:
Trojugenûm infeſto proſternet corpora ferro.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.

Te-

verum ea non e ſtultorum opinionibus, at ex veritate potius cauſſæque honeſtate æſtimanda eſt. Fortis enim jure habendus, qui nulla ſanguinis ſiti aut auri cupiditate inflammatus, pro cariſſimis pignoribus, patria, republica, vera demum religione vulnera excipere, vitamque impendere paratus eſt.

v. 350. *Cum in cinerem c. ſ. a v. crines* ] Hæc eſt meliorum codicum lectio, quam etiam Aldus Manutius in editione ſua priore anni 1502. excudi curavit. *Solvere crines in cinerem*, eſt ſolutos & demiſſos crines infuſo cinere fœdare; quod ſolebant in luctu. Vel *in cinerem* dixit poeta, pro *cineri:* nam conſanguinei capillum ſibi ſecabant in funeribus, & ſuper carorum ſepulcris, tamquam ipſis conſecratum, reponebant. Exempla in veterum libris obvia.

v. 351. *Putrida pectora* ] Senectute quaſi marcentia. Ovidius lib. 1. Amorum Elegia 13. ad Auroram de Tithono:

*Cur ego plectar amans? ſi vir tibi marcet ab annis;*
*Nam me nupſiſti conciliante ſeni?*

Propertius Elegia 5. lib. 4. de anicula moriente:

*Atque animam in segetes putrem exſpirare paternas.*

ibid. *Variabunt* ] Planctu livida efficient, maculis & vibicibus turpabunt. Eodem pacto uvæ cum primum incipiunt matureſcere, *variare* ac *livere* dicuntur. Propertius Elegia 2. lib. 4.

*Prima mihi variat liventibus uva racemis.*

v. 353. *Velut d. proſternens m. a.* ] Ab Homero ſumta comparatio, cujus illa ſunt Iliados lib. 11. v. 67.

Οἱ δ᾽ ὥς᾽ ἀμητῆρες ἐναντίοι ἀλλήλοισιν
Ὄγμον ἐλαύνωσιν ἀνδρὸς μάκαρος κατ᾽ ἄρουραν
Πυρῶν ἢ κριθῶν, τὰ δὲ δράγματα ταρφέα πίπτει·
Ὥς Τρῶες καὶ Ἀχαιοὶ ἐπ᾽ ἀλλήλοισι θορόντες
Δῄουν· - - - - - -

*Hi vero, perinde ac meſſores hinc illinc*
*Segetes metendo tranſeunt viri locupletis per arvum,*
*Tritici vel hordei, manipuli vero crebri cadunt:*
*Sic Trojani & Achivi in ſe invicem inſilientes*
*Cædebant* - - - - - -

Homerus enim, teſte Macrobio lib. 5. Saturnal. cap. 15. *Quotiens multam necem ſignificare vult, meſſem hominum factam eſſe dicit.* Non diſſimilem imaginem adhibuit Jeremias propheta cap. 9. v. 22. *Et cadet*, inquit, *morticinum hominis......... quaſi fœnum poſt tergum metentis, & non eſt qui colligat.*

ibid. *Meſſor* ] Veteres libri habent *cultor*, i. e. agricola. Sed *meſſor* Homerico ἀμητῆρες accuratius reſpondet.

v. 357.

Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quæ passim rapido diffunditur Hellesponto:
Quojus iter cæsis angustans corporum acervis,
Alta tepefaciet permista flumina cæde.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Denique testis erit morti quoque reddita præda:
Quum teres excelso coacervatum aggere bustum
Excipiet niveos perculsæ virginis artus.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Nam simul ac fessis dederit Fors copiam Achivis
Ur-

v. 357. *Unda Scamandri* ] Qui fluvius, Homero teste, lingua deorum Xanthus appellabatur. Scamander enim durioris est pronuntiationis.

v. 358. *Passim* ] Quasi *sparsim*; longe lateque.

ibid. *Rapido Hellesponto* ] Angusto enim Hellesponti alveo, inter Seston & Abydon, aqua maris inclusa velocius fluit. Hujus rei caussas noverunt qui physica disciplina sunt initiati.

v. 359. *Quojus iter c. a. c. a.* ] Scamander ipse de hac re conqueritur apud Homerum Iliados lib. 21. a v. 218. ubi se στεινόμενον νεκύεσσι appellat: *angustatum cadaveribus*.

ibid. *Angustans* ] Lucanus lib. 5. Pharsaliæ v. 232.

*Qua maris angustat fauces saxosa Carystos.*

Attulit Passeratius. Idem poeta lib. 4. v. 327.

*Aeris alternos angustat pulmo meatus.*

ibid. *Corporum acervis* ] Ipso vocalium delectu, & ἐκθλίψει τοῦ *m*, struem cadaverum ob oculos ponit.

v. 360. *Tepefaciet* ] Hujus vocis alteram syllabam licenter poeta producit, cum ea sit brevis naturâ. Ita Carm. 88.

*Omentum in flamma pingue liquefaciens.*

v. 362. *Morti* ] Subaudi *ejus*. nempe mortuo Achilli. Nomen autem reticuit κατ' εὐφημισμόν.

ibid. *Reddita* ] Desponsa enim fuerat Achilli Polyxena: immo heros clarissimus ejus conjugii spe inductus, a Paride per dolum interfectus est.

v. 363. *Teres bustum* ] Locus in quo cadaver combusserant, exstincto rogo *bustum* vocabatur. *teres* autem *bustum* dicit, propter cippum aut columnam tumulo Achillis impositam, quæ longe conspici poterat.

ibid. *Excelso aggere* ] Nempe in vertice Sigæi promontorii. ὀρθὸν χῶμ' Ἀχιλλέως πυρᾶς, *excelsum aggerem Achillei sepulcri* vocat Euripides in Hecuba v. 221.

v. 364. *Niveos artus* ]. Candidos, formosos, ut solent puellarum. Ita superius v. 303.

*Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus.*

ibid. *Perculsæ* ] Ictæ, percussæ, mactatæ, more victimarum.

v. 366. *Fessis Achivis* ] Diuturna oppugnatione fatigatis. *Fractos bello* vocat Virgilius lib. 2. Æneidos v. 13.

ibid. *Dederit copiam solvere* ] Potestatem solvendi seu diruendi fecerit.

ibid. *Fors* ] Fortuna, rerum humanarum domina, quæ fraudi Græcorum se propitiam præbuit: non virtus imperatoris, aut militum. Ennius apud
Ci-

Urbis Dardaniæ Neptunia solvere vincla:
Alta Polyxenia madefient cæde sepulcra.
Quæ, velut ancipiti succumbens victima ferro,
Projiciet truncum submisso poplite corpus.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Quare agite optatos animi conjungite amores.

Ac-

Ciceronem lib. 1. de Officiis cap. 12.

*Vosne velit, an me regnare Hera; quidve ferat sors,*
*Virtute experiamur - - - -*

v. 367. *Urbis D. Neptunia solvere vincla* ] Compages & ὑφάσματα murorum urbis Trojæ, quos Neptunus & Apollo regi Laomedonti ædificaverant, ab eo postea pacta mercede fraudati, ut est in fabulis, Catullus *vincla* vocat. Optima sunt quæ ad hunc locum Statius Lusitanus, vir quantivis pretii, congessit, atque ex illo Passeratius. Addo ego, *vincire*, *alligare*, *dissolvere*, verba esse ad architecturam pertinentia. M. Vitruvius lib. 2. cap. 8. de structura mœnium & parietum verba faciens: *Id autem*, inquit, *licet animadvertere etiam de nonnullis monumentis quæ circa Urbem facta e marmore seu lapidibus quadratis, intrinsecusque medio calcata fartturis, vetustate evanida facta materia, cæmentorumque exsucta raritate, proruunt, & coagmentorum ab ruina DISSOLUTIS juncturis dissipantur. Quod si quis noluerit in id vitium incidere, medio cavo servato secundum orthostatas intrinsecus ex rubro saxo quadrato, aut ex testa, aut silicibus ordinariis struat bipedales parietes, & cum ansis ferreis & plumbo frontes VINCTÆ sint. Ita enim non acervatim, sed ordine structum opus poterit esse sine vitio sempiternum, quod cubilia & coagmenta eorum inter se sedentia & juncturis ALLIGATA non protrudent opus, neque orthostatas inter se RELIGATOS labi patientur.*

v. 369. *Ancipiti ferro* ] Bipenni utrimque acuta, qua popæ olim utebantur ad victimas occidendas.

v. 370. *Projiciet corpus* ] Tamquam rem minimi pretii. Noster supra v. 81.

*Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis*
*Projicere optavit - - - - - -*

Fortem viraginis animum poeta significat, quæ non invita morti caput obtulerit. Vide Philostratum Vitæ Apollonii Tyanensis lib. 4. cap. 16. Nasoni lib. 13. Metamorph. v. 451. Polyxena dicitur

*Fortis, & infelix, & plusquam femina virgo.*

Guarinus legere malebat *Porriciet*, quod verbum sacrificantium erat.

ibid. *Truncum corpus* ] Obtruncatum, & capite minutum.

ibid. *Submisso poplite* ] Ovidius lib. 13. Metam. v. 477.

*Illa, super terram defecto poplite labens,*
*Pertulit intrepidos ad fata novissima vultus.*

Lucretius lib. 1. v. 93. de Iphigenia ad aram Dianæ statuta:

*Muta metu terram genibus summissa petebat.*

v. 372. *Quare agite* ] Hortantis hæc sunt, & moras præcidentis.

ibid. *Conjungite amores* ] Tibullus pariter Elegia 1. lib. 1.

*Interea, dum fata sinunt, jungamus amores.*

Ita dicebant *Venerem jungere*. Idem Elegia 10. lib. 1.

-- *Hunc*

Accipiat conjux felici fœdere divam,
Dedatur cupido jamdudum nupta marito.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Non illam nutrix orienti luce reviſens,

He-

- - - - *Hunc ego credam*
*Cum trucibus Venerem jungere poſſe feris.*

v. 373. *Accipiat divam* ] Quod Italis eſt *togliere*, cum de conjugio ſermo eſt. Dantes Aligherius ( Paradiſi Cantu 6. )

*Dietro all' antico, che Lavina tolſe.*

Æneam ſignificat, qui Laviniam Latini Aboriginum regis filiam matrimonio ſibi junxit.

ibid. *Felici fœdere* ] Fœdus non ſolum de conjugio, verum etiam de furtivis amoribus nonnumquam dicitur. Tibullus Elegia 10. lib. 1.

*Quid mihi, ſi fueras miſeros læſurus amores,*
*Fœdera per divos clam violanda dabas?*

Propertius Elegia 7. lib. 4.

*Fœderis heu taciti! cujus fallacia verba*
*Non audituri diripuere Noti.*

v. 374. *Dedatur marito* ] Poteſtati mariti omnino permittatur. Eſt autem verbum ſumtum a re militari: in bello enim captivi deduntur victoribus, urbeſque item expugnatæ. Tibullus Elegia 2. lib. 1.

*At mihi parce, Venus. ſemper tibi dedita ſerviit*
*Mens mea* - - - - -

ibid. *Cupido jamdudum* ] Horatius Sat. 7. lib. 2. v. 1.

*Jamdudum auſculto, & cupiens tibi dicere ſervus*
*Pauca, reformido* - - - -

v. 376. *Non .... heſterno p. collum c. filo* ] Quod cervicis venæ ac muſculi ſpiritu impleti ob συνουσίαν intumuerint: vel quod arteria unde anima efflatur, quam ζαχῶναν filii medicorum appellant, dilatata fuerit: quo fit ut corruptæ mulieres vocem graviorem emittant, quam puellæ adhuc integræ. Huc pertinent verſus Nemeſiani Carthaginienſis ex Ecloga 2. quos T. Calpurnio Joſephus Scaliger, memoriæ nimium confidens, perperam tribuit:

*Sed poſtquam Donacen duri clauſere parentes,*
*Quod non tam tenui filo de voce ſonaret,*
*Sollicituſque foret lingua ſonus, improba cervix,*
*Suffuſuſque rubor crebro, venæque tumentes &c.*

Quamquam is locus non de corrupta virgine, verum de nubili atque adulta commode intelligi poſſit: virginum enim pubeſcentium, ut & puerorum, ſubrauca vox eſſe ſolet. Vide Roberti Titii Burgenſis Commentarium ad Nemeſiani Bucolica. Ut autem lectoribus meis gratum faciam, non poſſum hic prætermittere verba priſci ſcriptoris e libello *de Sympathia & Antipathia*, quem libellum Democriti eſſe falſo perhibent; quamquam ea Iſaacus Voſſius pridem attulerit: Λαβὼν, inquit, βιβλάειον καταμέτρησον ἀπὸ ὠτίου εἰς ὠτίον· κἂν μὲν ἴσον ᾖ, παρθένος ἐστι· εἰ δὲ μὴ, ἐφθαρται. i. e. *ſumto funiculo ex lino aut papyro, metire* adverſum & averſum colli ſpatium *ab auricula ad auriculam*; *& ſi fuerint* ſemicirculi *æquales, virgo eſt: ſi, contra, inæquales, corrupta & deflorata eſt*. Loqui autem videtur ſcriptor ille non de puella quacumque, ſed de nova nupta. Cave, lector, ne ſigno huic fallaciſſimo fidem habeas.

Hesterno collum poterit circumdare filo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Anxia nec mater discordis mœsta puellæ
Secubitu, caros mittet sperare nepotes.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Talia præfantes quondam, felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcæ.
Præsentes namque ante domos invisere castas
He-

beas. Ceterum Janus Douza pater in lepido quodam Carmine ad Janum Hautenum, quod legitur in ejus Præcidaneis pro Catullo cap. 5. hunc locum pertinere existimat ad morsiunculas amatorias, quibus novæ nuptæ collum intumescat. quæ sane interpretatio non contemnenda.

v. 377. *Hesterno filo* ] Monili, quo heri usa fuerat: nisi dicamus, filum hic poni pro linea tunica, ut conjiciebat Passeratius. quod tamen minus placet.

v. 379. *Discordis mœsta puellæ Secubitu* ] Antequam enim Peleo nuberet, cum matre Doride Thetis uno in lectulo cubabat. Sic explicant nonnulli interpretes. Quod (pace illorum dixerim) oppido ridiculum est. Doris centum filias ex Nereo susceperat. aut igitur debuit reliquas omnes contemnere, unam Thetidem curare atque amplecti: aut omnes pariter secum in lecto retinere, saltem eas quæ nondum elocatæ fuerant. Veram poetæ sententiam Parthenius & Guarinus olim perviderunt; quæ hujusmodi est: Doris mater Thetidis non erit mœsta ob secubitum puellæ discordis, quod scilicet ipsi & Peleo male conveniat, quod sint inimicitiæ inter conjuges, adeoque non in eodem lecto cubent: sed potius gaudebit eorum stabili concordia mutuisque amoribus, & iccirco prolem ex ipsis exspectare non desinet; qua spe videlicet fraudaretur, si discordes essent. Miror, doctos viros in re tam aperta & perspicua cæcutire potuisse.

ibid. v. 380. *Mittet sperare* ] Similiter Horatius Epodo 13. v. 7. *Cetera mitte loqui*.

v. 382. *Præfantes* ] Prædicentes, vaticinatæ.

ibid. *Felicia Pelei Carmina* ] Quæ Peleo felices rerum eventus præcinebant ac prænuntiabant, bene ominata, εὔφημα. *Pelei* porro, volunt interpretes hoc loco casum esse tertium, more Græcorum declinatum. Sic & *Orphei* dixerunt pro *Orpheo*. Nihil tamen vetat, esse casum patrium: ut *felicia Pelei*, sint ejusdem herois fortunæ.

v. 383. *Omine* ] Genus μαντευμάτων universum *ominis* vocabulo veteres Latini haud raro significabant. Livius præfatione Histor. *Cum bonis potius ominibus votisque ac precationibus deorum dearumque, si, ut poetis, nobis quoque mos esset, libentius inciperemus, ut orsis tanti operis successus prosperos darent*. Propertius Elegia 1. lib. 4.

*Jam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam*
*Læserat abjegni venter apertus equi*.

v. 384. *Præsentes ....... Cælicolæ* ] Præsentes dii sunt Græcis φανεροί, καὶ οὐκ ἀόρατοι θεοί: *conspicui* nimium, & *quos videre non sit inconcessum*. Opinio de

de præsentia deorum a sacris Judæorum litteris in pravam gentium reliquarum θεολογίαν derivata videtur, quæ postea variis fabulis eam inquinavere. Certe Deuteronomii cap. 4. v. 7. hæc legimus: *Nec est alia natio tam grandis, qua habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Eadem de fallis numinibus jactat Alcinous Phæacum rex apud Homerum Odyssceæ lib. 7. a v. 201.

Αἰεὶ γὰρ τοπάρος γε θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς
Ἡμῖν, εὖτ' ἔρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας·
Δαίνυνταί τε παρ' ἄμμι καθήμενοι ἔνθα περ ἡμεῖς·
Εἰ δ' ἄρα τις καὶ μοῦνος ἰὼν ξύμβληται ὁδίτης
Οὔτι κατακρύπτουσιν· ἐπεί σφισιν ἐγγύθεν εἰμέν.

*Semper enim etiam antea dii apparent manifesti*
*Nobis, quando facimus inclytis hecatombis:*
*Convivanturque apud nos sedentes ubi & nos.*
*Si autem aliquis & solus iens occurrerit viator,*
*Haud occultant: quoniam ipsos prope sumus.*

Pallas vero Iliados lib. 1. v. 197. irato Achilli, & Agamemnonem jam jam occidere paranti

Στῆ δ' ὄπιθεν, ξανθῆς δὲ κόμης ἕλε Πηλείωνα,
Οἴῳ φαινομένη, τῶν δ' ἄλλων οὔτις ὁρᾶτο.

*Stetit a tergo, & flava coma apprehendit Pelidem,*
*Soli apparens: aliorum vero nullus videbat.*

Huc faciunt illa Propertii Elegia 11. lib. 3. de hominibus aurei sæculi:

*Diique deæque omnes quibus est tutela per agros,*
*Præbebant versis verba secunda focis.*
*Et leporem, quicumque venis, venaberis, hospes,*
*Et si forte meo tramite quæris avem:*
*Et me Pana tibi comitem de rupe vocato:*
*Sive petas calamo præmia, sive cane.*

Nec non illa Ciceronis lib. 2. de Nat. Deorum: *Præsentiam sæpe divi suam declarant: ut & apud Regillum bello Latinorum, quum A. Postumius dictator cum Octavio Mamilio Tusculano prælio dimicaret, in nostra acie Castor & Pollux ex equis pugnare visi sunt: & recentiore memoria iidem Tyndaridæ Persen victum nuntiaverunt.* Plura deinceps addit exempla. Idem scriptor eloquentissimus ipse sibi concinit Oratione 3. in L. Catilinam his verbis: *Tum vero (dii) ita præsentes his temporibus opem & auxilium nobis tulerunt, ut eos pæne oculis videre possemus.* Lege quæ sequuntur, si vacat. Quomodo autem dii numine suo rebus humanis interesse ac favere soliti sint, explicat idem Tullius lib. 1. de Divinatione. *Quid igitur*, ait, *exspectamus? an dum in foro nobiscum dii immortales, dum in viis versentur, dum domi? qui quidem ipsi se nobis non offerunt, vim autem suam longe lateque diffundunt.* Ciceroni suffragatur Isocrates in Oratione ad Philippum prope finem: Οἶμαι δέ σε, inquit, οὐκ ἀγνοεῖν, ὃν τρόπον οἱ θεοὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων διοικοῦσιν· οὐ γὰρ αὐτόχειρες, οὔτε μετὰ τῶν ἀγαθῶν, οὔτε τῶν κακῶν γίνονται τῶν συμβαινόντων αὐτοῖς· ἀλλ' ἑκάστοις τοιαύτην ἔννοιαν ἐμποιοῦσιν, ὥστε δι' ἀλλήλων ἡμῖν ἑκάτερα παραγίνεσθαι τούτων. Quæ Hieronymus Wolfius ita eleganter vertit: *Arbitror autem te non ignorare, quo pacto dii res humanas administrent. Non enim ipsi eorum vel prosperis vel adversis in rebus hominibus se conspiciendos præbent, aut contrectandos manibus: sed eam mentem dant singulis, ut vel cladibus ultro citroque se afficiant, vel communes utilitates in medium afferant mutatione officiorum.* Quibus paria propemodum scribit Plutarchus in Vita Coriolani. Animadvertit enim

Heroum, & se se mortali ostendere cœtu
Cælicolæ, nondum spreta pietate, solebant.

Sæpe

vir sapientissimus, Homerum difficilibus atque inusitatis hominum eventibus, in quibus impetu quodam animi ac furore quasi divino fit opus, deos immiscere: non qui humanum consilium auferant, sed moveant potius, neque impetus animo adjiciant, sed visa & φαντασίας offerant, quibus impetus ipsi regantur: atque ita sane non ad agendum cogant invitos, verum voluntatis initium præbeant, eamque spe & confidentia confirment. Aut enim, ait, ab omni principio caussaque actionum nostrarum excludendus omnino Deus est: aut nullus tandem reliquus erit modus quo ille humanas actiones adjuvet. Non enim corpora nostra fingit, manusque ad id quod facto opus est, aut pedes applicat: sed eam animi partem quæ ad agendum eligendumque nata est, principiis quibusdam & visis, cogitationibusque objectis excitat, vel contra avertit & retinet. His omnibus addendus Porphyrius in vita Plotini, cujus hæc verba sunt: Καὶ ὅτι λοξῶς φερόμενον πολλάκις οἱ θεοὶ κατηύθυναν θαμινὰ φαέων ἀκτῖνα πορόντες, ὡς ἐπισκέψει τῇ παρ᾽ ἐκείνων καὶ ἐπιβλέψει γεγράφθαι τὰ γεγραμμένα εἴρηται. i. e. Marsilio Ficino interprete: *Præterea* subdit oraculum: *deos sæpe Plotinum circumvagantem apprehendentes, in rectum tramitem direxisse, dum uberrimos luminis divini radios, oculorum ejus luminibus divine porrigerent: ut vere dictum sit, Plotinum contemplatione intuituque divinitus rutilante, libros suos composuisse*. Non omittendum hoc loco est lepidum Lactantii dictum e lib. 1. Divin. Instit. cap. 20. *Pavorem*, ait, *Palloremque Tullus Hostilius figuravit & coluit. Quid de hoc dicam, nisi dignum fuisse qui semper deos suos, sicut optari solet, præsentes haberet?*

ibid. *Ante* ] Olim, primis mundi temporibus. Ita Ovidius lib. 1. Metamorph. v. 5.

*Ante, mare & tellus, &, quod tegit omnia, cælum,*
*Unus erat toto Naturæ vultus in orbe.*

ibid. *Domos castas* ] Non, tantummodo pudicas, sed nullo præterea scelere contaminatas. Valerius Flaccus pariter lib. 1. Argonaut. v. 5.

*Phœbe, mone; si Cymeæ mihi conscia vatis*
*Stat casta cortina domo - - - -*

*Casta domus* Valerio est domus Quindecimviri, apud quem carmina Sibyllæ tuto deposita essent, sanćteque & magna cum fide servarentur. Cicero lib. 13. ad Atticum Epist. 8. *Res familiaris cum ampla, tum casta a cruore civili*. Translatitia porro significatione dixit Horatius Ode 5. lib. 4.

*Nullis polluitur casta domus stupris.*

v. 385. *Cœtu* ] Pro *cœtui*, ἀρχαϊκῶς. Virgilius pariter Æneid. 3. v. 541.

*Sed tamen iidem olim curru succedere sueti*
*Quadrupedes - - - -*

pro *curruı*. Propertius item Elegia 11. lib. 1.

*Alterna facilis cedere lympha manu.*

Adde Sallustium Belli Jugurth. cap. 6. *Non se luxu, neque inertiæ corrumpendum dedit*. Et Cornelium Celsum lib. 2. Medicinæ cap. 18. ubi de avium esu: *Ex his quæ volatu fidunt*.

v. 386. *Pietate* ] Deorum religione, juramenti sanctitate, parentum, liberorum, fratrum, patriæ caritate, innocentia, reverentia erga seniores, amicitia, fide, justitia; quæ omnia uno pietatis nomine comprehendi solent.

v. 387.

Sæpe pater divûm templo in fulgente revisens,
Annua quum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra centum procurrere currus.
Sæpe vagus Liber Parnassi vertice summo
Thyadas effusis evantes crinibus egit:
Quum Delphi tota certatim ex urbe ruentes

Ac-

v. 387. *Templo in fulgente* ] Vel ob ignem sacrificiorum, vel ob parietes & laquearia inaurata. Lucretius lib. 2. v. 27.

*Nec domus argento fulget, auroque renidet;*
*Nec citharis reboant laqueata aurataque templa.*

Propertius Elegia 1. lib. 4.

*Fictilibus crevere deis hæc aurea templa.*

quamquam hoc simplicitati heroicorum temporum minus convenire videatur.

v. 388. *Annua sacra* ] Ludi antiquissimi, cultui Jovis consecrati, in quibus Juppiter ipse cum Saturno luctâ certavit, Curetes vero primi cursu palmam petiverunt, si Pausaniam audimus, quo Vossius teste utitur. Hi fortasse apud Cretenses, eorum auctores, annui fuerunt: postea vero quam ab Hercule in Elidem translati sunt, tertio quoque anno celebrari cœperunt, donec tandem quinquennales fierent.

ibid. *Venissent sacra* ] Ovidius pariter lib. 3. Amorum Eleg. 10.

*Annua venerunt Cerealis tempora sacri.*

Tibullus quoque lib. 3. Eleg. 1.

*Martis Romani festa venere Kalendæ.*

v. 389. *Centum procurrere currus* ] Crebra U vocalis, & litteræ caninæ repetitione, rotarum procurrentium strepitum egregie imitatur poeta.

v. 390. *Vagus Liber* ] Errabundus cum Satyris & Mænadibus: vel quod longinquas Indorum regiones peragraverit: vel quod idem sit atque Sol, quem *vagum* superius appellavit.

ibid. *Parnassi v. s.* ] Qui mons non solum Apollini & Musis, verum & Baccho sacer fuit.

v. 391. *Thyadas evantes egit* ] Bacchas, *Evoe*, vel *Evan* clamantes, quæ Liberi patris cognomina fuerunt. *Egit* autem pro *impulit*. Propertius Elegia 2. lib. 2.

*Egit ut evantes dux Ariadna choros.*

v. 392. *Delphi* ] Nomen urbis notissimæ ad Parnassi radices positæ: præterea ipsorum incolarum. Hæc urbs umbilicus orbis appellabatur. Auctor Carminis in Priapum Epigr. 77.

*Pallas Cecropias tuetur arces:*
*Delphos Pythius orbis umbilicum.*

Tradunt enim fabulæ antiquorum, Jovem cognoscere cupientem, quæ media esset regio orbis terrarum, id commentum fuisse. Alteram scilicet aquilam ab ortu, ab occasu alteram eodem temporis puncto emisisse, ac pari velocitate volare jussisse: quæ cum cæli spatium emensæ, Delphos denique convenissent, umbilicum terræ Delphos esse Jovem docuerunt. Hanc fabulam Claudianus attingit in prologo poematis de Mallii Theodori consulatu, his versibus:

*Juppiter, ut perhibent, spatium cum discere vellet*
*Naturæ, regni nescius ipse sui,*
*Armigeros utrimque duos æqualibus alis*
*Misit ab Eois Occiduisque plagis.*
*Parnassus geminos fertur junxisse volatus;*
*Contulit alternas Pythius axis aves.*

Acciperent lacti divum spumantibus aris.
Sæpe in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo
Ar-

v. 393. *Acciperent divum aris* ] *Accipere* verbum est convivatorum, & hospitium præbentium. Plautus Cistellaria Ac. I. Sc. I. v. II.

*Ita in prandio nos lepide atque nitide*
*Accepisti apud te, ut semper meminerimus.*

Idem Pseudolo Ac. I. Sc. 2. v. 34.

*Magnifice volo enim summos viros accipere, ut mihi rem esse reantur.*

Terentius Eunucho Ac. 5. Sc. ult. v. 52. verbis Gnathonis parasiti:

*Accipit homo nemo melius prorsus, neque prolixius.*

Virgilius 3. Æneidos v. 353.

*Illos porticibus rex accipiebat in amplis.*
*Aulai in medio libabant pocula Bacchi,*
*Impositis auro dapibus, paterasque tenebant.*

Pausanias in Atticis cap. 2. narrat, Athenis prope Bacchi fanum cellam fuisse, ubi multæ statuæ fictiles, in quibus *βασιλεὺς Ἀθηναίων Ἀμφικτύων, ἄλλους τε θεοὺς ἑστιῶν, καὶ Διόνυσον. Atheniensium rex Amphictyon, tum alios deos, tum Liberum patrem convivio accipiens.* Porro Amphictyon tertius a Cecrope rex fuit.

ibid. *Lacti spumantibus* ] Ita legit Vossius ex optimis codicibus. Vulgatæ editiones habebant *lati fumantibus*. *Lacti* pro *lacte*, ablativus antiquus. Virgilius Ecloga 5. v. 65.

- - - - - *En quattuor aras:*
*Ecce duas tibi, Daphni: duas altaria Phœbo.*
*Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,*
*Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi.*

Ceterum, lacte tantummodo, non cæsis victimis, antiquissimi numen deorum placabant.

ibid. *Divum* ] Quarto casu numeri singularis, pro *deum*. Ita Carm. 67. v. 118.

*Quod divum domitum ferre jugum docuit.*

v. 394. *In l. belli certamine* ] Homerus Iliados lib. 20. v. 129.

Εἰ δ' Ἀχιλλεὺς οὐ ταῦτα θεῶν ἐκπεύσεται ὀμφῆς.
Δείσετ' ἔπειθ' ὅτε κέν τις ἐναντίβιον θεὸς ἔλθῃ
Ἐν πολέμῳ. χαλεποὶ δὲ θεοὶ φαίνεσθαι ἐναργεῖς.

*Si vero Achilles non hæc ex deorum didicerit voce,*
*Timebit utique quando quis contra deus venerit*
*In prælio. Terribiles vero dii quum apparent manifesti.*

Livius lib. 7. Histor. *Camillus latum militem victoria tribuni, latum tam præsentibus ac secundis diis, ire in prælium jubet: ostentansque insignem spoliis tribunum, Hunc imitare, miles, ajebat, & circa jacentem ducem sterne Gallorum catervas. Dii hominesque illi affuere pugnæ.*

v. 395. *Rapidi Tritonis hera* ] Pallas; quæ apud paludem Tritonidem (hanc in Africa Triton amnis efficit) armata primum apparuit. Lucanus lib. 9. Pharsaliæ a v. 347. hanc fabulam ita recitat:

*Torpentem Tritonos adit illæsa paludem.*
*Hanc, ut fama, deus quem toto litore pontus*
*Audit ventosa perflantem murmura concha,*
*Hanc & Pallas amat: patrio quæ vertice nata*

Ter-

Armatas hominum est præsens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Justitiamque omnes cupida de mente fugarunt:
Perfudere manus fraterno sanguine fratres:
Destitit exstinctos natus lugere parentes:
Optavit genitor primævi funera nati,

Li-

*Terrarum primam Libyen ( nam proxima cælo est,*
*Ut probat ipse calor ) tetigit: stagnique quieta*
*Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas,*
*Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.*
D. Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 8. *Minerva vero longe his antiquior. Nam temporibus Ogygii, ad lacum qui Tritonis dicitur, virginali apparuisse fertur ætate; unde & Tritonia nuncupata est.* Vide & Pausaniam in Atticis cap. 14.

ibid. *Rhamnusia virgo* ] Adrastea, seu Nemesis, dea superbis, & prosperam sortem bene ferre nescientibus infesta. Hæc fingebatur altera manu πῆχυν, i. e. *cubitum*, altera χαλινὸν, *frenum* scilicet, gerens; quæ signa sunt moderationis, ab omni excessu abhorrentis. Rhamnusiæ cognomentum sortita fuit a Rhamnunte Atticæ regionis pago, ubi templa & sacerdotes habuit. Lucanus lib. 5. v. 233.
*Et tumidis infesta colit quæ numina Rhamnus.*
Bellis propterea interfuit, quod ad ipsam injurias ulcisci, ac tropæa de victis hostibus figere pertineret.

v. 396. *Armatas hominum catervas* ] Hypallage, pro *armatorum hominum catervas*. Ita Horatius Ode 12. lib. 4.
*Quod male barbaras*
*Regum est ulta libidines.*
i. e. *regum barbarorum*.

ibid. *Hortata* ] Verbum hoc venatorium est: præterea nauticum & militare.

v. 397. *Tellus scelere est imbuta n.* ] Quemadmodum lana colores imbibit; qui numquam postea ita eluuntur, ut ea pristinum candorem recipere possit. Vel ad cædes poeta respexit: sanguis enim fusus arma, vestes, terram imbuit. quod Italice dicimus *inzuppare*. Valerius Flaccus lib. 1. v. 69. dixit *vomere terras imbuere*.

v. 398. *Cupida de mente* ] Πλεονέκτας notat, qui ab æquitate discedunt, & non suis inhiantes, plus justo habere concupiscunt.

v. 400. *Lugere parentes* ] Cum *pietas* quæ debetur parentibus, ipso *quoque vulnere* interdum *læditur*; quod ait Cicero pro Sex. Roscio Amerino; quale scelus erit aut patris mortem optare, aut levissime ferre, & sine ullo doloris argumento? Porro nimia legum clementia huic feritati caussam aliquam dedisse videtur. Ulpianus enim Lege 23. D. de his qui notantur infamia, sic loquitur: *Parentes & liberi utriusque sexus, nec non ceteri adgnati vel cognati secundum pietatis rationem & animi sui patientiam, prout quisque voluerit, lugendi sunt: qui autem eos non eluxerit, non notatur infamia.* Vide Kirchmannum de Fun. Romanorum lib. 4. cap. 10.

ibid. *Optavit* ] Præoptavit, elegit.

v. 401. *Primævi nati* ] Adolescentuli, vel adhuc pueri. Ovidius lib. 4. Fastorum v. 701.
*Filius hujus erat primo lascivus in ævo;*
*Addideratque annos ad duo lustra duos.*

v. 402.

Liber ut innuptæ poteretur flore novercæ:
Ignaro mater ſubſternens ſe impia nato
Impia non verita eſt divos ſcelerare parentes:

Omnia

v. 402. *Liber u. i. p. f. novercæ* ] Gerardus Joannes Voſſius in Latina Syntaxi edita in uſum ſcholarum Hollandiæ & Weſt-friſiæ, Regula 4. de Verbis utrimque habentibus nominativum, Obſervatione 4. Appendice 2. putat, Catullum hoc loco *liber* pro *filius* dixiſſe: nam *liberi* ſunt *filii*, & apud Corn. Tacitum legitur *tres liberi*. ſed errat vir doctiſſimus. *Liberum* enim appellavit poeta patrem familias, qui filium veneno ſuſtuliſſet, impedimento ſibi futurum, quominus puellam formoſam, privigni onus & nomen aſpernatam, ſecundis nuptiis copulare ſecum poſſet. *Liber* igitur hîc eſt *expeditus*. Porrò interpretes recte animadverterunt, a Catullo notari ſcelus nefarium L. Catilinæ, qui, ut Salluſtius refert cap. 15. de ejus conjuratione, *captus amore Aureliæ Oreſtillæ, cujus, præter formam, nihil umquam bonus laudavit; quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adultum ætate; pro certo creditur, necato filio, vacuam domum ſceleſtis nuptiis feciſſe*.

ibid. *Innuptæ novercæ* ] Quæ antequam Catilinæ nuberet, ejus quem ſibi privignum fore videbat, cauſſa occidendi fuit amanti. eo facinore ſe novercam præmature teſtata.

ibid. *Poteretur* ] Ἀντὶ τοῦ *potiretur*. Ita Propertius Elegia 7. lib. 2. E. B.

*Quum capite hoc Stygiæ jam poterentur aquæ.*

Valerius Flaccus lib. 7. Argonaut. v. 54.

*Scilicet Æoliæ pecudis poteretur ut auro.*

Ovidius lib. 13. Metam. v. 130.

*Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille.*

ad quem locum vide quæ adnotavit Nicolaus Heinſius.

v. 403. *Ignaro mater ſ. ſ. i. nato* ] Quod Semiramidem feciſſe perhibent, Ninyæ filii nefando amore correptam.

ibid. *Subſternens* ] In concubitu enim feminæ ſuccumbunt viris. Tertullianus libro de Spectaculis: *Quibus viri animas, feminæ autem illis etiam corpora ſua ſubſternunt*. Valerius Maximus lib. 7. cap. 7. de Septicia quadam, Trachalorum Ariminenſium matre, quæ, ut filios hereditate fraudaret, Publicio nupſerat, ſeni capulari. *Spernis*, ait, *quos genuiſti: nubis effœta . . . . . neque erubeſcis ei totum patrimonium addicere, cujus pollincto jam corpori marcidam ſenectutem tuam ſubſtravisti*. Propterea Pindarus Ode 6. Olymp. v. 56.

Ὑπ' Ἀπόλλωνι γλυκείας πρῶτον ἔψαυσ' Ἀφροδίτας.

*Sub Apolline dulcem primum deguſtavit Venerem.*

Tranquillus in vita Julii Cæſaris cap. 7. ubi de interpretatione ſomnii, quo imperator ille ſibi viſus fuerat corpus cum matre miſcere: *Mater*, ait, *quam ſubjectam ſibi vidiſſet, non alia eſſet quam terra, quæ omnium parens haberetur*.

v. 404. *Impia* ] Elegans ἀναφορά, vehementi indignationi inſerviens.

ibid. *Divos parentes* ] Lares videlicet, qui in focis ædium privatarum colebantur, erantque parentum & avorum umbræ ſeu manes. Cornelia mater Gracchorum in fragmento Epiſtolæ ad C. filium: *Ubi mortua ero, parentabis mihi, & invocabis deum parentem*. Aliis placet *Penates*: at ſententia eodem recidit. Sane paullo ante præceſſit vox *parentes* in extremo verſu: & tam proxima repetitio inſuavis eſt. Porro, coram domeſticis Laribus

Omnia fanda, nefanda malo permista furore
Justificam nobis mentem avertére deorum.
Quare nec tales dignantur visere coetus,

Nec

bus flagitiose ac nequiter se gerere, profanum & impium habebatur. Juvenalis Sat. 8. v. 9.

*- - - - - Effigies quo*
*Tot bellatorum, si luditur alea pernox*
*Ante Numantinos? - - - - -*

i. e. ante Scipionis Æmiliani, qui a deleta Numantia Numantini agnomen accepit, consecratam imaginem. Contra, Paulli uxor Cornelia, apud Propertium Elegia ultima lib. 4.

*Testor majorum cineres tibi, Roma, verendos,*
*Sub quorum titulis, Africa, tonsa jaces,*
*Me neque censuræ legem mollisse, nec ulla*
*Labe mea vestros erubuisse focos.*

ibid. *Scelerare* ] Scelere polluere. Hinc *sceleratus*, scelere contaminatus. Infra Carm. ad Januam v. 23.

*Sed pater illius nati violâsse cubile*
*Dicitur, & miseram conscelerâsse domum.*

v. 405. *Omnia fanda nefanda* ] Terentius pariter Adelphis Ac. 5. Sc. ult. v. 33.

*Quia non justa injusta prorsus omnia omnino obsequor.*

Livius item lib. 23. Histor. *Precor quasoque, ne ante oculos patris facere & pati omnia infanda velis.*

ibid. *Malo furore* ] Est enim quidam bonus furor, qualis, verbi caussa, poetarum, & futura præcinentium.

v. 406. *Justificam* ] Vel justam, vel quæ in hominibus justitiam efficiat.

ibid. *Avertére* ] Hinc *aversi dii* pro iratis & offensis. Ovidius lib. 3. ex Ponto Epist. 3.

*Non illis pietas, non officiosa voluntas*
*Defuit: aversos extimuere deos.*

Horatius Ode 23. lib. 3.

*Placabis aversos Penates*
*Farre pio, & saliente mica.*

Tibullus lib. 3. Elegia 3.

*Audiat aversa non meus aure deus.*

Vox tamen *aversus* ab oscitantibus & indoctis librariis haud semel in *adversus* mutata est. Vide Nicolaum Heinsium ad Epistolam Didonis Ovidianam v. 4.

v. 407. *Nec t. dignantur visere cœtus* ] Plautus tamen prologo Rudentis Arcturum inducit, qui spectatores moneat, a Jove de cælo in terras mitti dæmonas quosdam exploratores, qui hominum dicta factaque diligenter inspiciant, eorumque nomina in codice scribant, ad Jovem referenda. Versus valde memorabiles hi sunt:

*Noctu sum in cælo clarus, atque inter deos:*
*Inter mortales ambulo interdius.*
*Et alia signa de cælo ad terram accidunt.*
*Qui est imperator divûm atque hominum Juppiter,*
*Is nos per gentes alium aliâ disparat,*
*Hominum qui facta, mores, pietatem & fidem*
*Noscamus; ut quemque adjuvet opulentia:*
*Qui falsas lites falsis testimoniis*
*Petunt; quique in jure abjurant pecuniam;*
*Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem.*
*Quotidie ille scit, quis hic quærat malum.*
*Qui hic litem adipisci postulant perjurio,*
*Mali res falsas qui impetrant apud judicem:*

Ite-

Nec se contingi patiuntur lumine claro.

LXIV.

*Iterum ille eam rem judicatam judicat,*
*Majore multâ multat, quam litem auferunt.*

*Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.*

v. 408. *Contingi lumine claro* ] *Contingi* hoc loco vel est compositum a *tangor*, ut sententia sit: dii non patiuntur se impuris hominum manibus contrectari, dum lucet, in foro medio atque aliis conventibus: vel est compositum a *tingor*, quo pacto scripsit Lucretius lib. 2. v. 742. de cæcis ab ortu ipso:

*- - - Tamen cognoscant corpora tactu*
*Ex ineunte ævo, nullo contincta colore.*

Et paullo post. v. 754.

*Proinde colore cave contingas semina rerum.*

Atque ita *contingi lumine* idem fere erit ac *contingi colore*; quam veriorem explicationem existimo. Significat poeta, non videri aut occurrere vulgo deos interdiu:

Οὐ γάρ πω πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς.

*Non enim omnibus dii apparent manifesti*;

ut ait Homerus Odyssеæ lib. 16. v. 161. Sed noctu solum & per somnia. Juvenalis Sat. 6. v. 530. εἰρωνικῶς:

*En animam & mentem, cum qua dii nocte loquuntur.*

Plautus Mercatore Ac. 2. Sc. 1.

*Miris modis dii ludos faciunt hominibus,*
*Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.*

Aut occurrere quidem, verum ἀοράτους, & crassiori aere circumdatos. Hesiodus Theogoniæ v. 7. de Musis:

Ἔνθεν ἀπορνύμεναι, κεκαλυμμέναι ἠέρι πολλῇ,
Ἐννύχιαι στεῖχον - - - -

*Inde concitatæ, velatæ aere multo,*
*Noctu incedunt - - - -*

Ubi vide, si lubet, quæ Clericus adnotavit. Propterea corrupto jam sæculo, pios etiam homines, & diis ob virtutem acceptos, cum iis colloqui antiqui finxerunt, sed tamen eorum aspectu frui non posse. Id testatur Euripides in Hippolyto v. 84. ubi castissimus ille juvenis ita Dianam alloquitur:

Μόνῳ γάρ ἐστι τοῦτ' ἐμοὶ γέρας βροτῶν,
Σοὶ καὶ ξύνειμι, καὶ λόγοις ἀμείβομαι,
Κλύων μὲν αὐδῆς, ὄμμα δ' οὐχ ὁρῶν τὸ σόν.

*Soli enim mihi inter mortales hoc præmium obtigit:*
*Et tecum versor, & tecum sermones commuto;*
*Audiens quidem tuam vocem, sed faciem tuam non videns.*

Consule Commentarium viri doctissimi Ezechielis Spanhemii ad Hymnum Callimachi in Lavacra Palladis v. 101. Porro, valde periculosum olim habitum fuit, si quis deum aliquem vel deam imprudens aspexisset, quod Tiresiæ atque Actæonis exemplis facile confirmari potest.

ibid. *Patiuntur* ] A Catullo Marcellus Palingenius, non contemnendus poeta, Zodiaci Vitæ lib. 8. v. 443.

*- - - - Sæcla redirent*
*Aurea, & una domus divosque hominesque teneret,*
*Seque oculis nostris paterentur numina cerni.*

Ovidius, contra, lib 1. Fastorum v. 247. *terram deorum patientem* dixit:

*Tunc ego regnabam, patiens cum terra deorum*
*Esset; & humanis numina mixta locis.*

Ar-

# L X I V.

Etsi me assiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus:

Nec

Argum. Carm. LXIV. ] Excusat se Hortalo familiari suo, homini litterato, quod ei paullo tardius Elegiam proxime sequentem, quam ipse de Callimacho verterat, mittat legendam; ut ei pollicitus fuerat se facturum. Justam vero caussam tarditatis affert, nempe acerbissimum animi dolorem ex recenti fratris morte susceptum, quam piis admodum atque elegantibus versibus deplorat. Hoc ποιημάτιον Passeratius, vir de Latina lingua praeclare meritus, locupleti ac diligentissimo Commentario exposuit, adeo ut pauca supersint quae interpretationem desiderent.

v. 1. *Etsi* ] Utitur poeta noster in hac Elegia, productione illa & suspensione, quam Graeci ἀναβολὴν vocant; Dithyrambicos imitatus. Porro ἀναβολῇ contraria est ἀναστροφή, nempe conversio, & reditus ad propositum. Vide Aristotelem 3. lib. Rhetoricorum.

ibid. *Confectum* ] Enectum propemodum & consumtum. Horatius Sat. 9. lib. 1. v. 29.

*Confice; namque instat fatum mihi triste - -*

Hoc Itali dicimus *finire*: unde *sfinimento*, animi deliquium, λειποθυμία.

ibid. *Cura* ] Nemo nescit, gravium curarum id proprium esse, ut hominum animos exedant, & corporibus quoque, propter arctissimam quae ipsis cum animis intercedit conjunctionem, tabem ac perniciem importent. Pauci nihilominus noverunt, morbum esse cui nomen apud Graecos Φροντὶς, apud Latinos *Cura* sit. Hunc ita describit medicorum princeps Hippocrates lib. 2. de Morbis, non procul a fine: Φροντὶς νοῦσος χαλεπή. Δοκέει ἐν τοῖσι σπλάγχνοισιν εἶναι οἷον ἄκανθα, καὶ κεντέειν· καὶ ἄση αὐτὸν λάζεται· καὶ τὸ φῶς φεύγει, καὶ τοὺς ἀνθρώπους. καὶ τὸ σκότος φιλέει· καὶ φόβος λάζεται· καὶ αἱ φρένες οἰδέουσιν ἐκτός. καὶ ἀλγέει ψαυόμενος. καὶ φοβεῖται· καὶ δείματα ὁρᾷ καὶ ὀνείρατα φοβερὰ καὶ τοὺς τεθνηκότας ἐνίοτε. καὶ ἡ νοῦσος ἐνίοτε τοὺς πλείστους λαμβάνει τοῦ ἦρος. i. e. *Cura gravis morbus. Viscera veluti spinarum aculeis pungi videntur; anxietas ipsum invadit, lucem & homines refugit, tenebras amat: metus corripit, septum transversum exteriore parte intumescit: ad contactum dolet, expavescit, in somnis terriculamenta & formidanda cernit, nonnumquam & mortuos. Morbus hic interdum plurimos vere prehendit.* Morbi hujus tamquam gravissimi, neque plerumque sanabilis, meminit etiam Ovidius Epistola 1. lib. 1. ex Ponto, his versibus:

*Tollere nodosam nescit medicina podagram,*
*Nec formidatis auxiliatur aquis.*
*Cura quoque interdum nulla est medicabilis arte,*
*Aut, ut sit, longa est extenuanda mora.*

De vera ejus loci sententia nihil suspicati sunt Nasonis interpretes. Quem locum, ut & Hippocratis alterum, indicavit mihi frater meus carissimus, Joannes Baptista Vulpius, qui ante annos aliquot in hoc Gymnasio Patavino Anatomen, cum ingenii atque eruditionis laude, publice docuit.

v. 2. *Sevocat* ] Abducit, retrahit.

V u ibid.

Nec potis eſt dulces Muſarum expromere fœtus
Mens animi: tantis fluctuat ipſa malis:
( Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem.
Troïa Rhoeteo quem ſubter litore tellus,

Ere-

ibid. *Doctis virginibus* ] Hîc τὸ *virginibus* ætatis florem potius, quam ipſam virginitatem ſignificat. Muſas enim proprie κόρας, i. e. *puellas* dixeris: παρθένας, minus proprie: nam earum pleriſque filios fabulæ attribuunt. Quod copioſius olim ad Propertium oſtendemus. *Virgo* autem & de corrupta puella interdum uſurpatur. Virgilius Ecloga 6. v. 47. de Paſiphae, Minois regis uxore, prodigioſæ libidinis muliere:

*Ah, virgo infelix, quæ te dementia cepit?*

Ex quo, adoleſcentem illam fuiſſe, colligi poteſt.

ibid. *Hortale* ] M. Hortali, Q. Hortenſii Oratoris nepotis, pauperrimi hominis, mentio fit apud Tacitum Annalium lib. 2. cap. 37. & apud Suetonium in Tiberio cap. 47. Hunc noſtri poetæ amicum fuiſſe, interpretes putant. Quid ſi Orator ipſe celeberrimus Catullo familiariter ſit uſus? Erat enim homo elegantis ingenii: vixerunt autem ambo Ciceronis temporibus. Nam de nepote, vereor ut temporis ratio ſatis conſtet. Probabilis mihi videtur Achillis Statii conjectura, qui hunc Hortalum ad quem ſcribit Catullus, Hortenſium eſſe ſuſpicatur, Oratoris filium, cujus *carmina invennſta* vocantur ab A. Gellio lib. 19. Noct. Attic. cap. 9.

v. 3. *Muſarum fœtus* ] Ingenium ſcriptorum, præcipue poetarum, concipere & parere dicimus, translatione admodum uſitata. Voſſius mavult *fletus*, i. e. Elegos, carminis genus flebile, & querelis dicatum. In Elegia enim proxime ſequenti, Berenices Coma, ſe a reginæ capite abſciſſam conqueritur. Sed vulgata lectio magis arridet.

ibid. *Mens animi* ] Ita ſæpius locuti Plautus, Lucretius, & alii veteres.

v. 5. *Namque* ] Παρέκβασις, quæ cœptam quidem orationem interrumpit, perturbationi tamen & dolori exprimendo valde accommodata eſt.

ibid. *Fratris* ] Quem Catullus unice amabat, ut ex Elegia ad Manlium, & ex Carm. 99. facile cognoſci poteſt. Hic in Troade mortem obiverat, Catullo abſente, atque in Rhœteo ejus regionis promontorio ſepultus fuerat.

v. 6. *Pallidulum pedem* ] Cujuſmodi fingebantur pedes mortuorum: cum & Mors ipſa, & Plutonis regia *pallida* a poetis interdum vocentur. Exempla obvia.

ibid. *Manans unda* ] Manare, eſt lente ac leniter fluere. Id vero Stygiæ paludis proprium eſt; cujus aquam *ignavam* eleganter appellat Tibullus Elegia 3. lib. 3. hoc verſu:

*Dives in ignava luridus Orcus aqua.*

v. 7. *Troia tellus* ] Nempe Trojana, Troica. Ovidius Epiſt. Paridis v. 329.

*Troia claſſis adeſt armis inſtructa virisque.*

Vel ita dictum quemadmodum *terra Italia*, *terra Africa*. Tibullus Elegia 9. lib. 1.

*Non, tibi ſi pretium Campania terra daretur.*

ibid.

Ereptum nostris obterit ex oculis.
[ Alloquar? audieróne umquam tua facta loquentem? ]
Numquam ego te, vita frater amabilior,
Aspiciam posthac? at certe semper amabo,
Semper mœsta tua carmina morte canam.
Qualia sub densis ramorum concinit umbris



ibid. *Rhœteo litore* ] In quo Troadis promontorio sepulcrum fuit Ajacis Telamonii, poetis atque historicis celebratum.

v. 8. *Ereptum n. ex oculis* ] D. Augustinus de Cura pro Mortuis habenda cap. 4. *Non ob aliud vel memoria vel monumenta dicuntur ea quæ insignita fiunt sepulcra mortuorum, nisi quia eos qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant, & admonendo faciunt cogitari.*

v. 8. *Obterit* ] Gravat, opprimit, sepulti ossibus injecta. Optabant porro veteres cadaveribus mortuorum, quos vivos dilexissent, terram levem; quod in Romanis Inscriptionibus frequentissimum. Huc pertinent, si Passeratium audimus, Propertii versus ex Elegia 2. lib. 4. ad Mamurium, illustrem fingendi æris artificem:

*At tibi, Mamuri, forma cælator ahena,*
*Tellus artifices ne terat Osca manus.*

i. e. ne obterat manus tuas in urna compositas.

v. 9. *Alloquar?* ] Hic versus abest a plerisque codicibus MSS. nihil tamen inepti continet: propterea Vossius in suam illum editionem admittere non dubitavit. Sunt qui legant *tua verba loquentem;* quod & ipsum probum est. Tibullus enim Elegia 2. lib. 3.

*Hæc mihi verba loqui pudor est - - -*

v. 10. *Vita frater amabilior* ] Modo memoratus Tibullus Elegia 4. lib. 3.

*Isque pater, quo non alter amabilior.*

v. 11. *At certe semper amabo* ] Vossius putat, τὸ *amabo* παρέλκειν, & interjectionem esse, elegantiæ caussa priscis auctoribus usitatam. Male, meo judicio. Catullus hoc sibi vult: Te quidem in posterum, frater, tuoque alloquio & conspectu frui non potero: at certe, quod unum solatium mihi reliquum est, amare & celebrare numquam desistam. Ut enim ait Propertius Elegia 10. lib. 2. E. B.

*Fas est præteritos semper amare viros.*

quamquam ibi poeta Umber de maritis vel amatoribus loquatur. Sed res omnino similis.

v. 12. *Tua morte* ] Ob tuam mortem; vel a tua morte potissimùm scribendi materiam petens.

ibid. *Canam* ] Theodoro Marcilio placet *tegam:* aliis *legam:* nempe amicis mea carmina audire cupientibus.

v. 13. *Qualia s. d. r. c. u.* ] Homerus eadem comparatione usus ad summum Penelopes mœrorem significandum, Odysseæ lib. 19. v. 518.

Ὡς δ' ὅτε Πανδαρέη κούρη χλωρηῒς ἀηδὼν
Καλὸν ἀείδησιν ἔαρος νέον ἱσαμένοιο,
Δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν,
Ἥτε θαμὰ ζωπῶσα χέει πολυηχέα φωνὴν,
Παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον - -

*Sicut autem quando Pandarei filia viridis luscinia*
*Pulchre canit, vere recens orto,*

Daulias, absumti fata gemens Ityli. )
Sed tamen in tantis mœroribus, Hortale, mitto
Hæc experta tibi carmina Battiadæ:

Ne

*Arborum in foliis sedens densis ,*
*Quæ frequenter versans fundit sonoram vocem ,*
*Filium lugens Itylum dilectum - -*

ibid. *Sub densis ramorum umbris* ] Ita Homerus: *Δενδρέων ἐν πετάλοισι πυκινοῖσιν*. Et fortasse Catullus nomen Daulidis regionis, vel urbis notare voluit. *δαυλὸς* enim Græcis *densus*.

ibid. *Daulias* ] Progne, filia Pandionis Athenarum regis , uxor Terei Thracis , qui regnavit in Daulide Phoeidis urbe , Parnasso monti propinqua . Hæc filium Ityn occidit , ut sororem Philomelam ulcisceretur, cui Tereus per vim stuprum obtulerat, & postea linguam absciderat; patrique inter epulas comedendum præbuit. Cum vero Tereus, re cognita, eam stricto gladio persequeretur, infelix mulier miseratione deorum in lusciniam mutata est, ut nonnulli tradunt *μυθολόγοι*. Legitur tamen in vulgaribus fabulis, ipsam hirundinis, Philomelam ejus sororem lusciniæ formam induisse. Auctor Ciris, poematis elegantissimi, v. 197.

*--Gaudete vagæ , blandæque volucres ,*
*Vosque adeo humani mutatæ corporis artus ,*
*Vos o crudeli fatorum lege puellæ*
*Dauliades gaudete: venit carissima vobis*
*Cognatos augens reges numerumque suorum*
*Ciris , & ipse pater. - -*

Virgilius Ecloga 6. v. 80. nomen uxoris Terei Philomelam fuisse opinari videtur. Ejus verba sunt:

*Aut ut mutatos Terei narraverit artus?*
*Quas illi Philomela dapes , quæ dona pararit?*

ibid. *Absumti* ] A patre devorati. Virgilius lib. 3. Æneid. v. 255.

*Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem ,*
*Quam vos dira fames nostraque injuria cædis*
*Ambesas subigat malis absumere mensas .*

ibid. *Fata gemens I.* ] Sophocles in Electra de luscinia vel hirundine Α῎ Ι῎τυν αἰεὶ Ι῎τυν γ᾽ ὀλοφύρεται. *Quæ Ityn semper Ityn lamentatur*. Horatius pariter Ode 12. lib. 4.

*Nidum ponit , Ityn flebiliter gemens*
*Infelix avis , & Cecropiæ domus*
*Æternum opprobrium , quod male barbaras*
*Regum est ulta libidines .*

v. 16. *Experta* ] Παθητικῶς. nempe quæ ipse sum expertus: quæ vertere de Callimacho tentavi . Propertius Elegia 3. lib. 3.

*Ite agite , experta bello date lintea proræ .*

Vossii lectionem sequor. Alii legunt *excerpta* , alii *expressa* .

ibid. *Battiadæ* ] Callimachi , grammatici & poetæ doctissimi , ex urbe Cyrene a Theræis colonis fundata . Hic Battiades appellatus fuit , vel quod Battum in progenitoribus numeraret , vel potius a Cyrene patria , quam Battus condiderat . Floruit Ptolemæi Philadelphi temporibus . Litteras publice docuit in Eleusine Alexandriæ vico: deinde in aulam & amicitiam regis receptus est . Octingenta volumina scripsit: ex quibus nostro tempore , præter paucos Hymnos & nonnulla Epigrammata , nihil superest . Callimachi studiosus valde fuit Catullus noster, ut ex ejus Carminibus, Elegiis præcipue, satis manifestum.

v. 17.

Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
  Effluxisse meo forte putes animo,
Ut missum sponsi furtivo munere malum
  Procurrit casto virginis e gremio,
Quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
  Dum adventu matris prosilit, excutitur,

At-

v. 17. *Credita ventis* ] Ita *credere ventis ratem* dixerunt poetæ.

v. 18. *Effluxisse animo* ] Memoria excidisse. Propertius Elegia 20. lib. I.

*Id tibi ne vacuo defluat ex animo.*

Cicero Epist. 14. lib. 7. *Antequam plane ex animo tuo effluo.*

v. 19. *Ut missum s. f. m. m.* ] Suavissima comparatio ( cujusmodi plerumque sunt Catullianæ ) ad oblivionem exprimendam, ornatumque singularem carmini conciliandum. Ponitur vero post rem ipsam similitudine illustratam: quemadmodum Virgiliana illa nobilis extremo libro 4. Georgicon:

*Ut, cum carceribus se se effudere quadriga,*
*Addunt se in spatia, & frustra retinacula tendens*
*Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.*

quam comparationem laudat Quinctilianus lib. 8. Instit. Orat. cap. 3.

ibid. *Sponsi furtivo munere* ] Amatoris videlicet seu proci: vel sponsi futuri, qui ad speratam suam miserit pomum clam cum epistola.

ibid. *Malum* ] Mala puellis missa obscœnum aliquid plerumque significabant, & pro concubitus pignore habebantur. Quapropter Acontius Cydippen pomo jacto fefellit: & pastorem illum Virgilianum Ecloga 3. *Galatea lasciva puella malo petit.* Alius vero pastor de se ait v. 70.

*Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta*
*Aurea mala decem misi, cras altera mittam.*

Aristænctus in Epistolis amatoriis: Πάμφιλος δὲ μήλου μικρὸν ἀποδακὼν εὐστόχως ἠκόντισεν κόλπον ἐκείνης. ἡ δὲ φιλήσασα μεταξὺ τῶν μασῶν ὑπὸ τῷ ἀποδέσμῳ, ἐνεστερνίσατο παρέβυσε. i. e. *Pamphilus mali frusto quod morsu decerpserat, perite admodum sinum ejus jaculatus est. Ea porro, ipsum osculata, sub fascia pectorali inter mammas abscondit.* Hunc locum scriptoris venustissimi attulit Douza filius, neque tamen Latine reddidit. Ceterum, de malorum usu in amatoriis, præter ceteros consulendi Constantius Landus Complani Comes in Explicatione Tumuli M. Cassii Cacurii, & Atiliæ Manduillæ: nec non Joannes Tollius in Comparatione Theocriti & Virgilii.

v. 20. *Procurrit* ] Procurrere dicuntur quæ longius excurrunt. Supra Carm. 63. v. 389.

*Conspexit terra centum procurrere currus.*

Maxime vero quæ per loca declivia ita feruntur, ut ægre admodum retineri & consistere possint. quemadmodum rotæ curruum, quæ propterea, ne in præceps eant, sufflamine addito retardari debent.

v. 21. *Quod misera oblita* ] Id sæpius accidere solet in sinu aliquid reponentibus. Maximus Planudes in vita Æsopi fabulatoris, prope finem, ubi scarabæi fabulam recitat: Ὁ δὲ Ζεὺς, inquir, ἀναστὰς ἐφ' ᾧ τὴν ὄνθον ἀποτινάξασθαι, καὶ τὰ ᾠὰ διέῤῥιψεν ἐκλαθόμενος, ἃ καὶ συνετρίβη πεσόντα. i. e. *Juppiter assurgens ut fimum excuteret, & ova abjecit oblitus, qua & contrivit dejecta.*

v. 23.

Atque illud prono præceps agitur decursu,
Huic manat tristi conscius ore rubor.

## L X V.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
Qui

v. 23. *Atque* ] Pro *statim* dictum volunt. Vide Janum Douzam patrem cap. ult. Præcidaneorum pro Catullo. Plautus Mercatore Ac. 2. Sc. 1. v. 32.

*Postquam hic id quod volui transegi; atque ego conspicor*
*Navem ex Rhodo, qua heri est advectus filius.*

Quod tamen minime necessarium est: potest enim esse conjunctio.

ibid. *Manat rubor* ] Pulcherrime ob oculos ponit subitum ruborem, virginis a matre deprehensæ genas pervadentem atque occupantem. Similiter Virgilius lib. 12. Æneidos v. 64.

*Accepit vocem lacrimis Lavinia matris*
*Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignem*
*Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.*

ibid. *Conscius* ] Tribuit pudori quod puellæ pudibundæ conveniebat. Puella enim sibi conscia est furtivi munusculi ab amatore accepti.

Argum. Carm. LXV. ] Hyginus Poetici Astronomici lib. 2. cap. 24. ubi de Leone signo Zodiaci, hæc scribit, Callimachum, ejusque interpretem Catullum unice illustrantia: *Sunt alia septem stella ad caudam Leonis in triangulo collocata, quas crines Berenices esse Conon Samius mathematicus, & Callimachus dicit: cum Ptolemaus Berenicem Ptolemai & Arsinoes filiam sororem suam duxisset uxorem, & paucis post diebus Asiam oppugnatum profectus esset, vovisse Berenicem, si victor Ptolemaus rediset, se detonsuram crinem: quo voto damnatum crinem in Veneris Arsinoes Zephyritidis posuisse templo: eumque postero die non comparuisse: quod factum cum rex agre ferret, Conon mathematicus (ut ante diximus) cupiens inire gratiam regis, dixit, crinem inter sidera videri collocatum: & quasdam vacuas a figura septem stellas ostendit, quas esse fingeret crinem.* Eadem fere tradit Arsenius, vir diligens atque eruditus, in Conlectaneis: cujus verba lege, si placet, apud Achillem Statium in Commentario ad Catullum. Porro hæc Berenice seu Beronice, (nam utroque modo scriptum invenitur hoc nomen) de qua Catullus verba facit, filia fuit & nurus Ptolemæi Philadelphi Ægypti regis, & Arsinoes majoris, quam in deos relatam, sub nomine Veneris Arsinoes vel Zephyritidis Ægyptii coluerunt: soror vero & conjux Ptolemæi Evergetæ, regis librorum studiosi, & doctorum hominum familiaritate gavisi. Carmen Callimachi, ex quo Veronensis poetæ Elegia, sane pulcherrima, summoque in pretio a Latinæ linguæ amatoribus habenda, tota expressa est, injuria temporis jampridem intercidit: si pauca fragmenta excipias, quæ nobis veterum Grammaticorum cura servavit. Utinam vero id Carmen exstaret. profecto ejus ope multa in Catullo fœde corrupta restitui possent, & (quod ait Muretus) plenam utilitatis voluptatem, utriusque doctissimi poetæ versibus expen-

Qui stellarum ortus comperit, atque obitus:
Flammeus ut rapidi Solis nitor obscuretur,
Ut cedant certis sidera temporibus,



pendendis atque inter se conferendis, nobis capere liceret.

v. 1. *Omnia q. m. d. l. m.* ] Coma ipsa Berenices in hac Elegia perpetuo loquens inducitur.

ibid. *Dispexit* ] Non tam oculis corporis, quam acie mentis pervidit, atque accurate perlustravit: hoc enim proprie est *dispicere*. Richardus Bentlejus, vir doctissimus & ingenio praecellenti, mallet, *descripsit*; quod verbum ad tabulas & ephemerides Astronomorum pertinet. Sed nefas est veterum auctorum locos, non addicentibus libris, pro arbitrio nostro diffingere & commutare.

ibid. *Lumina* ] Pro sideribus positum. Vossius legit *mœnia*; ut videlicet *mœnia mundi*, Lucretiano scribendi more, sint cæli extrema, & quasi limbus interiora undique circumplexus. Eam lectionem Bentlejus improbat, quod mœnia mundi plura non sint, ideoque pronomen collectivum adhiberi non oporteat. Quo tamen argumento minus moveor, qui sciam, *omne* pro *totum* in scriptis veterum haud raro usurpatum inveniri. Virgilius Æneid. lib. 3. v. 312.

*Hector ubi est? dixit, lacrimasque effudit, & omnem*
*Implevit clamore locum* - - - -

Cicero similiter lib. 2. Tuscul. Quæst. *In profundenda voce omne corpus intenditur*. Eodem pacto *omnia mœnia* dicere potuit Catullus, ut significaret, nullam cæli orarum partem a Cononis diligentia prætermissam fuisse.

ibid. *Mundi* ] Nempe *cæli*. Virgilius 1. Georgic. v. 5.

- - - - *Vos o clarissima mundi*
*Lumina, labentem cælo quæ ducitis annũ,*
*Liber, & alma Ceres* - - - -

qui dii Sol & Luna a nonnullis habiti fuere.

v. 2. *Comperit* ] Reperit, detexit, antea parum cognitos.

ibid. *Obitus* ] *Abitus* mallet Janus Meleager, ex libris vetustis. quoniam *abire* interdum sit occidere seu exstingui. Sed vulgata lectio prorsus retinenda. *Ortus & obitus stellarum*, vel *signorum*, vel *siderum*, solemnis est Latinis auctoribus locutio. Cicero lib. 1. de Divinatione: *Qui Solis, & Lunæ, reliquorumque siderum ortus, obitus, motusque cognoscunt, quo quidque tempore eorum futurum sit, multo ante prædicunt*. Virgilius 1. Georgicon v. 257.

*Nec frustra signorum obitus speculamur, & ortus.*

v. 3. *Rapidi Solis* ] Incredibili velocitate cæleste spatium permensi, secumque horas, dies, menses, annos, lustra, sæcula rapientis. Horatius Ode 9. lib. 2.

- - - - *Nec tibi Vespero*
*Surgente decedunt amores,*
*Nec rapidum fugiente Solem.*

ibid. *Obscuretur* ] Non quod lucem suam Sol amittat, verum quod a Luna interposita prohibeatur, quominus radios ad nos usque transmittat.

v. 4. *Cedant* ] Decedant, abeant, occidant. simplex pro composito. Horatius Epist. 6. lib. 1. v. 3.

- - - - *Et decedentia certis*
*Tempora momentis.* - - - -

ibid. *Certis sidera temporibus* ] Cicero pariter lib. 1. de Inventione: *Nam & signorum ortus & obitus definitum quemdam ordinem servant: & annua commutationes non modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt, verum ad u-*

Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans,
Dulcis amor gyro devocet aerio:

*tilitates quoque rerum omnium sunt accommodata*. Idem lib. 2. de Nat. Deorum: *Quis enim hunc hominem dixerit qui cum tam certos cæli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa & apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus?* Cum Tullio Manilius concinit lib. 1. Astronomicon a versu 474. ita scribens:

*Et quo clara magis possis cognoscere signa,*
*Non varios obitus nôrunt, variosque recursus:*
*Certa sed in proprias oriuntur sidera luces,*
*Natalesque suos, occasumque ordine servant.*
*Nec quicquam in tanta magis est mirabile mole,*
*Quam ratio, & certis quod legibus omnia parent.*
*Nusquam turba nocet, nihil ullis partibus errat,*
*Laxius, aut levius, mutatove ordine fertur.*
*Quid tam confusum specie, quid tam vice certum est?*

Tibullus denique Elegia 4. lib. 1.

*Annus agit certa lucida signa vice.*

ibid. *Sidera* ] Sidus proprie dicitur stellarum in unam figuram congregatio. Sic etiam Græcis *ἀστὴρ*, *stella* est seorsim accepta; *ἄστρον*, seu *ἀστερισμὸς*, *sidus: constellacio* Julio Firmico; unde Italicum *costellazione*.

v. 5. *Triviam* ] Lunam, sive Dianam, quæ, teste M. Varrone, ideo Trivia dicta fuit, quod in triviis coleretur. Propterea Græci eam *τριόδον* ac *τριοδῖτιν* appellaverunt: vel quia in cælo tribus viis moveatur, videlicet in altitudinem, latitudinem, longitudinem: vel ob triplicem Lunæ faciem, *κερατοειδῆ*, *διχότομον*, *πλήρη*: *cornutam*, *dimidiatam*, *plenam* (quod tradit Cleomedes lib. 2. de Mundo): vel postremo, quod triplicem Dianæ sive Hecatæ potestatem tribuerit antiquitas, in cælo nempe, in silvis, & apud inferos. de qua triplici potestate hi versus circumferuntur:

*Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana,*
*Ima, superna, feras, sceptro, fulgore, sagitta.*

Vide Lilii Gregorii Gyraldi Syntagma 12. de Diis Gentium.

ibid. *Furtim* ] Κρυπταδίως, *κρυφαίως*, *λεληθότως*. Ad amantium furta respicit Poeta.

ibid. *Latmia saxa* ] Latmus Cariæ mons, in quo venabatur Endymion formosus adolescens, a Luna dilectus, e fabulis notissimus. Ad hunc venatione fessum, & sub divo dormientem, cælo relicto Lunam ventitare, ipsumque osculari & amplecti solitam fuisse narrant. Quæ fabula inde originem duxit, quod Endymion præclaram Astronomiæ operam dederit, Lunæque præcipue cursum & *φάσεις* notaverit; quod Plinius testatur. Vossius tamen legit *Lamia saxa*: & juga Oetæ montis intelligit, ad cujus radices urbs Lamia sita fuit. Docet autem, Rhianum & Nicandrum pariter ea quæ in fabulis de Endymione traduntur, ad Oetam Thessaliæ montem retulisse. Ego vero caussam nullam esse video, quamobrem vulgata & ab omnibus recepta lectio moveri loco debeat.

ibid. *Relegans* ] Tamquam exsulem & compeditam.

v. 6. *Dulcis amor* ] Quo Diana Endymionem amabat.

ibid. *Gyro aerio* ] *Gyrum* proprie dice-

## Idem me ille Conon cæleſti in lumine vidit

E Be-

cebant flexum interiorem ad metam. vox ad circum ſive *ἱππόδρομον* pertinens, ubi quadrigarum curſu certabant. Propertius Elegia 12. lib. 3. de muliere Lacæna:

*Gyrum pulſat equis, niveum latus enſe revincit.*

Lunæ vero bigæ, & aliquando quadrigæ tribuuntur, ut & Nocti. Voſſius *clivo* legere mavult, eoſque a litteratorum contubernio excludit, ac tantum non diris devovet, qui hanc lectionem admittere noluerint. Elegans ea quidem eſt, fateor, nec temere improbanda. Quid ſit clivus in cælo, explicat Ovidius lib. 2. Metamorph. v. 63. Solis verbis ad Phaetontem filium:

*Ardua prima via eſt: & qua vix mane recentes*
*Enitantur equi - - - - - -*

Sed vereor ut nova ſit, atque ab ipſo Voſſio primum excogitata. Illam enim deprehendi notatam viri docti chirographo ſatis antiquo in margine exemplaris editionis Gryphianæ anni 1542. quod domi meæ ſervatur.

ibid. *Aerio* ] Cæleſti. Hinc Diana *ἄρτεμις*, quaſi *ἀερότεμις*, nempe *aerem ſecans*, dicta eſt, ut Grammatici tradunt, & Janus Douza filius animadvertit. Contra dixerunt veteres *aerem* pro *cælo*, & *caleſtes aquas* pro *pluviis* & *aeriis*. Lucretius lib. 4. v. 133. *In hoc cælo qui dicitur aer*. Ovidius lib. 2. Artis Amat. v. 352.

*Terraque caleſtes arida ſorbet aquas.*

v. 7. *Ille Conon* ] Τὸ *ille* hoc loco ſignificat virum excellentem ac fama celeberrimum. Sic legimus, a muliercula quadam Athenis amicæ indicatum fuiſſe Demoſthenem: Οὗτός ἐστι ἐκεῖνος ὁ Δημοσθένης. *Hic ille eſt Demoſthenes*. Ovidius de ſe ipſe Elegia ult. lib. 4. Triſtium:

*Ille ego, qui fueram tenerorum luſor amorum,*
*Quem legis, ut nôris, accipe, Poſteritas.*

Idem principium Æneidi fecerat Virgilius: quod poſtea Tucca & Varus ſuſtulerunt.

ibid. *Conon* ] Samius mathematicus inſignis, Ariſtarchi popularis; cujus, præter alios, meminit Virgilius Ecloga 3. v. 40.

*In medio duo ſigna, Conon: & quis fuit alter,*
*Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem?*

qua περιφράσει, docet Joſephus Scaliger lib. 1. de Emendatione Temporum, Archimedem Syracuſanum, Cononis familiarem, ſignificari: *orbem* vero hic eſſe, non terrarum orbem, aut cæli circulos, verum κύκλον ἐννεακαιδεκαετηρικόν, quam appellant Metonis. Etiam apud Propertium Elegia 1. lib. 4. ſit mentio Cononis:

*Me creat Archytæ ſoboles Babylonius Horos,*
*Horos, & a proavo ducta Conone domus.*

Hoc autem Catulli diſtichon cum proxime ſequenti, de Callimachi diſticho expreſſum eſt, quod ex Elegia in Comam Berenices, ut videtur, affert Arati Scholiaſtes. Ejus verba ſunt: Κόνων ὁ μαθηματικὸς Πτολεμαίῳ χαριζόμενος Βερενίκης πλόκαμον εἰς ἄστρα κατηστέρισε. τοῦτο δὲ Καλλίμαχός φησιν·

Ἠ δὲ Κόνων μ᾽ ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
Βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

i. e. *Conon mathematicus Ptolemæo gratificatus Berenices Comam ex ipſo inter ſidera collocavit. Hoc autem Callimachus alicubi dicit:*

*Et Conon me conſpexit in athere, Berenices Cincinnum, quem illa diis omnibus dedicavit.*

E Bereniceo vertice cæsariem
Fulgentem clare: quam multis illa deorum,
Lævia protendens brachia, pollicita est;
Qua rex tempestate novo auctus hymenæo
Vastatum fines iverat Assyrios,

Dul-

ibid. *Cælesti in lumine* ] In cælo tot sideribus relucente.

v. 8. *Bereniceo* ] Hæc derivatio Latinis durior aliquanto, quam Græcis. horum enim lingua volubilior. Propertius tamen horridius, mearum quidem aurium judicio, Elegia 1. lib. 2.

*Et Ptolemaea litora capta Phari.*

v. 9. *Multis deorum* ] Pro, *multis diis*, vel *deabus*. *πολλοῖς θεῶν*, vel *πολλῖσι θεάων*. *θεὸν* autem sæpenumero usurpant Græci poetæ pro *θεαὶ*, vel *θέαιναι*: *deum* pro *dea*. quod nec Latini veteres interdum refugerunt. Si deas accipimus, hæ fuerint Venus, Juventas, Charites, Musæ, ac nonnullæ aliæ quas *ἐϋπλοκάμους*, *bene comatas* appellare solent.

v. 10. *Levia brachia* ] Mollia, tenera. Supra Carm. 63. v. 332.

*Levia substernens robusto brachia collo.*

ibid. *Protendens* ] Ad cælum tollens; qui gestus erat supplicantium, & a diis aliquid poscentium.

ibid. *Pollicita est* ] Observavit Achilles Statius ex vetusto Persii Scholiaste, cirros, seu *σγόρτυς* certis numinibus consecratos fuisse, iis puta quibus æternam adolescentiam, pexumque ac promissum capillum tribuebant. Papinius tamen lib. 3. Silvarum, cæsariem Flavii Earini, ephebi pulcherrimi, a Domitiano Cæsare adamati, Æsculapio Pergamum usque missam in aurea pyxide, nobili carmine celebravit. Porro Æsculapius, quamquam Apollinis filius imberbis dei, barbatus, & cultu horridiore fingebatur.

v. 11. *Novo auctus hymenæo* ] Jampridem animadverterunt viri docti, Catullum in versu faciendo hiatibus delectari, & synalœphen haud raro negligere. Porro, altera syllaba voeis *auctus*, quæ brevis est, producitur tamen hoc loco, & ob moram cæsuræ, & ob adspirationem a qua incipit vox proxima. Quod alibi factum a poeta, & a nobis observatum.

ibid. *Auctus hymenæo* ] Eleganter; pro, *uxore ducta*. Sic *auctus filiolo* apud Ciceronem.

v. 12. *Vastatum* ] Vastare est depopulari, diripere. Italice *saccheggiare*.

ibid. *Fines* ] Plurima saue bella de finibus inter vicinas gentes, reges, ac civitates oriri solent.

ibid. *Assyrios* ] Nempe *Syrios*. Ægypti enim & Syriæ regibus perpetuum fere bellum inter se fuisse, ex historiis notum. Porro Assyrios cum Syris, & Assyriam cum Syria scriptores haud semel confuderunt. Id propterea factum, quod Syria veteribus *πολυώνυμος* esset, Syriæque appellatio non uni regioni tribueretur. quod testatur Plinius lib. 5. Nat. Hist. cap. 12. his verbis: *Juxta Syria litus occupat, quondam terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus. Namque Palæstina vocabatur, qua contingit Arabas; & Judæa; & Cœle; dein Phœnice: &, qua cedit intus, Damascena: & eadem Mesopotamia inter Euphraten & Tigrin: quaque transit Taurum, Comagene: & ultra Armeniam Adiabene, Assyria ante dicta: & ubi Ciliciam attingit, Antiochia.*

v. 13.

Dulcia nocturnæ portans vestigia rixæ,
   Quam de virgineis gesserat exuviis.
Estne novis nuptis odio Venus? anne parentum
   Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?

Non

v. 13. *Nocturnæ p. vestigia rixæ* ] Livorem, ac morsiunculas amatorias. Tibullus Elegia 7. lib. 1.

*Tum succos herbasque dedi, queis livor abiret*
*Quem facit impresso mutua dente Venus.*

Propertius Elegia 6. lib. 3.

*In morso æquales videant mea vulnera collo:*
*Me doceas livor mecum habuisse meam.*

Horatius Ode 13. lib. 1.

- - - - *Sive puer furens*
*Impressit memorem dente labris notam.*

Claudianus in Fescenninis v. 126.

*Tum victor madido prosilias toro*
*Nocturni referens vulnera prœlii.*

Hinc jocum amariorem petivit Cicero Oratione 7. in C. Verrem. *Scilicet*, inquit, *est metuendum, ne ad exitum defensionis tuæ vetus illa Antoniana dicendi ratio, atque auctoritas proferatur: ne excitetur Verres, ne denudetur a pectore, ne cicatrices populus Romanus aspiciat, ex mulierum morsu vestigia libidinis atque nequitiæ*. Porro huic versui Catulli similis est ille Virgilii in Catalectis:

*Horrida barbaricæ portans vestigia pugnæ.*

ibid. *Rixæ* ] Propertius Elegia 12. lib. 2. E. B. ubi de nocte Cynthiæ sibi concessa:

*Quantaque sublato lumine rixa fuit!*

Horatius Ode 6. lib. 1. memorat *prælia virginum Sectis in juvenes unguibus acrium*.

v. 14. *De virgineis exuviis* ] Ita Ovidius in Ibin v. 173.

*Deque tuo fiet (licet hac sis laude superbus)*
*Insatiabilibus corpore rixa lupis.*

*Virgineas exuvias* appellat poeta zonam virginitatis custodem, quam vir prima nocte uxori detrahebat. Vide quæ de illa diximus ad Carmen 2. v. ultimo. Ovidius pariter Epistola Oenones v. 140.

*Ille meæ spolium virginitatis habet.*

v. 15. *Estne novis nuptis odio Venus?* ] Coma Berenices ait, se dubitare, utrum puellæ virorum thalamos ingressæ, ex animo doleant virginitatis amissionem, an potius falsis lacrimis lætitiam parentum obturbent. Caussam vero dubitandi hanc affert: quod Berenice, discedente Ptolemæo, atque in Asiam proficiscente, graviter fortunam suam lamentata sit; id profecto alioqui non factura, si tantopere a conjugio & conjuge abhorruisset, ut puellæ nubentes videri volunt abhorrere.

v. 16. *Frustrantur gaudia* ] Nempe frustrari videntur: falsæ enim sunt lacrimæ ac vi expressæ, non veræ ac sponte fluentes. *Frustrari* est ψεύδεσθαι, defraudare, vel irritum facere. Cicero Epistola 14. lib. 12. *Si Syria spes eum frustrata esset.*

v. 17. *Ubertim* ] Abundantius, affluentius. Hoc sumsit Claudianus, diligens veterum imitator, de Laudibus Serenæ reginæ v. 213.

*Quis tibi tunc per membra tremor, quantæque cadebant*
*Ubertim lacrimæ, cum sæva vocantibus arma*

Non, ita me divi, vera gemunt, juverint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
Invisente novo prœlia torva viro.
Et tu vero orbum luxti deserta cubile,
Et fratris cari flebile discidium,

Quum

*Jam lituis, madido respectans limina vultu,*
*Optares reducem, galeæque inserta minaci*
*Oscula cristati raperes festina mariti?*

v. 18. *Non, ita me d. v. g. j.* ] Ordo syntaxeos paullo perturbatior; qui sic extricandus est: *Non gemunt vera, ita divi juverint me*. Est autem juramenti genus. Cicero Epist. 16. lib. 1. ad Atticum: *Sæpe, ita me dii juvent, te non solum auctorem consiliorum meorum, verum etiam spectatorem pugnarum mirificarum desideravi*. Dicebant etiam, aliquid sancte ac serio affirmaturi, *Ita sim felix*. Propertius Elegia 7. lib. 1.

*Atque, ita sim felix, primo contendis Homero.*

ibid. *Vera gemunt* ] Vere & ex animo. ἑλληνισμὸς. ut ille Virgilii notissimus *Multa gemens*: itemque *Crebra ferit*, pro *crebro*.

ibid. *Juverint* ] In dimensione hujus versiculi alterum *u* exteri debet. Videntur enim antiqui prius dixisse *juo*, & *juare*; deinde vero *u* geminavisse. Contra prius, *annuvit* pronuntiavere; deinde, littera detracta, *annuit*: quod ex Ennii versu constat lib. 2. Annalium:

*Annuvit se se mecum decernere ferro.*

Non desunt nihilominus qui legere malint *Annuit*, choræum scilicet pro spondæo substituentes. Priscian. autem l. 10. Grammaticæ tradit, eodem pacto a veteribus dictum *pluvisse* pro *pluisse*.

v. 19. *Me docuit* ] Fecit, ut intelligere possem.

v. 20. *Novo viro* ] Ptolemæo rege, cui paullo ante nupserat.

ibid. *Prœlia torva* ] Quod militum est, ad prœlia transtulit. Milites enim torvis & obliquis oculis hostem intueri solent. Horatius Ode 2. lib. 1.

*Acer & Marsi peditis cruentum*
*Vultus in hostem.*

v. 21. *Et tu vero* ] Ita Vossius ex libris manuscriptis. Duabus de caussis, ait Coma, Berenicen Ptolemæo discedente doluisse; quod is vir ipsi esset, & quod frater. atque ita objecta specie pietatis, removet ab ea suspicionem libidinis.

ibid. *Orbum cubile* ] Viduum. Ovidius Epist. Paridis v. 315.

*Sola jaces viduo tam longa nocte cubili:*

ibid. *Luxti* ] Syncope pro *luxisti*. Virgilius pariter lib. 4. Æneidos v. 682. *Exstinxsti te meque, soror*. pro *exstinxisti*. Abutitur hac figura pluribus in locis Horatius. legas enim apud ipsum, *divîsse*, *evâsti*, *puertia*, *surpuerat*, *surrêxe*, & alia similia.

v. 22. *Et fratris cari* ] Ptolemæus Evergetes Berenicen, sororem suam, uxorem duxerat, exemplum secutus Ptolemæi Philadelphi patris sui, qui germanam Arsinoen sibi matrimonio pariter junxerat, repudiata & relegata priore Arsinoe, Lysimachi regis filia. De Philadelphi sorore & conjuge Theocritus Idyllio 17. v. 130.

*Ἐκ θυμοῦ στέργοισα κασίγνητόν τε πόσιν τε.*
*Ex animo diligens fratrem atque maritum.*

Memorabilia sunt verba Scholiastæ ad eum locum poetæ Syracusani, & digna profecto quæ hic etiam legantur. Πτολεμαίῳ, inquit, τῷ Φιλαδέλφῳ συνώ-

κει

Quum penitus mœstas exedit cura medullas;
Ut tibi tunc toto pectore sollicitæ
Sensibus e rectis mens excidit! at te ego certe
Cognoram a parva virgine magnanimam.

An-

κει πρότερον Ἀρσινόη ἡ Λυσιμάχου· ἀφ' ἧς καὶ τοὺς παῖδας ἐγέννησε, Πτολεμαῖον, καὶ Λυσίμαχον, καὶ Βερενίκην. Ἐπιβουλεύουσαν δὲ ταύτην εὑρὼν, καὶ σὺν αὐτῇ Ἀμύνταν καὶ Χρύσιππον τὸν Ῥόδιον ἰατρὸν, τούτους μὲν ἀνεῖλεν· αὐτὴν δὲ ἐξέπεμψεν εἰς Κοπτὸν, ἢ εἰς τόπον τῆς Θηβαΐδος, καὶ τὴν οἰκείαν ἀδελφὴν Ἀρσινόην ἔγημε· καὶ εἰσεποιήσατο αὐτῇ τοὺς ἐκ τῆς προτέρας Ἀρσινόης γεννηθέντας παῖδας· ἡ γὰρ ἀδελφὴ καὶ γυνὴ αὐτοῦ, ἄτεκνος ἀπέθανεν. i. e. *Ptolemao Philadelpho uxor antea fuit Arsinoe Lysimachi, ex qua & liberos genuit, Ptolemaum, Lysimachum, & Berenicen. Cum vero eam insidias ipsi struentem invenisset, una cum Amynta, & Chrysippo Rhodio medico, hos quidem e medio sustulit: eam vero Coptum relegavit, vel in locum quemdam Thebaidos: & germanam sororem Arsinoen conjugem accepit. Ipsi porro adoptavit quos ex priore Arsinoe susceperat filios. nam soror & conjux ejus, sine liberis mortua est.*

ibid. *Discidium* ] Hæc vox, conjugum atque amantium discordiam plerumque significat. Verum hoc loco solam absentiam denotat, nempe corporum tantum, non etiam animorum disjunctionem.

v. 23. *Quum* ] Pro *quandoquidem*. Sic Tibullus Elegia 5. lib. 2.

*Et faveo morbo, quum juvat ipse dolor.*

v. 24. *Toto pectore sollicita* ] Ita locutus poeta noster superius Carm. 63. v. 69. de Ariadna:

*- - - Toto ex te pectore, Theseu,*
*Toto animo, tota pendebat perdita mente.*

v. 25. *Sensibus e rectis mens excidit* ] Hæc est lectio veterum codicum, teste Isaaco Vossio: nisi quod in iis conjunctim legitur *erectis*. Editiones doctorum virorum præferunt, *ereptis*. *Excidere* proprie dicuntur ea quæ casu aliquo imprudentibus elabuntur, præsertim quæ memoriæ mandata fuerant. *Sensus recti* sunt ὀρθαὶ φρένες.

ibid. *At te ego certe* ] Sic Elegia superiore v. 11. *At certe semper amabo*.

v. 26. *A parva virgine* ] Ἐκ μικρᾶς παρθένου, ab eo tempore cum esses virguncula. Eodem pacto Græci dicunt ἐκ παιδὸς, ἐκ νέου, ἐκ πρώτης ἡλικίας: *a puero, a juvene, a prima vel ineunte atate*. Ovidius lib. 3. Artis Amat. v. 75.

*Quasque fuisse tibi canas a virgine jurei,*
*Spargentur subita per caput omne coma.*

Terentius Eunucho Ac. 4. Sc. 6. v. 28.

*Hoc modo dic, sororem illam tuam esse, & te parvam virginem*
*Amisisse - - - - -*

Huc pertinet illud Ciceronianum Epist. 6. lib. 1. *Sed prasta te eum qui mihi a teneris ( ut Graci dicunt ) unguiculis es cognitus*. Et illud M. Varronis lib. 2. de Re Rustica cap. 1. *Itaque in bubulo pecore, minoris emitis anniculam, & supra decem annorum, quod a bima aut trima fructum ferre incipit. &c.*

ibid. *Magnanimam* ] Quæ magni animi specimina ediderit Berenice in adolescentia, refert Hyginus lib. 2. Poetici Astronomici cap. 24. his verbis: *Hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere, & ad Olympia mittere consuetam fuisse. Alii dicunt hoc amplius, Ptolemaum Berenices patrem multitudine hostium perterritum, fuga salutem petisse: filiam autem sape*

con-

Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Conjugium, quod non fortior ausit alis?
Sed tum mœsta virum mittens, quæ verba locuta es?
Juppiter, ut trîsti lumina sæpe manu!
Quis te mutavit tantus deus? an quod amantes
Non longe a caro corpore abesse volunt?

At

*consuetam, insiliisse in equum, & reliquam exercitus copiam constituisse, & complures hostium interfecisse, reliquos in fugam conjecisse, pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit. Eratosthenes autem dicit & virginibus Lesbiis dotem quam cuique relictam a parente nemo solveret, jussisse reddi: & inter eas constituisse petitionem.*

v. 27. *Bonum facinus* ] Εὐαραξίαν. *Facinus* factum est memorabile, a viro strenuo commissum, sive id bonum fuerit, sive malum. Tibullus Elegia 4. lib. 2.

*Illa malum facinus suadet, dominamque rapacem*
*Dat mihi: sacrilegas sentias illa manus.*

Hinc *facinorosi homines*; nempe audaces, malefici.

ibid. *Quo regium adepta es Conjugium* ] Videtur enim Berenice adeo præclaris editis facinoribus promeruisse, ut frater eam conjugem ceteris omnibus virginibus præoptaret.

v. 28. *Quod non fortior ausit alis* ] Quod alius nemo e numero fortium perficere aut suscipere auderet. *Fortior* hîc ἀντὶ τοῦ *fortis* positum est.

ibid. *Alis* ] Pro *alius*. ἀρχαϊκῶς. Ita Lucretius lib. 1. v. 264.

*Quando alid ex alio reficit natura - -*

pro *aliud*.

v. 29. *Mittens* ] Pro *dimittens*; quod Itali dicimus *accommiatare*. Noster supra Carm. 63. v. 216.

*Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus.*

ibid. *Quæ verba* ] Qualia. in quibus videlicet esset amoris, doloris, anxietatis plenissima significatio. Terentius Heautontim. Ac. 2. Sc. 1. v. 8.

*- - - Is mihi, ubi adbibit plus paullo, sua quæ narrat facinora!*

v. 30. *Juppiter* ] Exclamatio admirantis: cujusmodi est illa Carm. 1.

*Doctis, Juppiter! & laboriosis.*

ibid. *Tristi* ] Syncope, pro *trivisti*, a *tero*. qui enim copiosius flent, absergendis identidem lacrimis oculos terere ac fatigare solent. Eodem pacto Terentius Phormione Ac. 2. Sc. 2. v. 4. dixit *intrîsti* pro *intrivisti*:

*Tute hoc intristi: tibi omne est exedendum.*

quod Guarinus olim animadvertit.

v. 31. *Quis te mutavit t. d.* ] M. Antonius Triumvir in quadam Epistola ad Augustum, apud Suetonium in Octavio cap. 69. *Quid te mutavit? quod reginam ineo? uxor mea est.* Similiter Propertius Elegia 18. lib. 1.

*Quid tantum merui? quæ te mihi carmina mutant?*

ibid. *Tantus deus* ] Deus tam potens, tanta virtute. Cupidinem vero intelligit, deorum potentissimum. Virgilius Æneidos lib. 1. v. 718.

*- - Interdum gremio fovet, inscia Dido,*
*Insideat quantus miseræ Deus - -*

ibid. *Amantes Non longe a c. c. a. v.* ] Huc pertinent illa Terentii suavissima, Eunucho Ac. 3. Sc. 5. v. 25.

- - A. *Quid ex ea re tandem caperes commodi?*
CH. *Rogas? viderem, audirem, essem*

At quæ ibi, proh, cunctis pro dulci conjuge divis
Non ſine taurino ſanguine pollicita es,
Si reditum tetuliſſet! Is haut in tempore longo
Captam Aſiam Ægypti finibus addiderat.

Queis

*ſem una qua cum cupiebam, Antipho.*
*Num parva cauſſa, aut parva ratio eſt? - -*

Propterea ſapienter Seneca Epiſtola 69. *Ei qui amorem*, inquit, *exuere conatur, evitanda eſt omnis admonitio dilecti corporis*. Hujus rei cauſſas perſequitur Lucretius extremo libro 4. de Rerum Natura, ubi præcipue illud ad rem facit v. 1041.

*Idque petit corpus mens, unde eſt ſaucia amore.*

Et quæ ſequuntur poſtea v. 1056.

*Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula amoris*
*Abſterrere ſibi, atque alio convertere mentem.*

v. 33. *Proh* ] Scaligero adſentior, qui hoc loco interjectionem admittit. Præceſſit enim paullo ante exclamatio illa, *Juppiter!* Porro veteres interdum, cum indignarentur, *proh Juppiter!* exclamabant. Ovidius lib. 11. Metam. v. 41. de Orpheo a Bacchis occiſo:

*- - - Perque os, proh Juppiter! illud,*
*Auditum ſaxis, intellectumque ferarum*
*Senſibus, in ventos anima exhalata receſſit.*

v. 34. *Non ſine t. ſ.* ] Supra Carm. 63. v. 290.

*Non ſine latanti platano, fletaque ſorore*
*Flammati Phaetontis - - - - -*

Amat hunc loquendi modum Horatius. Nam Ode 23. lib. 1. *Non ſine vano Aurarum & ſilüæ metu.* Idem libro eodem Ode 25. *Non ſine queſtu.* Et Sat. 5. lib. 1. v. 80. *Lacrimoſo non ſine fumo.* Et Sat. 4. lib. 2. v. 29. *Albo non ſine Coo.* ac fortaſſe alibi.

ibid. *Taurino ſanguine* ] Pro *taurorum*. Pollicita eſt enim diis Berenice majores hoſtias, nempe taurorum ἑκατόμβας. Hac voce uſi ſunt, præter Catullum, Virgilius & Plinius. Claudiani quoque eſt in calce poematii de ſecundo conſulatu Stilichonis:

*- - - - Taurinaque pulſu*
*Baccharum Bromios invitant tympana remos.*

Poſt hoc diſtichon, lacunam in priſcis poetæ noſtri codicibus animadverterunt Alexander Guarinus, & Muretus: quæ tamen inſcitiam librariorum arguit, cum ſententiæ integritati nihil deeſſe videatur.

v. 35. *Si reditum tetuliſſet* ] Ita in Galliambo v. 47. *Reditum ad vada tetulit.* pro *rediit*. *tetuliſſet* vero pro *tuliſſet*. ἀρχαϊκῶς.

ibid. *Is haut in tempore longo C. A. Æ. f. addiderat.* ] Ita Voſſius optimorum codicum fidem ſecutus: & Aldinæ editiones. quibus adſentior.

ibid. *Haut* ] Pro *haud*.

ibid. *In tempore longo* ] *In* redundat eleganter. Sic apud Lucretium lib. 1. ver. 94.

*Nec miſeræ prodeſſe in tali tempore quibat.*

v. 36. *Captam Aſiam* ] Syriam Aſiæ partem. συνεκδοχή. *Captam* vero dixit, quam Græci appellant δορύκτητον γῆν, *terram haſta ſeu bello victam*. Ea vox legitur in verſibus antiqui poetæ de libris Pandectarum juſſu Juſtiniani Cæſaris compoſitis:

Ἄνθρωποι δ' Ἀσίης τε δορυκτήτου τε Λιβύασης
Εὐρώπης τε ἴσονται ὅλου σημάντορα κόσμου.
*Homines vero Aſia, & bello captæ Libyæ,*
*Atque Europa, parent totius principi mundi.*

v. 37.

Queis ego pro factis cælesti reddita cœtu
  Pristina vota novo munere dissoluo.
Invita, o regina, tuo de vertice cessi,
  Invita. adjuro teque, tuumque caput,
Digna ferat, quod si quis inaniter adjurarit.
  Sed qui se ferro postulet esse parem?

Ille

v. 37. *Queis ego pro factis* ] Pro quibus insignibus Ptolemæi victoriis. nam Berenice, Ptolemæo victore in Ægyptum reverso, voti damnata erat. conditio enim sive exceptio addita voto, jam impleta fuerat.

ibid. *Cælesti cœtu* ] Pro *cœtui*; quomodo Carm. 63. v. 385. *Mortali ostendere cœtu.*

ibid. *Reddita* ] Quæ diis vota & promissa sunt, reddi dicuntur. Propertius Elegia 21. lib. 2. E. B.

*Redde etiam excubias divæ nunc, ante juvencæ.*

v. 38. *Pristina v. novo m. d.* ] Τὸ *Pristina* & τὸ *novo* inter se opponuntur. Vel *novo* Catullus dixit, pro *non antea excogitato.*

ibid. *Dissoluo* ] Vox tetrasyllaba per diæresin.

v. 39. *Invita, o regina, t. d. v. r.* ] Macrobius jam olim animadvertit in Saturnalibus, Virgilium Æneidos lib. 6. v. 460. hunc poetæ nostri versum sic imitatum fuisse:

*Invitus, regina, tuo de litore cessi.*

v. 40. *Adjuro teque, tuumque caput* ] Quod sanctissimum fuit juramenti genus, præsertim apud Græcos. Juvenalis Sat. 6. v. 16. *Nondum Græcis jurare paratis Per caput alterius.* Vertisse autem videtur Catullus verba Callimachi ex hac Elegia, quæ occurrunt apud scriptorem Etymologici Magni verbo Θηλαμών:

Σήν τε κάρην ὤμοσα, σόν τε βίον.

*Adjuro tuum caput & vitam tuam.* Palæstinos per caput suum jurare solitos, colligimus ex Evangelio Matthæi cap. 5. v. 36. ubi Christus Dominus noster discipulos suos ab eo juramento deterret, his verbis: Μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς, ὅτι οὐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι. i.e. *Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.*

v. 41. *Digna ferat, q. s. q. i. a.* ] Ὑπέρβατον, sive impedita & præpostera syntaxis, cujusmodi fere est illa v. 18. hujus Elegiæ:

*Non, ita me divi, vera gemunt, juverint.*

Hoc autem pacto expedienda & ordinanda est: *Quod caput si quis adjurârit inaniter, ferat digna.* nempe; si quis per caput tuum pejeraverit, o regina, perferat ea quæ tanto suscepto scelere promeritus est.

ibid. *Inaniter* ] Frustra, temere, ματαίως, ut solent perjuri, deorumque contemtores. Ovidius lib. 2. Metamorph. v. 618. de Apolline, qui Coroniden occiderat:

*- - Medicas exercet inaniter artes.*

v. 42. *Qui s. ferro p. e. p.* ] Quis eam sibi vim & duritiem arroget, ut ferri naturæ ac rigori se obsistere posse confidat?

ibid. *Postulet* ] Sibi sumat, sibi tribuat. Eodem pacto loquitur Cicero lib. 1. de Oratore: *Nam quod tu non poteris,* inquit, *aut nescies, quis nostrum tam impudens est qui se scire aut posse postulet?*

v. 43.

Ille quoque eversus mons est quem maximum in oris
Progenies Thiæ clara supervehitur:
Quum Medi peperere novum mare: quumque juventus
Per medium classi barbara navit Athon. 46

Quid

v. 43. *Ille q. eversus mons est* ] Exemplo a re maxima & celeberrima petito quod modo dixerat confirmat, nihil esse videlicet quod cum ferri virtute comparari possit. Nam si montes ferro evertuntur, quid capillis fiet, infirmissimæ omnium rei?

ibid. *Maximum in oris* ] Insigni & mira altitudine: qui *a planitie excurrit in mare L X X V. mill. pass.* verba sunt Plinii lib. 5. Nat. Hist. cap. 10. De hoc monte ita Solinus Polyhistoris cap. 17. *Praterea oppidum Myrrhina, in cujus forum mons Athos e Macedonia umbram jacit: quod non frustra inter miracula notaverunt, cum Athos a Lemno sex & octoginta millibus passuum separetur. Est sane Athos sublimis adeo, ut altior æstimetur quam unde imbres cadunt. quæ opinio eo fidem concepit, quod in aris quas cacumine sustinet, numquam cineres eluuntur, nec quicquam ex aggeribus suis perdunt: sed quo relicti fuerint cumulo permanent. In summo & oppidum Acrothon fuit, in quo dimidio longior quam in aliis terris, incolentium ætas prorogabatur: ideo inde homines μακροβίους Græci, nostri appellavere longævos.* Ipso autem verborum & numerorum delectu exprimit poeta Athonis altitudinem. *In oris.* i. e. in litoribus.

v. 44. *Progenies Thiæ* ] Vossii lectionem probo, neque explicationem improbo. Thia Hyperionis conjux, ut fabulis traditum, mater Solis credita fuit. Porro Sol genuit Æetam Colchorum regem, cujus filii Medea & Medus; unde natio Medorum: qui propterea *Thiæ progenies* recte dici potuerunt. Bentlejus tamen rectius existimat, Solem ipsum hic intelligendum esse; ut Catulli, seu potius Callimachi, ea sententia sit: *Quid crines adversus ferrum facient; cum ferro eversus sit Athos, omnium montium supra quos Sol vehitur, maximus?* Pleræque editiones legunt *Phthiæ:* quas olim secutus fueram. Locum vero ita exponebam: Phthia oppidum Thessaliæ fuit, ex quo Achilles. Macedonum autem reges, & fortasse Ptolemæos, appellavit Catullus *progeniem Phthiæ*, quod nimirum essent Alexandri Magni successores, qui maternum genus ducebat ab Achille Phthio Græcorum fortissimo. Vide Curtium lib. 4. cap. 6. & Vellejum Paterculum lib. 1.

ibid. *Clara* ] Illustribus factis nobilitata; si de Medis intelligamus, non de Sole.

ibid. *Supervehitur* ] I. e. navibus olim supervecta est. Tempus præsens pro præterito. ποιητικῶς.

v. 45. *Peperere novum mare* ] Ita Cicero lib. 5. Tuscul. Quæst. non procul ab initio, ubi miris laudibus philosophiam extollit: *Tu urbes peperisti. Novum mare* dicit, quod Ægæi maris aquas circum radices Athonis montis duxerint Medi, fossa excavata.

v. 46. *Per medium Athon* ] De hac sive historia, sive fabula ita Pomponius Mela lib. 2. de Situ Orbis cap. 2. *Athos mons est adeo elatus, ut credatur altius quam unde imbres cadunt, surgere. . . . . . . . . . . Ceterum non promontorio, ut alii, verum totus est, totoque longe dorso procedit in pelagus: qua continenti adhæret, a Xerxe in Grajos tendente perfossus, transnavigatusque, & factus freto navigabili pervius.* Fabulam censet Juvenalis Sat. 10. v. 173.

Quid facient crines, quum ferro talia cedant?
Juppiter, ut Χαλύβων omne genus pereat!

Et

- - - - - - *Creditur olim*
*Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax*
*Audet in historia: constratum classibus iisdem,*
*Suppositumque rotis solidum mare. credimus altos*
*Defecisse amnes, epotaque flumina Medo*
*Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.*

ibid. *Classi* ] Pro *classe*. Ita *parti* pro *parte* dixit Lucretius lib. 6. v. 557.
*Conlectus parti ex una procumbit.* - -

ibid. *Navit* ] Pro *navigavit*. Sic Tibullus Elegia 7. lib. 1.
- - - *In liquida nat tibi linter aqua.*

v. 47. *Quid facient crines* ] Animadvertit Josephus Scaliger, versum 16. Eclogæ 3. Virgilii,
*Quid faciant domini, audent cum talia fures?*
ad hujus Catulliani exemplar factum fuisse.

v. 48. *Juppiter ut* ] Formula optantium & voventium; qua Græci usi sunt priores. Homerus Iliados lib. 4. v. 288.
Αἲ γὰρ Ζεῦ τε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον,
Τοῖος πᾶσιν θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γένοιτο.
*Utinam enim, o Juppiterque pater, & Minerva, & Apollo,*
*Talis omnibus animus in pectoribus esset!*
Auctor Bœotiæ Comœdiæ apud A. Gellium lib. 3. cap. 3.
*Ut illum dii perdant primus qui horas repperit!*
Horatius Sat. 1. lib. 2. v. 43.
*Juppiter, ut pereat positum rubigine telum,*
*Nec quisquam noceat cupido mihi pacis!* - - -
Videtur autem hæc formula sumta ex augurali disciplina. T. Livius lib. 1. Histor. verbis auguris, Numam Pompilium, novum Romanorum regem, consecrantis: *Juppiter pater*, ........ *ut tua signa nobis certa ac clara sint inter eos fines quos feci!* In his exemplis *ut* pro *utinam* positum est, quemadmodum & apud Ovidium Epistola Laodamiæ v. 161.
*Perque, quod ut videam canis albere capillis,*
*Quod tecum possis ipse referre, caput.*
Vide tamen Janum Douzam patrem cap. 3. Præcid. pro Catullo.

ibid. Χαλύβων ] Angelus Politianus, litteratorum sui temporis facile princeps, Miscellaneorum cap. 68. jam olim germanam hujus loci lectionem subodoratus est: quam pulchre constitutam Scaliger & Vossius frustra sollicitare conati sunt, ille substituenda voce *scelicum*, hic *celtum*. Hunc enim versum & sequentes duos expressit Catullus de his Callimachi, quos recitat Scholiastes Apollonii Rhodii ad lib. 2. Argonautic. v. 375.
- - - Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος,
Γειόθεν ἀντέλλοντα, κακὸν φυτὸν, οἵ μιν ἔφηναν.
- - - *Ut Chalybum genus pereat,*
*Qui illud e terra nascens monstrârunt, stirpem malam!*
Idem loquendi genus ante Callimachum Homerus usurpaverat Hymno in Mercurium v. 309. Ὢ πόποι ὡς ἀπόλοιτο βοῶν γένος. *Papæ, utinam periisset boum genus!* Chalybes populi sunt Themyscirenæ regionis, ultra Cappadociam, insignes opere fabrili. de quibus ita Valerius Flaccus lib. 5. Argonautic. v. 141.
*Nocte sub extrema clausis telluris ab antris*
*Pervigil auditur Chalybum labor; arma fatigant*

*Ruri-*

Et qui principio sub terra quærere venas
Institit, ac ferri fingere duritiem.
Abjunctæ paullo ante comæ mea fata sorores
Lugebant, quum se Memnonis Æthiopis
Unigena impellens nutantibus aera pennis

Obtu-

*Ruricolæ, Gradive, tui: sonat illa creatrix*
*Prima manus belli terras crudelis in omnes.*
*Nam prius ignoti quam dura cubilia ferri*
*Eruerent, ensesque darent; odia ægra sine armis*
*Errabant, iraque inopes, & segnis Erinnys.*

v. 49. *Principio* ] Primum, ab ultima inventionis origine. Virgilius 4. Æneidos v. 56.

*Principio delubra adeunt.* - - -

ibid. *Venas* ] Nempe ferri metalla.

v. 50. *Institit* ] Hoc verbum attentos homines, & rei alicui studiose operam dantes, quos Græci dicunt *σπουδάζοντας*, proprie significat. Plautus Captivis Ac. 3. Sc. 4. v. 52. *Hegio, vide sis, ne quid tu huic temere insistas credere.* Livius lib. 30. Histor. *Institit deinde reputare secum ipse, quemadmodum promissi fidem præstaret.* Auctor Carminis in Priapum Epigram. 68.

*Sed rudis hic dominum toties audire legentem*
*Institi, Homeriacas edidicique notas.*

ibid. *Fingere* ] Formare, malleo ducere, atque ita humanis usibus accommodare.

ibid. *Duritiem ferri* ] Lucretius lib. 1. v. 493. pari, vel majori elegantia dixit *rigorem auri, & glaciem æris.*

*Conlabefactatus rigor auri solvitur æstu:*
*Tum glacies æris flamma devicta liquescit.*

v. 51. *Abjuncta comæ* ] Ita legit Vossius cum antiquis editionibus. Josephus Scaliger malebat *Abrupta*; quæ lectio minus placet: non enim satis ex decoro abrumpi dicuntur comæ e capite reginæ. *Abjungere*, proprie est res uno & eodem jugo copulatas diducere ac dissociare. Virgilius lib. 3. Georgic. v. 517.

- - - - - *It tristis arator,*
*Mærentem abjungens fraterna morte juvencum.*

Propertius lib. 2. Elegia 14. E. B.

*Quam prius abjunctos sedula lavit equos.*

Verum & ad alia transfertur.

ibid. *Mea fata* ] Meum infortunium; quod scilicet mihi invitæ a vertice Berenices discedendum fuerit.

ibid. *Sorores* ] Non enim capillos omnes Berenice sibi absciderat, sed tantum eos qui capitis verticem ornabant. *Comæ sorores* Catullo sunt crines ad tempora, ad frontem, ad occipitium relicti. Eodem prope pacto Ovidius plures libros diversis temporibus a se compositos, *fratres* vocavit; quod animadvertit Achilles Statius.

v. 52. *Memnonis Æthiopis* ] Memnon Tithoni ex Aurora filius fuit, qui cum ex Orientis finibus adversus Græcorum exercitum subsidio Trojanis venisset, ab Achille, vel, ut alii tradunt, ab Achillis cohortibus interfectus est.

v. 53. *Unigena* ] Frater uterinus, nempe ex eadem matre genitus, quamquam ab alio patre. Ventos enim Astræi & Auroræ filios esse, tradit Hesiodus in Theogonia v. 378. quem locum Statius & Vossius attulerunt.

ibid. *Nutantibus pennis* ] Trepidantibus. Ovidius lib. 1. Metam. v. 506.



Sic

Obtulit Arſinoes Chloridos ales equus.
Iſque per ætherias me tollens advolat umbras,
Et Veneris caſto conlocat in gremio.
Ipſa ſuum Zephyritis eo famulum legarat,

Gra-

*Sic aquilam penna fugiunt trepidante columba.*

v. 54. *Obtulit* ] Stitit, atque exhibuit ſe ſe. Virgilius lib. 2. Æneidos v. 589.

*Cum mihi ſe, non ante oculis tam clara, videndam*
*Obtulit, & pura per noctem in luce refulſit*
*Alma parens, confeſſa deam - - -*

ibid. *Arſinoes Chloridos* ] Hanc poſtea Zephyritiden appellat. Ceterum Arſinoe Ptolemæi Philadelphi ſoror & conjux, Berenices de qua Callimachus, mater adoptiva, nomine Chloridos & Veneris ab Ægyptiis colebatur. Ita major Berenice, mater Philadelphi, relata fuerat in deos; quam Theocritus Idyllio 17. magnificis laudibus in cælum extollit. Vide tamen quæ adnotamus ad verſum 57.

ibid. *Ales equus* ] Recte monuit Voſſius, pleroſque ventorum a veteribus poetis tamquam equos alatos inductos fuiſſe. Et ſane Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 610.

*- - - - Fundunt ſe carcere læti*
*Thraces equi, Zephyruſque, & nocti concolor alas,*
*Nimborum cum prole Notus - - -*

*Thraces equi* Valerio ſunt venti a Thracia, ſive a ſeptemtrionibus, flantes. Hoc autem loco poetæ noſtri *ales equus Chloridos* eſt Zephyrus, ſive Argeſtes, quem ventum Chloridi florum deæ tribuebant.

v. 55. *Me tollens* ] Proprium enim ventorum eſt comas, rem leviſſimam, ſecum abripere.

ibid. *Umbras* ] Omnino ita legendum, non *auras*: noctu enim Coma e Veneris æde ſublata fuit. Claudianus tamen de 3. Conſ. Honorii v. 164.

*Ingrediturque globum Lunæ, limenque relinquit*
*Arcados, & Veneris clementes advolat auras.*

ibid. *Caſto in gremio* ] Venerem pudicam, & legitimorum conjugiorum præſidem ſignificat: uxor enim viri amantiſſima eam Comam Veneri ſe ſuſpenſuram promiſerat. Ideo autem gremii poeta mentionem facere videtur, quod Venus, mulierum gremio attrectando, iis formam & gratiam, & quæcumque viros illicere ſolent, conciliare crederetur. Theocritum teſtem produco Idyllio 17. v. 36. de majore Berenice:

Τᾶς μὲν Κύπρον ἔχοισα Διώνας πότνια κώρα
Κόλπον ἐς εὐώδη ῥαδινὰς ἐσεμάξατο χεῖρας·
Τῷ, ὄπω τινὰ φαντὶ ἁδεῖν τόσον ἀνδρὶ γυναῖκα
Ὅσον περ Πτολεμαῖος ἑὰν ἐφίλασεν ἄκοιτιν.

*Hujus, veneranda filia Diones quæ Cyprum tenet,*
*In gremio odorato graciles attrectando immiſit manus.*
*Itaque nullam umquam mulierem viro tantum placuiſſe ferunt,*
*Quantum Ptolemæus ſuam amavit conjugem.*

v. 57. *Zephyritis* ] Vel quod Chloris uxor eſſet Zephyri, vel potius a Zephyrio Ægypti promontorio, ubi Arſinoes inſigne templum fuit, ſi Stephano credimus, Callimachum auctorem laudanti. Propterea Richardus Bentlejus, vir doctiſſimus, verſu 54. hu-

Grata Canopîis in loca litoribus,
Sidere ibi vario ne solum in lumine cæli,
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa Corona foret: sed nos quoque fulgeremus
Devotæ flavi verticis exuviæ.

Uvi-

hujus Elegiæ mavult legere *Arsinoes Locridos*, pro *Chloridos*. Locri enim Ozoli Pentapolin Africæ tenuerunt, in qua fuit Zephyrium promontorium, si Ptolemæum audimus in Geographia. Nemo enim veterum memoriæ prodidit Arsinoen seu Venerem cognomento Chlorida. Et Achilles Statius olim testatus fuerat, duos MSS. Catulli codices a se diligenter inspectos *Locridicos* pro *Chloridos* habuisse: in tertio vero *Locritos* exstitisse.

ibid. *Famulum* ] Zephyrum, seu Argesten.

ibid. *Legârat* ] Miserat eum hoc mandato, quasi legatum.

v. 58. *Grata in loca* ] Nempe in Ægyptum, regionem sibi gratissimam, cujus quondam regina fuerat.

ibid. *Canopîis litoribus* ] A Canopo insula & urbe Ægypti celeberrima, prope id Nili ostium sita quod ab ea Canopicum vel Canopîum dictum est.

v. 59. *Sidere ibi vario* ] Vossii lectionem sequor, utpote facilem atque expeditam. Legeram olim adolescens, *Ludit ubi*, & versu præcedenti, *Gnata*, *incola*: & de ipsa Berenice Arsinoes filia cum Josepho Scaligero explicaveram, quæ nimirum Ægyptum incoleret, & ad Nili ripas cum puellis delicatis e regio comitatu ludere soleret. Talem describit Medeam Æetæ regis filiam Valerius Flaccus lib. 5. Argonautic. v. 342.

*- - - - Fluvios ripamque petebat*
*Phasidis, aquali Scythidum comitante catervâ.*
*Florea per verni qualis juga duxit Hymetti,*
*Aut Sicula sub rupe choros, hinc gressibus hærens*
*Pallados, hinc cara Proserpina juncta Diana.*

ibid. *In lumine cæli* ] Ita superius v. 7.

*Idem me ille Conon cælesti in lumine vidit.*

v. 60. *Ex Ariadneis temporibus* ] Hæc verissima lectio est: cui, præter Alexandrum Guarinum, Theodorus Marcilius, & pleræque editiones suffragantur, inter alias Aldinæ duæ, & Gryphiana anni 1542. Falluntur porro qui legunt *Aut* pro *Ex*: plures enim μυθολόγοι consentiunt, non Ariadnam ipsam, verum Coronam ex ejus capite, in sideribus collocatam fuisse.

ibid. *Ariadneis temporibus* ] Ita superius v. 8.

*E Bereniceo vertice cæsariem.*

v. 61. *Corona* ] Cum Ariadna Libero nuberet in insula Dia, hanc primum Coronam muneri a Venere & Horis accepisse dicitur, cum omnes dii in ejus nuptiis dona conferrent. Hanc postea Bacchus in cælum sustulit, & sideribus annumerari voluit. Hoc sidus positum est ad Scorpionem: de quo consulendi sunt Hyginus Poetici Astronomici lib. 2. cap. 5. & Servius Honoratus ad illum Virgilii versum e lib. 1. Georgicon:

*Gnosiaque ardentis decedat stella Corona.*

v. 62. *Devota* ] Diis promissæ. Cicero Paradoxo 1. *Qua vis patrem Decium? qua filium devovit, & immisit in armatas hostium copias?* Hinc *virgines*

Uvidulum a fluctu cedentem ad templa deûm me
Sidus in antiquis diva novum poſuit.
Virginis & ſævi contingens namque Leonis
Lumina, Calliſto juſta Lycaonida,

Ver-

*nes devota* pro *Deo conſecrata*, etiam apud Chriſtianos. Auſonius in Parentalibus, Carm. 6. cujus lemma: *Æmilia Hilaria matertera, virgo devota:*

*Feminei ſexus odium tibi ſemper: & inde*
*Crevit devota virginitatis amor.*
*Quæ tibi ſeptenos novies eſt culta per annos,*
*Quique ævi finis, ipſe pudicitia.*

ibid. *Flavi verticis*] Flavi crines apud veteres in pretio erant: & in reginis præcipue commendabantur. Virgilius lib. 4. v. 698. de Didone moritura:

*Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem*
*Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.*

v. 63. *Uvidulum a fluctu*] Hanc veterum codicum lectionem exquiſitæ ac reconditæ eruditionis apparatu confirmat Iſaacus Voſſius: cujus hæc ſumma eſt. Catullus, Callimachi veſtigiis inſiſtens, fingit, Comam Berenices, Oceani Heſperii vaporibus antea madefactam, a Zephyro demum vel Argeſte in cælum ſublatam eſſe. Nam & mortuorum animas per Oceanum ad campos Elyſios migrare ultra ipſum collocatos, vulgarium hominum, & poetarum quoque vulgi erroribus blandientium, perſuaſio fuit. *Sidus* igitur *uvidulum a fluctu*, eſt maris, vel aeris marini humore roſcidum atque imbutum.

ibid. *Cedentem*] Incedentem, vel accedentem. Simplex pro compoſito. Plautus pariter Aulul. Ac. 3. Sc. 5. v. 41.

*Strophiarii aſtant, aſtant ſemizonarii.*
*Jam hoſce abſolutos cenſeas: cedunt, petunt.*

ibid. *Ad templa deûm*] Ex augurum diſciplina templum erat locus apertus, ex quo plagæ mundi omnes aſpici poterant; & cæleſtia etiam ſpatia *templa* vocabantur. unde verbum *contemplari*. Ennius in Hecuba:

*O magna templa cælitum,*
*Commixta ſtellis ſplendidis.*

Idem lib. 1. Annalium apud M. Varronem lib. 6. de Lingua Latina:

*Unus erit, quem tu tolles ad cærula cæli*
*Templa - - - - -*

v. 65. *Virginis & ſ. c. n. L.*] Qua in regione cæli poſita ſit Coma Berenices, ab aliorum ſiderum vicinitate luculenter oſtendit. Habet autem hoc ſidus (ut recte Scaliger) ab ortu Booten, ſive Arctophylaca, ab occaſu dorſum Leonis, a ſeptemtrionibus poſteriores pedes Urſæ majoris, a meridie Virginem.

v. 66. *Lumina*] Stellas quæ Leonis ἀστερισμὸν efficiunt, mira luce fulgentes; vel ſidus ipſum a ſtellis conſtitutum.

ibid. *Calliſto juſta Lycaonida*] Calliſto, Lycaonis Arcadum regis filia, ut fabulæ tradunt, virgo formoſa, & Dianæ comitum una fuit. Hanc a Jove per dolum vitiatam Juno zelotypa in urſam convertit: Juppiter vero ex urſa ſidus fecit Helices nomine, ac prope polum Arcticum in cælo collocavit. Ceterum *juſta* pro *juxta* ſcriptum a Catullo ἀρχαϊκῶς. Hujus porro vocis altera ſyllaba plerumque longa eſt: hoc tamen loco (quæ veterum poetarum licentia) præter morem corripitur. quemadmodum & imperativis *puta*, *commoda*, aliquando contingit. Auctor Carminis in Priapum Epigr. 37.

Ut

Vertor in occasum tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quamquam me nocte premunt vestigia divûm,
Luce autem canæ Tethyi restituor:
( Pace tua fari hæc liceat, Rhamnusia virgo;

Nam-

*Ut Phœbo puta, filioque Phœbi.*
Noster vero superius Carm. 10. v. 26.
*Quæso, inquit, mihi, mi Catulle, paullum*
*Istos commoda; nam volo ad Serapin*
*Deferri - - - - -*
Ausonius pariter in Præfatione ad Theodosium Augustum v. 16. alteram syllabam vocis *contra* corripuit:
*- - - - Laudata pudoris*
*Sæpe mora est: quotiens contra parem dubites.*

v. 67. *Tardum Booten* ] Cum enim Arctophylax moveatur in circulo mundi brevissimo, utpote ejus vertici proximo, tarde admodum procedere videtur: stellæ, contra, sitæ prope maximum circulum æquinoctialem, qui cælum universum in duas æquales partes dispescit, alteram a septemtrione, alteram a meridie, summa celeritate convertuntur. Eodem tamen temporis intervallo sidera omnia inerrantia suas periodos absolvunt, & ad punctum unde discesserant, revertuntur. Id autem quomodo fiat, neque sphæricæ rationis ignari intelligere possunt; neque præsentis est instituti copiosius declarare.

v. 68. *Alto Oceano* ] Vel tumido ac globoso, vel profundo. *Altum* enim ἀκλῶς dicebant pro ipso mari. Virgilius I. Æneid. v. 3.
*-- Multum ille & terris jactatus & alto.*

v. 69. *Me nocte p. vestigia divûm* ] Dictum elegantissime. Ita Manilius lib. I. Astronomic. v. 799. de Heroibus cælo receptis, & in Orbe Lacteo ævum beate agentibus:
*Altius ætherei quam candet circulus orbis,*
*Illa deûm sedes: hæc illi, proxima divûm,*
*Qui virtute sua similes, vestigia tangunt.*
Virgilius pariter Ecloga 5. v. 56.
*Candidus insuetum miratur limen Olympi,*
*Sub pedibusque videt nubes, & sidera Daphnis.*
Jacobus vero Sannazarius, par antiquis poeta, in Arcadia Ecloga 5.
*E co i vestigi santi*
*Calchi le stelle erranti.*
Huc pertinet illud Propertii Elegia 8. lib. I. παροιμιῶδις, ad amorem propitium significandum:
*Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis.*

v. 70. *Canæ Tethyi restituor* ] In Oceanum recido, atque ibi gremio Tethyos Oceani uxoris excipior. Vulgus enim hominum existimabat, sidera de nocte solum in cælo versari, adveniente autem die aquis Oceani submergi. Huic vulgari opinioni blandiuntur poetæ. Propertius Eleg. 4. lib. 4.
*Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.*

v. 71. *Rhamnusia virgo* ] Alibi de hac dea verba fecimus. Porro Coma, cum caput reginæ Berenices universo siderum contubernio, atque adeo ipsi cælo prælatura sit, ad Rhamnusiam seu Nemesin orationem prius convertit, quæ scilicet dea, magnifica verba, superbasque animi cogitationes

pu-

Namque ego non ullo vera timore tegam,
Non si me infestis discerpant sidera dictis,
Condita quin vere pectoris evolüam )
Non his tam lætor rebus, quam me absore semper,
Absore me a dominæ vertice discrucior.
Quîcum ego, quum virgo quondam fuit, omnibus expers
Unguentis, murrhæ millia multa bibi.

Nunc

punire & coercere solita erat. Petit autem veniam ab illa, ne forte nimia loquendi libertate irritabile ipsius numen offendat.

v. 72. *Non ullo v. timore tegam* ] Non impediet me timor, quominus id quod sentio eloquar, & in apertum proferam.

v. 73. *I. discerpant sidera dictis* ] Mirus loquendi modus. cui tamen similis est ille Ciceronis, *verborum contumeliis aliquem lacerare*. Hîc Richardo Bentlejo non assentior, suspicanti, a Catullo scriptum fuisse *dextris*, non *dictis*.

v. 74. *Condita pectoris evolüam* ] *Condita* pro *arcana*, *secreta*. Accius apud Nonium verbo *Componere:*

*Composita dicta ex pectore evolvunt suo.*

*Evolvere* hoc loco significat linguæ volubilitatem, ac simul orationis copiam & celeritatem: *παῤῥησίαν* præterea seu loquendi libertatem. *Evolüam* porro tetrasyllabum per diæresin.

v. 75. *Non his tam lætor rebus* ] Quod nimirum superi me pedibus noctu premant, & quod diurno tempore cum Oceani uxore familiariter mihi versari liceat.

ibid. *Absore* ] Theodorus Marcilius utrobique pro *absore* legendum censet *ab fore*. ita vero dictum existimat *a vertice dominæ*, quomodo superius *Ex Ariadneis temporibus*.

v. 76. *Discrucior, me absore* ] Discrucior, quod absutura sim. *φράσις* notatu digna.

v. 77. *Quîcum ego* ] Cum qua, scilicet.

ibid. *Omnibus expers Unguentis* ] I. e. nullis unguentis delibuta, ut virginis comam decebat. *Expers* cum sexto casu occurrit etiam apud Sallustium in Catilina cap. 34. *Omnes fama, atque fortunis expertes sumus*. & apud Lucretium lib. 2. v. 1090.

*Quæ bene cognita si teneas, natura videtur*
*Libera continuo, dominis privata superbis,*
*Ipsa sua per se sponte omnia diis agere expers.*

nempe sine deorum opera, ut alibi loquitur.

v. 78. *Murrhæ m. m. bibi* ] Ita legit Vossius ex vestigiis antiquæ scripturæ. Mirificam vero & quantivis pretii affert explicationem. Virgines, ait, honestiores olim ab unguentis abstinebant, & simplici oleo capillum ungebant. Id Callimachi ac Theocriti testimonio satis constat. quibuscum Homerus concinit Odysseæ lib. 6. v. 79. ubi Nausicaæ Alcinoi Phæacum regis filiæ abeunti mater, præter cetera,

Δῶκε δὲ χρυσέῃ ἐν ληκύθῳ ὑγρὸν ἔλαιον,
Εἵως χυτλώσαιτο σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξίν.
*Dedit etiam aurea in ampulla humidum oleum,*
*Ut ungeretur cum ministris mulieribus.*

Verum Athenæus monet lib. 15. ab Homero unguentum ipsum olei nomine vocatum fuisse, addito epitheto aliquo;

Nunc vos, optato quæ junxit lumine tæda

Non

liquo; puta δροσοέντι, ῥοδόεντι, ἀμβροσίῳ. Murrhâ vero seu stacte virginibus etiam ungi licebat, quod succus ille plantæ in unguentis non haberetur: hæc enim fere composita erant. Propterea Theophrastus in eo quem de Odoribus conscripsit libello, ςακτὴ, sive τὸ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον, ait, e nonnullorum sententia, μόνον ἁπλοῦν εἶναι καὶ ἀσύνθετον τῶν μύρων. i. e. *solum ex unguentis simplex esse, minimeque compositum*. Addit præterea Vossius, eumdem Persis fuisse morem qui Græcis & Romanis: id autem colligit ex divino Estheræ volumine cap. 11. v. 12. Ita vir doctissimus loco poetæ nostri obscurissimo, fœde corrupto, immo prope desperato, suppetias ivit, neque solum medicinam adhibuit, verum etiam præclaram attulit lucem. Quæ cum ita esse concedam, nihilominus non dissimulaverim, puellas innuptas ungendis capillis ita myrrham usurpavisse, ut matronæ tamen, ac meretrices quoque ipsæ ab ejusmodi unctione penitus non abstinuerint. Sane Propertius Elegia 2. lib. 1. eam exprobrat Cynthiæ suæ, tamquam valde sumtuosam, & certissimum luxuriæ argumentum. Ejus verba sunt:

*Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,*
*Et tenues Coa veste movere sinus?*
*Aut quid Orontea crines perfundere myrrha,*
*Teque peregrinis vendere muneribus?*

Quin immo viri deliciis fracti, & mulierculaarum simillimi, hoc potissimum succo nitorem comæ conciliabant. Propterea Turnus apud Maronem Æneid. lib. 12. v. 97. ita de rivali Ænea ad hastam suam:

- - - - *Da sternere corpus,*
*Loricamque manu valida lacerare revulsam*
*Semiviri Phrygis, & fœdare in pulvere crines*
*Vibratos calido ferro myrrhaque madentes.*

Dicendum igitur videtur, a nobilissimis tantum virginibus, & privatam pæne sortem supergressis, myrrham sine reprehensione adhiberi potuisse, adeo ut ejusdem abusus puellis plebejis vitio verteretur, insignemque in illis morum corruptelam significaret.

ibid. *Millia multa bibi* ] Eodem pacto Carm. 5. v. 10.

*Dein quum millia multa fecerîmus.*

& Carm. 60. v. 210. *Multa millia ludi*. Berenice enim, quum virgo adhuc foret, sæpenumero & ἀκειθμένως capillos myrrha persperserat.

v. 79. *Nunc* ] Particula hæc transitionibus inservit. Lucretius lib. 1. v. 830.

*Nunc & Anaxagoræ scrutemur homœomeriam.*

& lib. 2. v. 1003.

*Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.*

ibid. *Nunc vos, o. q. j. l. t.* ] Hunc versum, ac tres proxime sequentes, quos Hieronymi Avantii licentia corruperat, ex antiquis codicibus optime restituit Josephus Scaliger. Ita vero syntaxis ordinari debet: *Nunc vos, corpora, quæ tæda junxit lumine optato conjugibus non post unanimis, nudantes papillas rejecta veste, tradite mihi munera jucunda, quæ onyx mihi libet.* Singula mox declarabo.

ibid. *Optato lumine* ] Propterea quod virgines viripotentes, tametsi dissimulare consueverint, nihilominus tacitis votis nuptiarum diem sibi advenire desiderant. *Lumine* usurpavit Catullus pro *die*. Sic infra v. 90. *festis luminibus*.

ibid. *Tæda* ] Tædis enim accensis novam nuptam ad mariti domum deducebant. Vide Carmen 60. Horatius Ode 11. lib. 3.

Z z    *Una*

Non poſt unanimis, corpora, conjugibus;
Tradite, nudantes rejecta veſte papillas,
Quæ jucunda mihi munera libet onyx:
Voſter onyx, caſto petitis quæ jura cubili.
Sed quæ ſe impuro dedit adulterio,
Illius ah mala dona levis bibat irrita polvis.

Nam-

*Una de multis, face nuptiali*
*Digna* - - - - -

v. 80. *Non poſt unanimis conjugibus* ] Maritis, videlicet, qui poſtea unanimi futuri non erant, neque in concordia permanſuri.

ibid. *Corpora* ] I. e. puellæ, corporibus eximiis. Virgilius 1. Æneid. ver. 71.

*Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ.*

Idem *corpora* pro curſoribus dixit Æneidos lib. 5. v. 318.

*Primus abit, longeque ante omnia corpora Niſus*
*Emicat* - - - - -

v. 81. *Tradite, nudantes &c.* ] Cum in eo eſtis, ut cum legitimis conjugibus concumbatis, mihi munera tradite, nempe unguenta ex onyche depromta.

ibid. *Nudantes* ] Catullus cum paullo ante dixerit *corpora*, ſubjungit *nudantes*, referens hoc participium ad rem intellectam & ſubauditam, ad puellas nimirum, non ad vocabulum neutrius generis, quod antecedit. Similiter locutus eſt Lucretius lib. 4. v. 1268.

*Idque ſua cauſſa conſuêrunt ſcorta moveri,*
*Ne complerentur crebro, gravidæque jacerent.*

*Gravidæ* dixit, nempe mulieres meretrices, quamquam præceſſerit *ſcorta*.

ibid. *Rejecta veſte* ] Virgilius 5. Æneidos v. 421.

*Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum.*

v. 82. *Quæ* ] Aſſentior Tanaquillo Fabro homini acuto, ita legenti; ut Anna Daceria ejus filia teſtatur. Scaliger malebat *Qua*, pro *Ut*. Neque tamen in Catullo nimiam τῶ *quæ* repetitionem ſatis probare poſſum.

ibid. *Jucunda mihi munera* ] Scilicet unguenta exotica, quibus Coma regia mirum in modum delectaretur.

ibid. *Libet* ] Effundat in aram e pyxide vel vaſculo, tamquam deæ.

ibid. *Onyx* ] Vaſculum ex onyche ſive alabaſtrite, lapide pretioſo, quo veteres unguenta ſervabant. Horatius Ode 12. lib. 4.

*Nardi parvus onyx eliciet cadum.*

Id & *alabaſtrum* dicebant.

v. 83. *Veſter onyx* ] Ἀϊαφορὰ Catullo valde uſitata.

ibid. *C. petitis quæ jura cubili* ] Quæ conjugum veſtrorum amorem, ut fas eſt, vobis reſtitui flagitatis. *Petere jura*, eſt rem ſibi debitam poſcere. Noſter ſupra Carm. 60. v. 151.

*Nupta tu quoque, quæ tuus*
*Vir petet, cave ne neges.*

v. 84. *Dedit* ] Prima ſyllaba producta, a *dedo*. Ideſt obligat, & quaſi mancipio dat.

v. 85. *Mala dona* ] Diis minime accepta, qui non donum ipſum, at donantis animum & perſonam æſtimare ſolent.

ibid. *Levis bibat irrita polvis* ] Hæc locutio proverbii vicem obtinere mihi vi-

Namque ego ab indignis præmia nulla peto.
Sic magis, o nuptæ, ſemper concordia voſtras
Semper amor ſedes incolat aſſiduus.
Tu vero, regina, tuens quum ſidera, divam
Placabis feſtis luminibus Venerem;
Unguinis expertem non ſiveris eſſe: tuam me

Sed

videtur. Simillimum eſt illud Propertii Elegia ultima lib. 4. de precibus non exauditis:

*Te licet orantem fuſca deus audiat aula,*
*Nempe tuas lacrimas litora ſurda bibent.*

v. 86. *Præmia* ] Sacrificia videlicet, ac libationes, quæ beneficiis deorum debentur.

v. 87. *Sic magis* ] Cum hæc præſtiteritis, o nuptæ, ſpondeo vobis e ſententia omnia eventura: finem querelarum fore: maritos veſtros fidem inviolatam vobis in poſterum ſervaturos, voſque ex animo deinceps amaturos. Vel eſt precatio & votum felicitatis, cujuſmodi plura in ſcriptis poetarum.

v. 89. *Tuens quum ſidera* ] Qui enim rem divinam facerent, aut deos orarent, oculos & manus ad cælum attollere conſueverant. Propterea Caſſandra ita deſcribitur a Virgilio Æneidos lib. 2. v. 405.

*Ad cælum tendens ardentia lumina fruſtra:*
*Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.*

v. 90. *Placabis* ] Credebant enim, occiſis victimis, deos iratos placari. Horatius Epiſt. 16. v. 58.

*Quandocumque deos vel porco vel bove placat.*

Hoc verbum aliquando ſignificat deo alicui facere, quamquam ille ſacrificio nihil moveatur. hanc ſignificationem prætermiſerunt λεξικογράφοι. Idem Horatius teſtis Ode 14. lib. 2.

*- - - Nec pietas moram*
*Rugis & inſtanti ſenectæ*
*Afferet, indomitæque morti.*
*Non ſi trecenis, quotquot eunt dies,*
*Amice, places illacrimabilem*
*Plutona tauris - - - -*

ibid. *Feſtis luminibus* ] Ἐν ἑορταῖς. diebus feſtis. Sunt qui legant *liminibus*. quod explicandum eſſet de liminibus foribuſque templorum ornatis.

ibid. *Venerem* ] Nimirum Arſinoen.

v. 91. *Unguinis expertem* ] Funde mihi unguenta, quæ ſcis a me omnibus hoſtiis longe anteferri. Probo mirificam Richardi Bentleji conjecturam, hoc loco ita legentis. Editiones habent *Sanguinis*. Fuit autem valde facilis harum duarum vocum inter ſe commutatio. Veteres enim librarii, cum ipſis vox *unguinis* inſolens videretur, pro ea ſubſtituerunt *ſanguinis*, adjecta *ſ* littera, & *u* in *a* converſo.

ibid. *Tuam me Sed potius l. effice m.* ] Ita nos primi omnium interpungimus, locumque vexatiſſimum expeditum damus. Ait enim Coma: Quamdiu cum reliquis ſideribus in cælo verſabor, me colito unguentorum effuſione: ſed mihi gratius facere nihil potes, quam ſi largis muneribus offerendis Veneri ſupplicaveris, ut ejus ope me rurſus tuam efficere poſſis, mihique liceat in ſedem veterem e nova remigrare. Caput enim tuum, o regina, unde ſum ablata, cælo ipſi præferendum, ſem-

Sed potius largis effice muneribus.
Sidera cur iterent? utinam coma regia fiam.
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

LXVI.

per existimavi. Vel, *effice me tuam*, fuerit, redde me tibi propitiam. *Dii* enim *sui*, sunt dii propitii, quod vel ex Ovidio satis constat. Tibullus contra Elegia 3. lib. 3.

*At si pro dulci reditu quæcumque voventur,*
*Audiat aversa non meus aure deus.*

i. e. iratus, offensus. Prior tamen interpretatio vera est.

v. 92. *Largis e. muneribus* ] Horatius Ode 1. lib. 4.

*- - - Quandoque potentior*
*Largis muneribus riserit æmuli.*

Bentlejus tamen eo loco *Largi* mavult legere.

v. 93. *Sidera cur iterent?* ] Subaudiendum *dii*, vel *homines*. Quid opus est, ait Coma, sidera geminare, sive eorum numerum augere? Eodem pacto Propertius Elegia 1. lib. 4. dixit,

*- - Obliquæ signa iterata rotæ.*

Vel *iterent* positum est pro *iterentur*: Theodorus Marcilius legebat, *Sidera cur inter?* nimirum, quid me oportet sideribus annumerari, atque interesse?

v. 94. *Proximus H. f. O.* ] Hanc lectionem, pulchre olim ab Angelo Politiano, Criticorum sui temporis facile principe, Miscellaneorum cap. 69. constitutam, & argumentorum pondere confirmatam, alii perperam sollicitare ausi sunt. sed nullo successu. Hoc autem sibi vult Catullus: Ne ego Coma Berenices diutius in cælo sim, conjungantur sidera pluvia, nempe Hydrochous & Orion, ut nimius aquarum casus orbem terrarum inundet: perturbetur astrorum ordo, & disjunctissima quæque sidera unum in locum concurrant. id per me licet: nihil pensi habeo. Similis concessio illa pastoris morituri apud Virgilium Pharmaceutria v. 58. *Omnia vel medium fiant mare*. Huc etiam pertinet Senecæ locus memorabilis e lib. 6. de Beneficiis cap. 22. *Hoc dicis, Omnia ista ingentibus intervallis diducta, & in custodiam universi disposita, stationes suas deserant, subita confusione rerum sidera sideribus incurrant, & rupta rerum concordia in ruinam divina labantur, contextusque velocitatis citatissimæ, in tot secula promissas vices in medio itinere destituat*. Lege quæ sequuntur, si vaeat. Hæc si Critici majorum gentium animadvertissent, non tam profecto ineptivissent, ut Catullum, seu Callimachum, qui Conone familiariter utebatur, tamquam Astronomiæ rudem, & siderum situs ignarum, *ἀπαιδευσίας καὶ ἀϊστορησίας* accusare non dubitarent.

ibid. *Hydrochoi* ] Ὑδροχόος Græcis est Aquarius seu Ganymedes, unum e duodecim signis Zodiaci, ita dictum *ὅτι χέει τὸ ὕδωρ, quod aquam fundat*. *Hydrochoi* autem tertius est casus, ita fere declinatus quemadmodum ab *Orpheus*, dativus *Orphei*. Virgilius lib. 4. Georgicon v. 545.

*Inferias Orphei Lethæa papavera mittes.*

ibid. *Fúlgeret* ] Pro *Fulgeat*, secunda brevi. a *fulgero*. Ita Scaliger. Cui favent miro consensu tres vetusti codices Bibliothecæ Saibantium Veronæ. vel pro *fulgêret*, a *fulgo*, *fulgis*. quod minus probo.

ibid. *Oarion* ] Ἀντὶ τοῦ *Orion*. ἐπένθεσις Αἰολική. Rutilius Numatianus lib. 1. Itinerarii v. 637.

*Namque procelloso subjungitur Oarioni,*
*Æstiferumque Canē roscida præda fugit.*

Quod alii priores viderunt.

AR-

# LXVI.

## CATULLUS.

O Dulci jucunda viro, jucunda parenti,
Salve, teque bona Juppiter auctet ope,

Ja-

Argum. Carm. LXVI. ] Impudiceæ atque inceftæ mulieris Januam cum ipfo colloquentem poeta inducit, dominæque fuæ flagitia & fcelera partim circuitione & anfractu, partim etiam plane & aperte memorantem. Porro *in hiftoriis cognofcendis* quæ hac Elegia continentur, *multum operæ collocandum non putat* M. Antonius Muretus. Immo *ftultum effe* pronuntiat, *quæ ita fcripfit Catullus, ut ne tum quidem, nifi a paucis, quibus hæ res cognitæ effent, voluerit intelligi, ea fe quemquam hodie credere conjectura affecuturum.* Mureti fententiæ fubfcribit Voffius. Ego vero, tametfi non invitus conceſſerim, obfcurum effe ac perplexum hujus Elegiæ argumentum, neque ullo modo, *quis aut ille fenex Balbus, aut invalidus filius, aut officiofus pater, aut ceteri denique participes hujus tam honeftæ focietatis fuerint*, me dicturum effe pollicear: fpero tamen, ea in medium allaturum, quæ fi non vera & ex tripode ( nemo enim tanta confidentia eft, qui hoc affirmare velit ) faltem valde fimilia fint veri, & certe fibi ipfa non repugnent; quod fuperiorum interpretum explicationibus nonnumquam videmus accidere. Manum igitur operi.

v. 1. *O dulci jucunda viro* ] Fortaffe, quod vir adulteria uxoris æquo ac fupino animo ferret, immo advenientes blande comiterque excipere foleret, donis eorum delinitus, aut potentia perterritus. Hujufmodi autem viri *dulces* & *commodi* vulgo audiunt.

ibid. *Jucunda parenti* ] Pater enim familias eum uxore filii fui, quam virginitate antea fpoliaverat, corpus mifcere non definebat, etiam poftquam illa jam corrupta, ex domo priore in hanc novam commigraverat.

v. 2. *Salve* ] Sic & peregre profecturi, januas & limina domuum fuarum falutabant. Charinus adolefcens apud Plautum Mercatore Ac. 5. Sc. 1.

*Limen fuperum inferumque falve, fimul autem vale.*
*Hunc hodie poftremum extollo mea domo patria pedem.*

ibid. *Teque b. Juppiter auctet ope* ] Huc pertinent illa Ovidii lib. 1. Faftorum v. 611. a Statio Lufitano jam obfervata:

*Hujus & augurium dependet origine verbi,*
*Et quodcumque fua Juppiter auget ope.*

Plautus pariter Perfa Ac. 2. Sc. 3. v. 1.

*Jovi opulento, incluto, Ope gnato, fupremo, valido, viripotenti,*
*Opes, fpes, bonas copias commodanti lubens meritoque vitulor.*

Idem Prologo Amphitruonis v. 6.

*Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro*
*Quafque incepiftis res, quafque inceptabitis.*

Et Epidico Ac. 2. Sc. 2. v. 8.

Dii

Janua: quam Balbo dicunt serviſſe benigne
Olim, quum ſedes ipſe ſenex tenuit:
Quamque ferunt rurſus voto serviſſe maligno,
Poſtquam es porrecto facta marita ſene.

Dic

*Dii hercle omnes me adjuvant, augent, amant.*
Memorabilia ſunt in hanc rem verba P. Scipionis in Africam trajicientis, apud Livium lib. 29. *Divi, divæque,* ait, *qui maria terraſque colitis, vos precor quæſoque; quæ in meo imperio geſta ſunt, geruntur, poſtque gerentur ....... ea vos omnia bene juvetis, bonis auctibus auxitis.* Hac porro locutione vulgatus quoque Interpres Geneſeos cap. 20. v. 29. uti non dubitavit: *Sed cum pace dimiſimus auctum benedictione domini.*

v. 3. *Balbo* ] Harum ædium olim domino.

ibid. *Serviſſe benigne* ] Gratificatam fuiſſe, ut probo tamen hero & pudico januam frugi decebat. Non igitur Balbo, veteri domino, Janua turpe officium præſtabat, ſcortis admittendis & perducendis: verum lucra potius honeſta, nuntios de rebus proſpere geſtis, Bonam denique Fortunam, intromittebat, quam veteres per domorum januas tranſire, atque in ædibus felicium hominum habitare, ſibi perſuadebant. Iccirco avarus ille Euclio apud Plautum Aulularia Ac. I. Sc. 2. v. 20. ſic edicit aniculæ domus cuſtodi:

*Profecto in ædes meas me abſente neminem*
*Volo intromitti: atque etiam hoc prædico tibi,*
*Si Bona Fortuna veniat, ne intromiſeris.*

M. Tullius autem Oratione 6. in Cajum Verrem: *Nullum, inquam, horum ( ſignorum ) reliquit, neque aliud ullum tamen, præter unum pervetus ligneum, Bonam Fortunam, ut opinor. eam iſte domi ſuæ habere noluit.* Ceterum *benigne* hîc eſt large, ἀφθόνως, ſine invidia. Cicero lib. 2. Officiorum: *Nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia.*

v. 4. *Sedes ipſe ſenex tenuit* ] Balbus enim, ut videtur, prædii hujuſce urbani dominus, in ipſa domo ſua habitare gaudebat: quam poſtea novus dominus inquilinis locavit. Non diſplicet Jani Douzæ filii conjectura. *Olim quum has ædes.* Propertius Elegia 17. lib. 2.

*- - - Tenuit namque Creuſa domum.*

v. 5. *Voto ſerviſſe maligno* ] Cæcilius enim, Balbi heres futurus, cœlibis hominis & locupletis, ejus mortem diutius optaverat, ut mature hereditatem apiſceretur. dicit autem Catullus, impio hujuſmodi voto januam vel invitam ſervire debuiſſe: per ipſam enim cadaver ſenis ad rogum & ſepulturam elatum fuerat.

v. 6. *Porrecto ſene* ] *Porrectus*, aliquando eſt rigens, jacens, vel in feretro compoſitus, ut ſolent cadavera. Horatius Epodo 10.

*Opima quod ſi præda curvo litore*
*Porrecta mergos juveris.*

Perſius vero Satyra 3. v. 103.

*- - - Tandemque beatulus alto*
*Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis,*
*In portam rigidos calces extendit - - -*

Cadavera enim extra portam urbis vel oppidi prolatis pedibus ad rogum efferebantur: & antequam efferrentur, ita domi collocabantur, ut pedes januam verſus protenderent: quo habitu extremam & ultimam abitionem ſignificabant. id teſtatur Hadrianus Turnebus Adverſar. lib. 23. cap. 23.

ibid.

Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deſeruiſſe fidem.

## JANUA.

Non, ita Cæcilio placeam, quoi tradita nunc ſum,
Culpa mea eſt, quamquam dicitur eſſe mea.

Nec

ibid. *Facta marita* ] Nam, Balbo mortuo, in has ædes admiſiſti nuptam mulierem, quamquam infamem quæſtu meretricio; & iccirco ipſa *marita*, i. e. *maritalis*, facta es. Quo ſignificatur, Balbum illum ſenem, priorem dominum, cœlibem atque orbum vixiſſe: cui plerumque hominum generi vultures heredipetæ ( ut Petroniano verbo utar ) inſidiari ſolent. *Maritam* pro *maritali* dixit Horatius Carmine ſæculari: *Proliſque nova feraci Lege marita*. Juvat hîc recitare verba Joſephi Scaligeri: *Matrona Romana, ſimul ac in mariti manum convenerant, lectum ante januam ſibi in atrio ſternebant, qui dicebatur adverſus lectus. Propertius* ( Elegia ultima lib. 4. )

*Seu tamen adverſum mutârit janua lectum,*
*Sederit aut noſtro cauta noverca toro.*

Quem Romanarum morem ſecutas fuiſſe mulieres municipales, credibile admodum eſt.

v. 7. *Mutata* ] Priſtinam conſuetudinem oblita, & ab illa quæ olim fueras, omnino diverſa facta. Propertius Elegia 4. lib. 1.

*Quid mihi tam multas laudando, Baſſe, puellas*
*Mutatum domina cogis abire mea?*

v. 8. *In dominum veterem d. f.* ] Quamquam Balbus ille, homo frugi ad plures abierat, nihilominus Janua, novi domini & novorum inquilinorum perditis moribus inſerviendo, fidem quaſi fallere videbatur, veteri domino obligatam. *Odioſum enim eſt*, ut ait Cicero lib. 1. Officiorum, *cum a prætereuntibus dicitur:*

*O domus antiqua, heu quam diſpari dominare domino!*

& in ædibus quondam caſtis & dignitate plenis popinam & lupanar ſubito aſpicere. Quapropter alia janua ſenatoriæ olim ac triumphalis domus ita indignatur apud ſuaviſſimum Propertium Elegia 16. lib. 1.

*Quæ fueram magnis olim patefacta triumphis,*
*Janua Tarpeja nota Pudicitia:*
*Cujus inaurati celebrârunt limina currus,*
*Captorum lacrimis humida ſupplicibus:*
*Nunc ego nocturnis potorum ſaucia rixis,*
*Pulſata indignis ſæpe queror manibus.*

v. 9. *Cæcilio* ] Novo domino, qui Balbi hereditatem aptus fuerat: hac vero domo familiam inceſtam & obſcœnam exceperat; ipſe ( ut probabile admodum exiſtimo ) unus adulterorum eo ventitantium, & cui fortaſſe mulier inquilina penſionem annuam pro habitatione debitam corpore ſolvebat. Non placet Statii Luſitani conjectura, ſuſpicati ſcilicet, hunc Cæcilium, fuiſſe poetam illum Catulli familiarem, cujus perhonorifica mentio fit ſuperius Carmine 35. qui ſcilicet poema de Berecynthia ſive Magna Matre inchoaverat. Puella enim quæ Cæcilium poetam deperibat, Novi Comi

mi

Nec peccatum a me quisquam pote dicere quicquam.
  Verum isti populo Janua quid faciat?
Qui quacumque aliquid reperitur non bene factum,
  Ad me omnes clamant: Janua, culpa tua est.

CATULLUS.

Non istuc satis est uno te dicere verbo:
  Sed facere, ut quivis sentiat, & videat.

JANUA.

Qui possum? nemo quærit, nec scire laborat.

CA-

mi habitabat, non Veronæ, aut Brixiæ. Præterea Catullus non tam humanitatis vel amicitiæ fuisset immemor, ut homini docto sibique amicissimo, puellæ item eruditæ ac poeseos amanti, turpem adulterii aut lenocinii notam vellet inurere.

ibid. *Tradita* ] Pertinet hoc verbum ad contractus & hereditates. Ita apud Ciceronem in Oratione pro Sex. Roscio A. legimus, *Tradia vacua alicui tradere*.

v. 11. *Pote* ] Ἀρχαϊκῶς. Subaudi *est*. *Pote est*: unde qui secuti sunt Latini, fecerunt *potest*. Auctor Ciris v. 328.

*Non ego te incepto, fieri quod non pote, conor,*
*Flectere, Amor* - - - - -

v. 12. *Verum i. p. Janua quid faciat?* ] Non tot ornatus Vertumno fuerunt, quot hujus versiculi lectiones a Criticorum licentia excogitatæ sunt. Quapropter, cum adolescens hos amorum triumviros ederem, eum delendum censueram, & lacunam hoc loco reliqueram. Sed præstat Isaaco Vossio auscultare, qui hanc lectionem protulit, minime omnium a vestigiis veterum codicum abeuntem, facilem præterea, & Catulli elegantia non alienam.

ibid. *Quid faciat?* ] Hujusmodi formulis utebantur veteres, cum inopiam consilii, ex rei necessitate ortam, significare vellent. Terentius Eunucho Ac. 5. Sc. 1. v. 15.

*Quid facerem? ita ut tu jussti, soli credita est.*

Virgilius Ecloga 1. v. 41.

*Quid facerem? neque servitio me exire licebat,*
*Nec tam præsentes alibi cognoscere divos.*

Auctor Carminis in Priapum, Epigram. 2.

*-- Quid faciam? crassa Minerva mea est.*

v. 13. *Quacumque* ] Subaudi *ratione*, aut *via*. Sic inferius Carm. 75.

*Difficile est: verum hoc qualubet efficias.*

v. 15. *Istuc* ] Ἀρχαϊκῶς, pro *istud*. Eodem pacto *istic* pro *iste*, *illic* pro *ille* non semel occurrit apud Comicos poetas.

ibid. *Uno te dicere verbo* ] Simpliciter affirmare, sine ulla facti expositione, sine ullo argumentorum pondere. Sic apud Ciceronem, *verbo affirmare*, vel *negare*, est argumentis carere, quibus ita rem esse, vel non esse aperte demonstrari possit.

v. 17. *Nemo quærit, n. s. l.* ] Tergiversatur Janua, ne flagitia dominæ

suæ

## CATULLUS.

Nos volumus: nobis dicere ne dubita.

## JANUA.

Primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
  Falsum est. non quî illam vir prior attigerit,
Languidior tenera cui pendens sicula beta
  Numquam se mediam sustulit ad tunicam:

Sed

suæ palam proferat. Juvenalis Satyra 14. versu 207. notissimo:

*Unde habeas quærit nemo, sed oportet habere.*

ibid. *Nec scire laborat* ] Φροντίζει, curat, sollicitus est. Cicero Act. 5. in C. Verrem: *Si sociis prospicere non laboratis.* Horatius Epistola 3. lib. 1.

*Juli Flore, quibus terrarum militet oris*

*Claudius Augusti privignus, scire laboro.*

Idem Satyra 8. lib. 2. v. 19.

*- - - Sed queis cœnantibus una,*
*Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.*

Idem in Arte Poetica v. 25.

*- - - Brevis esse laboro,*
*Obscurus fio - - - - - -*

v. 18. *Nobis dicere ne dubita* ] Nobiscum enim habebimus quæ narraveris, neque temere divulgabimus.

v. 19. *Tradita* ] Commissa & commendata.

v. 20. *Falsum est* ] Janua pertendit negare, mulierem illam impudicam, in his demum ædibus peccare cœpisse, quod eo tempore quo huc habitatum venerat, virgo adhuc esset. Quamquam id vulgo ferretur: languor enim viri cui nupserat, & ad res Veneris inertia lippis ac tonsoribus nota erat. Nam si virgo in hanc domum ea commigrâsset, deinde nefariis libidinibus vacare instituisset, poterant lepidi atque urbani homines Januam ipsam lenocinii quodammodo accusare, utpote quæ mœchis ventitantibus facile nimis patuisset.

ibid. *Non quî* ] Non ita ut: non quod.

ibid. *Vir prior attigerit* ] Maritus enim feminæ illius, non primus uxorem iniverat, neque virginitatis ejus florem ac primitias delibaverat: sed socer potius, ut paullo post declarabitur.

ibid. *Attigerit* ] Pudenter dictum, pro vitiaverit, virginitate spoliaverit. Verum & mulieres corruptæ dicebantur *attingi*, quoties viris alienis potestatem sui corporis faciebant. Tibullus testis Elegia 7. lib. 1.

*Parcite, quam custodit Amor, violare puellam:*
*Ne pigeat magno post didicisse malo.*
*Attigeris. labentur opes - - - -*

v. 21. *Languidior tenera c. p. s. beta* ] Eadem omnino comparatione usus est Petronius Arbiter in re non dissimili. Ejus verba sunt:

*Ter corripui terribilem manu bipennem,*

Aa 2 Ter

Sed pater illius nati violasse cubile
  Dicitur, & miseram conscelerasse domum.
Sive quod impia mens cæco flagrabat amore:
  Seu quod iners sterili semine natus erat;

Quæ-

*Ter languidior coliculi tepente thyrso*
*Ferrum timui, quod trepido male dabat usum.*

*Thyrsus coliculi tepens* Arbitro est brassicæ caulis elixus.

ibid. *Tendens* ] Flaccida, spiritu & sanguine destituta, *εἰς ἀτονίαν* depravata. Hoc autem participium, rei significatæ magis convenit, quam voci translatæ ac significanti.

ibid. *Sicula* ] Diminutivum a sica, quæ pugionis erat genus: unde sicarii. Hoc nomine partem corporis qua viri sumus, indicare vult poeta, ob nonnullam similitudinem. Plautus *macharam* dixit Pseudolo Ac. 4. Sc. 7. v. 85. ubi Ballio leno sic alloquitur calonem quemdam:

*Conveniebátne in vaginam tuam machæra militis?*

calo autem ita lenoni respondet: *I in malam crucem;* joco scilicet nequiore se tactum sentiens. Auctor liberi Carminis *hastam*, & *arma ventris* appellavit: Petronius, ut paullo ante vidimus, *bipennem*. Huc pertinet quod narrat Justinus Historiarum Trogi lib. 38. cap. 1. de Mithridate Ponti rege, qui Ariarathen regem Cappadociæ appetebat insidiis. *Sollicitatoque*, ait, *juvene ad colloquium, cum ferrum occultatum inter fascias gereret, scrutatori ab Ariarathe regio more misso, curiosius imum ventrem pertrectanti ait, Caveret, ne aliud telum inveniret quam quæreret. Atque ita risu protectis insidiis sevocatum ab amicis, velut ad secretum sermonem. . . . . . . . . . interficit.*

ibid. *Beta* ] Olus notissimum, quod cum turget semine, figuram τοῦ *βῆτα* Græcæ litteræ quodammodo imitatur, ex qua nomen accepit. A *beta* derivatur *betizare*. id autem verbum Augustus Cæsar frequenter usurpavit, Suetonio teste in Octavio cap. 87. *Ponit assidue*, inquit, . . . . . . . . *& betizare, pro languere: quod vulgo lachanizare dicitur.*

v. 24. *Miseram conscelerásse domum* ] Infando scelere polluisse. Ovidius lib. 7. Metamorph. v. 34.

*Cur non & specto pereuntem, oculosque videndo*
*Conscelero?* - - - - -

Noster supra Carm. 63. v. 404.

*Impia non verita est divos scelerare parentes.*

v. 25. *Q. impia mens c. f. a.* ] Infra Carm. 89. de homine scelerato, & quem scelera ipsa mirum in modum delectarent:

- - - - *Tantum tibi gaudium in omni*
*Culpa est, in quacumque est aliquid sceleris.*

ibid. *Cæco amore* ] Quo scilicet præpedita mens, rei turpitudinem videre non poterat.

v. 26. *Iners* ] Frigidus, & quasi veneficiis contactus. Rem ipsam describit Ovidius Amorum lib. 3. Elegia 7.

*Tacta tamen veluti gelida mea membra cicuta,*
*Segnia propositum destituere suum.*
*Truncus iners jacui, species, & inutile pondus:*
*Nec satis exactum est, corpus, an umbra forem.*

v. 27.

Quærendumque nec unde foret nervoſius illud,
Quod poſſet zonam ſolvere virgineam.

CA-

v. 27. *Quærendumque nec unde foret n. i.* ] Id eſt: Nec talis erat, unde quærenda eſſet vis illa maſcula, ſine qua mulier ex virgine fieri nullo pacto poteſt. Legeram olim cum Scaligero:

*Et quærendum unde unde foret nervoſius illud.*

Id eſt, *undecumque*, nimirum foris, extra domeſticos parietes. Horatius Sat. 3. lib. 1. v. 88.

*Mercedem, aut nummos unde unde extricat. - -*

Ita dicebant *ubi ubi:* nempe *ubicumque*. Terentius Eunucho Ac. 2. Sc. 3. v. 4.

*- - Ubi ubi eſt, diu celari non poteſt.*

Livius lib. 42. Hiſtor. *Inde certamine orto, quum longius a caſtris eos elicuiſſent, facile ubi ubi eſſent, ſe . . . . . . . . converſuros aciem.*

ibid. *Nervoſius* ] Convenienter phyſicæ rationi hoc ἐπίθετον ſeminali membro tribuit. Operæ pretium eſt audire Lucretium lib. 4. de R. N. v. 1034.

*Ex homine humanum ſemen ciet una hominis vis;*
*Quod ſimul atque ſuis ejectum ſedibus exit,*
*Per membra, atque artus decedit corpore toto*
*In loca conveniens nervorum certa, cietque*
*Continuo partes genitales corporis ipſas:*
*Irritata tument loca ſemine, fitque voluntas*
*Ejicere id, quo ſe contendit dira libido.*

Propterea Horatius Epodo 8.

*Illitterati num minus nervi rigent?*

Et Epodo 12.

*Cujus in indomito conſtantior inguine nervus,*
*Quam nova collibus arbor inhæret.*

Petronius item Satyrico: *Quæ ſtriges,* ait, *comederunt nervos tuos? aut quod purgamentum nocte calcâſti in trivio, aut cadaver?* Ceterum & nomine *venæ* aut *venarum* ἀνδρῶον αἰδοῖον ſignificare amant poetæ Latini. Scriptor obſcœni Carminis Epigram. 33.

*Et quo tenta dei vena ſubiret, erat.*

Perſius Satyra 6. v. 72.

*Cum moroſa vago ſingultiet inguine vena.*

Horatius Sat. 2. lib. 1. v. 33.

*Nam ſimul ac venas inflavit tetra libido,*
*Huc juvenes æquum eſt deſcendere, non alienas*
*Permolere uxores. - - - -*

Prudentius denique, veterum poetarum Chriſtianorum elegantiſſimus, lib. 1. contra Symmachum v. 109. de Priapo:

*Indomitum intendens animum, ſemperque paratum*
*Ad facinus, numquam calidis dabat otia venis.*

ibid. *Illud* ] Verecunde πόσθιον τὸ ἀφανισμένον poeta ſignificat. quod & Ariſtophanes in Acharnenſibus facit v. 1148. ἀνατριβομένῳ, inquit, τὸ δεῖνα. *conterenti illud.* Lucianus pariter Dialogo meretricio Clonarii & Leænæ: Καὶ τὸ ἀνδρεῖον ἐκεῖνο ἔχεις. *Et virile illud habes.* Nec non Epictetus in Sententiis: Ἀπονίζειν ἐκεῖνα τὰ μέρη. *partes illas abluere.* Sed & ipſam συνουσίαν eodem pacto innuebant. Noſter Carm. 8.

*Ibi illa multa tam jocoſa fiebant,*
*Quæ tu volebas, nec puella nolebat.*

nimirum res illæ turpiculæ, quas ſolent amatores. Martialis Epigr. 68. l. 9.

*Feſſus mille modis, illud puerile popoſci,*

nimirum ἐκεῖνο τὸ παιδικόν, ὃ πάσχουσιν οἱ παῖδες.

v. 28. *Zonam ſ. virgineam* ] Vide quæ adnotavimus ad verſum ultimum Carm. 2. Hoc tamen loco zona virginea (ne quid diſſimulem) uſurpari videtur pro membrana illa quam ἰατρῶν παῖδες vocant ὑμένα, & prima coitione diſrumpi ferunt.

# CATULLUS.

Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui nati minxerit in gremium.

JA-

v. 29. *Egregium n. m. p. p.* ] Ironia est amarior; cui Virgiliana illa plane similis Æneid. lib. 4. v. 93.

*Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis*
*Tuque puerque tuus: magnum & memorabile nomen;*
*Una dolo divûm si femina victa duorum est.*

Mihi vero in carmine quodam pastorali Catullum sic imitari placuit:

*Egregios narras vita morumque magistros*
*Quadrupedes & aves - - - -*

ibid. *Narras* ] Eodem pacto Terentius Andria Ac. 3. Sc. 1. v. 8. *Bonum ingenium narras adolescentis*. & Eunucho Ac. 3. Sc. 1. v. 18. *Regem elegantem narras*. Præterea Cicero lib. 1. de Oratore: *Quem tu, inquit, mihi, Mucius, Staseam? quem Peripateticum narras?*

ibid. *Mira pietate* ] Qui nempe suppetias iverit filio suo, cui maritum agere per infirmitatem corporis non licebat. Sed reapse bonus ille pater non sine immani scelere se officiosum adeo præstiterat.

v. 30. *Q. i. sui nati m. in gremium* ] Qui nurum suam infando stupro contaminaverit. *Gremium* porro *sui nati* dixit poeta, pro *gremio puellæ, quæ uxor esset nati ejus*. Quod enim est uxoris tuæ, tuum pariter est. Ita locutus Horatius Satyra 2. lib. 2. v. 81. ubi de amoribus matronarum fugiendis:

*Nec magis huic inter niveos viridesque lapillos,*
*Sit licet hoc, Cerinthe, tuum, tenerum est femur, aut crus*
*Rectius - - - - - -*

id est, Licet hoc femur, aut hoc crus, o Cerinthe, sit Sulpitiæ tuæ, quam amas matronæ: cujus omnia tua sunt, si non mancipio, at usu certe. Juvenalis pariter Satyra 6. v. 124. de Messalina Claudii Cæsaris uxore salacissima, meretricem se in lupanari simulante:

*Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.*

i. e. alvum, e qua exieras, nobilissime Britannice. Pepererat enim Britannicum Claudio Messalina. Sapienter Lucianus in Solœcista: Καὶ γὰρ ὅστις γυναῖκα ὑβρίζει τὴν σὴν, εἰς σὲ ὑβρίζει· καὶ ὅστις παῖδα, καὶ φίλον, καὶ ὅστις γε οἰκέτην. i. e. *Nam & qui uxorem tuam contumelia afficit, in te contumeliosus est, & qui puerum tuum, & amicum, & certe qui servum quoque*. Verum divinarum litterarum auctoritas longe gravissima est, in quibus Levitici cap. 18. versu 8. 15. & 16. hæc leguntur: *Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperiet ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis: quia turpitudo fratris tui est.*

ibid. *Minxerit* ] Mejere pro *semen emittere* Latini veteres usurpaverunt. Horatius Sat. 7. lib. 2. v. 51. de muliere meretrice diobolari:

*Dimittit neque famosum, neque sollicitum, ne*
*Ditior, aut forma melioris mejat eodem.*

Hinc *urina genitalis* Plinio Secundo lib. 8. Nat. Hist. cap. 43. τὸ σπέρμα est.

v. 31.

# JANUA.

Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere
Brixia Cycneæ suppositæ speculæ:

[ Fla-

v. 31. *Hoc* ] Sunt qui legant *hunc*, nempe impium & libidinosum patrem.

v. 32. *Brixia* ] Videtur hæc mulier, de cujus flagitiis loquentem Januam Catullus inducit, nupsisse Brixiano cuidam, qui postea Veronam babitatum concesserit, cum & ipsa fortasse ex eodem esset municipio: vel certe Veronensi alicui, qui Brixiæ, negotii publici vel privati caussa, olim commoratus fuisset.

ibidem. *Cycnea specula* ] Arcem ei colli impositam qui Brixiæ adhuc imminet, vel ipsum collis verticem, *speculam* poeta noster appellat: quod ex eo loco nimirum prospectus longe lateque peti posset. Octavius Pantagathus, sive Omnibonus, Brixianus, vir doctissimus, ex cujus disciplina profectus est Onuphrius Panvinius, Antiquitatum Romanarum vindex & scrutator acerrimus, testatur apud Achillem Statium in Commentario, *nomen speculæ* a Catullo hîc memoratæ, suo tempore *nullum exstitisse*, *turrim tamen ibi positam vulgo vocatam fuisse Mirabella*. Ceterum huic speculæ non *Chinea*, quod præferunt editiones, verum *Cycnea* nomen fuit. Super hoc audiendus Joannes Chrysostomus Zanchius Bergomas de Origine Orobiorum sive Cenomanorum ad Petrum Bembum lib. 2. *Itaque*, ait, *primum Catullianos illos versus attendite; quibus apertissime admodum Cyducam originem innuit dicens:*

*Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere*
*Brixia Cycnea supposita in specula.*

*Quo dicto declarare nobis voluit poeta lepidissimus, principem illius arcis summo in collis cacumine positæ, fundatorem ac conditorem fuisse Cydnum illum Liguris filium quem Græci Cycnum vocant: ut postea docebimus: quippe quæ ad C. usque Cæsaris tempora, quibus Catullum floruisse plane compertum est, proprio nomine ab auctore* Cycnea specula *cognominaretur: ut habent nonnulla haud contemnenda vetustatis exemplaria, non autem* Cichonia, *aut* Chinnea, *quod in libris minus accurate scriptis reperiri solet. atque id maxime in caussa exstitisse video, cur Catullianus interpres, vir alioquin meo judicio apprime eruditus, ridicula quadam in hunc scripserit locum.* Zanchio, quamquam ejus nomine dissimulato, suffragatur Isaacus Vossius. Ita legit etiam Christophorus Cellarius Geographiæ antiquæ lib. 2. cap. 9. Collem ipsum Brixiæ imminentem hodie vocari *Cigneo*, ex Heliæ Capreoli Monumentis Brixianis refert Vir Clarissimus, & de patria sua præclare meritus, Paullus Galeardus, Ecclesiæ Brixianæ Presbyter Canonicus, quem honoris caussa nomino, in Observationibus ad priscam Inscriptionem, aliasque Brixianas antiquitates, editis in Volumine XXX. Ephemeridum Litteratorum Italorum, Articulo 11.

ibid. *Supposita specula* ] Hæc lectio duabus aliis jure ac merito præferenda mihi videtur, *suppositum in specula*; & *supposita in specula*. Est enim cum explicatu facilior, tum Catulli nitori magis conveniens. Porro non est cur quemquam turbet ratio syllabarum inso-

[ Flavus quam molli percurrit flumine Mela: ]
[ Brixia Veronæ mater amata meæ: ]



insolens aliquantum, & quæ metri legibus adversari videatur. hoc enim fuit jus, vel, si mavis, licentia veterum poetarum, ut syllabas breves quæ vocem aliquam clauderent, nonnumquam in versu producere amarent, & ob moram cæsuræ, & ob primam syllabam vocis proxime sequentis, quæ a duabus mutis inciperet, maxime *sp.* Id nos pluribus testimoniis optimorum scriptorum satis ostendimus ad versum 186. Carminis 63. *Nulla fugæ ratio, nulla spes*; & uberius olim, si Deus dederit, ostensuri sumus ad illud Tibulli ex Elegia 5. lib. 1.

*Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.*

Nam si legamus, quod nonnullis placere video, *suppositum in specula*, ordo syntaxeos confusus est atque impeditus: & sententia ipsa subobscura: aliam vero lectionem *supposita in specula*, non emerim titivilitio. Ceterum *supposita specula* interpretatus quondam fueram de Brixianis civibus ex edita quadam turri subjectam urbem, & quicquid in illa ageretur despicientibus: attuleramque versus Ovidii ex Epistola Leandri:

*Ascensurus eram: nisi quod, cum vincula proræ*
*Solveret, in speculis omnis Abydos erat.*

nimirum populus Abydenus, qui discedentem vidisset, ac de discessus caussa non levi conjectura judicâsset. Verum priorem illam explicationem hoc tempore abjicio: nihil enim aliud, quam Brixiæ situm significare voluit poeta.

v. 33. [ *Flavus q. m. p. f. M.* ] Nemo doctorum virorum qui Catulli poemata commentariis explicanda atque illustranda susceperunt, hoc distichon a manu Catulli non esse, verum ὑποβολιμαῖον, & ab inepto quodam confictum, suspicatus fuit: propterea quod ea contineat quæ historiæ veteri de Brixia & Verona manifesto contraria sint. Et sane mirari quis possit, nihil de hujusmodi argumento litteris mandavisse Antonium Parthenium Lacisium, hominem e Veronensi nobilitate, qui primus in hanc arenam descendit; & cujus iccirco interfuisset de hac re diligentius quæstionem habere: altum præterea silentium esse Josephi Scaligeri, qui se a Scaligeris principibus, Veronæ olim dominis, originem ducere, non obscure, quamquam falso, jactabat. Cum ecce vir nobilissimus, & cum omni reliqua doctrina excultus, tum hoc litterarum genere in primis excellens, Scipio Maffejus, in libello Italico quem edidit, *De antiqua Verona conditione*, ubi hanc urbem in qua ipse præclara ex familia natus est, nullo umquam tempore Brixiæ subjectam, vel minori dignitate fuisse, ostendit; hosce duos Catulli versiculos, quibus adversarii sententiæ hujus, tamquam præcipuo aliquo tibicine, nitebantur, spurios esse, primus omnium subodoratus est: neque solum historiarum veritati, sed etiam linguæ Latinæ proprietati, ipsi denique Catulli genio, atque elegantiæ omnino repugnare: cum scilicet bonum poetam, & doctum, & antiquum nullo pacto decere possint. Plures autem in eo libello propositas difficultates, ad historiam & antiquitatem pertinentes, Paullus Galeardus, Brixianus, V. C. cujus paullo antea mentionem feci, docte admodum & ingeniose expedivit Opusculo ita inscripto: *Parere intorno all' antico stato de' Cenomani, ed ai loro confini*. Quod virorum par eximium tan-

ti facio, quanti consummatam virtutem, doctrinamque minime vulgarem ab ingenuis æstimari æquum est. Hos propterea versus uncis a typographo includi curavi, non quod mihi liquido persuaserim, eos adulterinos & adsutus esse (litem enim sub judice relinquendam censeo) verum quod Maffeji, summi viri, auctoritati hunc honorem tribuendum existimaverim. Sepositis igitur ad antiquam Veronæ conditionem, statumque veterum Cenomanorum pertinentibus quæstionibus, (neque enim sunt instituti nostri) id tantum in præsentia mihi agendum sumo, ut argumenta quæ in libello memorato, & in majori Opere *Verona Illustrata*, volumine 1. lib. 1. Maffejus protulit ad opinionem hanc suam stabiliendam & confirmandam, accurate pensitem atque considerem: nec non quæ a Galeardo addita, vel opposita sunt: sine ullo partium studio, verum uni veritati prospiciens, quæ ab homine philosopho amicis omnibus, & cujuscumque scriptoris auctoritati semper anteponenda est.

Potuerunt, ait vir nobilissimus, hi duo versus nullo negotio legitimis Catulli carminibus inseri, & pro Catullianis facillime obtrudi: exemplaria enim hujus poetæ ante sæculum a CHRISTO nato XV. rarissima fuerunt, neque vulgo circumferebantur. Testatur vero Matthæus Palmerius apud Andream Schottum in Observationibus, anno demum CIↃ CCCCXXV. Catulli codicem e tenebris prodiisse. Hunc porro e Gallia Veronam delatum fuisse, affirmari videtur in Epigrammate illo βαρβαείζοντι quod Guarino Veronensi Oratori clarissimo tribuunt viri docti nonnulli: Laurentius vero Pignorius Patavinus Epist. Symbolica 16. Baptistæ, Guarini filio, tribuere non dubitavit; sed perperam; ut animadvertit APOSTOLUS ZENUS, Vir Celeberrimus, CAROLI VI. Cæsaris Historicus & Poeta, Ephemeridum Litterat. Ital. volumine 12. artic. 11. Josephus Justus Scaliger initio Castigationum suarum in Catullum, hominem Veronensem, quisquis ille fuit, ejus Epigrammatis auctorem appellat. Porro Catullus in eo ita loquens inducitur:

*Ad patriam venio longis de finibus exul:*
*Causa mei reditus compatriota fuit.*
*Scilicet a calamis, tribuit quoi Francia nomen,*
*Quique notat turbæ prætereuntis iter.*
*Quo licet ingenio vestrum celebrate Catullum;*
*Quojus sub modio clausa papyrus erat.*

*Quojus* pro *cujus*, ἀρχαϊκῶς. ita enim omnino legendum: non *quovis*, aut *quævis*. Guarinus igitur, seu quisquis est auctor, hoc hexasticho significare voluit, Catullum redire demum in patriam e longinqua regione: hunc autem reditum Guarino Veronensi, civi suo, ab ipso deberi. Scribam vero seu notarium, nomine Franciscum, qui ad portam oppidi alicujus introeuntes & exeuntes in album referre soleret, poetæ carmina ex antiquo exemplari, Guarino gratificatum, sua manu descripsisse. Hortatur denique poeta Veronenses homines, litterarum laude florentes, ut omnibus ingenii viribus lucubrationes ejus cognoscere, ac fortasse etiam corrupta in iis loca restituere atque emendare conentur. Indicat postremo, librum inventum in horreo aliquo, ubi modio inclusus diu delituerat. Hæc autem verissima explicatio ingenio Zeni ac diligentiæ accepta referenda est. Id porro exemplar, ex quo codices fere omnes Catulli qui nunc exstant, propagati sunt, nescio quo fato e conspectu hominum ablatum, prorsus evanuit. Facillimum propterea fuit, si Maffejum audimus, iis qui novam aliquam fabulam cudere, ac poetam doctissimum interpolare cuperent, id sine periculo-

riculo facere: studiosis enim veritatis, ad fontes confugere amplius non licebat. Potuit igitur Brixianus aliquis, vel certe Brixianis favens, cum poemata Catulli describeret (quod ante inventam typographiam plures præstiterunt) hoc distichon de quo controversia est, elegantissimo poetarum supponere. Quidni potuerit? Sed cum in codicibus nonnullis (ut postea dicemus) hi duo versus non appareant, potuit etiam Veronensis aliquis, si diis placet, in novo Catulli codice parando occupatus, eosdem omittere: quod sane cum facilius erat, neque enim aut ingenio, aut meditatione ulla ea res indigebat; tum etiam verisimilius videtur. Brixianis enim (aut ego fallor) nulla caussa fuit, cur vera & illustria patriæ suæ ornamenta falsis laudibus neque necessariis cumulare aggrederentur: Veronenses contra hortari potuit ad omittendum stomachus atque iracundia, quod scilicet Veronam, urbem tam inclytam atque opulentam, Brixiæ umquam cessisse, aut ipsi vel minima in re obnoxiam fuisse, neque sibi persuadere possent, idque a poeta litteris mandatum graviter atque iniquo animo ferrent. Et certe, cum Onuphrius Panvinius, ipso Maffejo teste, Antiquitatum Veronensium lib. 6. cap. 1. loca omnia Catulli quæ Veronæ mentionem faciunt, diligenter collegerit, hoc tantum prætermisso disticho, si quis indulgere suspicionibus vellet, ex hoc non leve argumentum ducere posset, Panvinium ei Catulli testimonio valde iratum fuisse, neque tamen refutandum suscepisse, sola dissimulatione contentum. Si enim eos versus adulterinos existimâsset, data opera id ostendisset. Nullo autem pacto credi potest, ab illo ignoratos; cum in vetustis editionibus, & in omnium principe habeantur, neque propterea Panvinii diligentiam omnino effugere potuerint. Addit Maffejus ad suspicionem augendam, primos poematum Catulli emendatores, quæ longinqua ætas & librariorum inscitia fœde corruperat, Brixianos fuisse: Joannem vero Calphurnium, Grammaticum ac Rhetorem doctissimum, ex eadem urbe, ante alios omnes Catullo castigando manum admovisse; idque exiguo admodum temporis intervallo præstitisse; quod refert atque admiratur Hieronymus Avantius Veronensis. Galeardus tamen contendit, neque Calphurnio, neque adeo Brixianorum alicui hosce versus esse adjudicandos: cum & in pluribus codicibus M S S. legantur Calphurnio antiquioribus, & in prima Catulli editione anni 1472. Docet autem, Catulli emendationem & explicationem, propriam Veronensium gloriam esse: in quibus præcipuos numerat Hieronymum Avantium, & Antonium Parthenium Lacisium: quorum primus antiquum Catullo nitorem se restituisse professus est, alter eumdem poetam Commentario primus illustravit, & mutila etiam loca nonnulla de suo aperte supplevit.

Parum tamen esset, hos versus confingi ab aliquo facile potuisse, nisi argumenta suppeterent, quibus ostenderetur, confictos reapse fuisse. Hæc porro doctissimo & ingeniosissimo viro non desunt. Primum igitur Catulli codices ab antiquissimis usque temporibus depravari cœptos, A. Gellius testatur Noctium Atticarum lib. 7. cap. 20. cujus hæc verba sunt: *Qui ebrios autem Catullum dixisse putant aut* ebriosos (*nam id quoque temere scriptum invenitur*) *in libros scilicet de corruptis exemplaribus factos inciderunt*. Propterea lepidissimus poeta deformis adeo ac male habitus ad nos pervenit, ut eumdem esse vix agnosceres. Iccirco ejus interpretes, non satis considerato consilio, necessarium existimârunt, lacunas explere, novis hemisti-

sti-

ſtichiis orationem interruptam continuare, multaſque lectiones etiam præter codicum fidem ingenio & conjectura ſtabilire. Quæ cum ita ſint, mirum videri non debet, ſi cum in Catullo plura mutarentur, adderentur alia, in tanta confuſione ac bonorum exemplarium inopia, hi quoque duo verſus unde unde ſubrepſerint, & reliquis Catullianis adjecti fuerint. Verumtamen, eorum quæ in libro Catulli mutata ſunt atque addita, manifeſti auctores apparent; qui ſine fuco & fallaciis id præſtiterunt, neque auctoritatem deſugerunt: hoc autem diſtichon, ſi confictum eſt, latenter ac doloſe ab ignoto confictum eſt, quem ſane digito monſtrare non poſſumus, niſi forte divinare inſtituamus. Diſpar igitur omnino hujus & aliarum adjectionum ratio eſt. Ingens autem Maffeji conjecturæ pondus acceſſit ex duobus vetuſtis Catulli codicibus chartaceis, quos cum Paullus Galeardus diligenter inſpexiſſet, hoc diſticho carere deprehendit. Horum codicum unus Veronæ ſervatur in Bibliotheca inſtructiſſima nobilis familiæ Saibantium. In eo deſunt memorati verſus: ad calcem tamen pagellæ diverſo chirographo atque atramento ſubſcripti fuerunt. Galeardus tamen recte animadvertit, vim argumenti ex eo codice petiti duabus rebus labefactari; quod ſcilicet is liber inventione typographiæ poſterior ſit, ſcriptus eſt enim anno CHRISTI CIↃ CCCCLXXIV. cum princeps Catulli editio biennio ante prodiiſſet, in qua diſtichon iſtud exhibetur: & quod plures alii verſus in eodem codice deſiderentur, ab incuria librarii prætermiſſi. Alter codex pertinet ad Bibliothecam Canonicorum Eccleſiæ Patavinæ, quem Galeardus Veronenſi antiquiorem, & potiori auctoritate exiſtimavit. In hoc libro, cujus folia & ipſe accuratius evolvere atque explorare volui, multæ continentur probæ & quantivis pretii lectiones; innumeri tamen errores & verſuum defectus apparent, qui ſæpius quidem ad marginem additi leguntur, nonnumquam tamen prorſus omittuntur. Verbi cauſſa, Carmine 61. deſunt hi duo verſus:

*Nulli illam agricolæ, nulli accoluere juvenci:*

*At ſi forte eadem eſt ulmo conjuncta marito.*

quos fruſtra in margine requiras. Omiſſos autem ideo puto, quod eos proxime conſequatur hic verſus:

*Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci.*

Solebant enim ſcriptores librarii cum duo aut plures verſus ab iiſdem vocibus inciperent, aut in eaſdem voces deſinerent, oſcitantes ac ſimilitudine decepti, aliquos eorum omittere. Quod & in hoc diſticho de quo lis eſt, facile admodum accidere potuit, cum pentameter ſuperior & ipſe incipiat a voce *Brixia*. Nonne ſimile aliquid animadvertit Maffejus ipſe celeberrimus in Complexiones Caſſiodorii pag. 253. lectoreſque monuit his verbis? *Oſtendam ſcilicet, ubi de vetuſtis agam lapidibus, eorum exſcriptores ſolidum verſum, duos etiam non infrequenter prateriiſſe, cum eadem dictiones exiguo forte intervallo iterantur: facillime enim accidit, ut prioribus exſcriptis, cum oculos ad lapidem referunt, incidant in poſteriores, & qua conſequuntur arripiant. Idem prorſus antiquò cuipiam librario contigit, S. Johannis Epiſtolam tranſcribenti. cum enim ea verba*, & hi tres unum ſunt, *bis ibidem haberentur, interjecta oculo aberrante tranſiliit: exempla autem unum innumera procreat, & unius error infinite diffunditur*. Non poſſum hîc mihi temperare, quin valde ridiculum hujus Patavini codicis errorem proferam. Carmine de Nuptiis Pelei ac Thetidos poſt verſum 386.

Bbb Ca-

*Calicola nondum spreta pietate solebant*, ille continuo sequitur:

*Languidior tenera cui pendens sicula beta*;

qui ad hanc Elegiam de Janua omnino pertinet. In hac vero Elegia idem versus occurrit ultima voce mutata. pro *beta* enim *barba* scriptum invenies. Porro, quod ait Maffejus Veronæ Illustratæ Volum. 1. libro 1. majorem in his rebus fidem habendam uni tantum codici qui versibus aliquot careat, quam centum aliis codicibus in quibus iidem versus legantur; Critici homines viderint. Sane Isaaci Vossii contraria omnino sententia fuisse videtur, qui putavit scilicet, manu scriptorum librorum eam esse rationem, ut in iis nonnulla frequentissime desiderentur, raro aut fere numquam abundent vel addita sint. ita enim loquitur pag. 241. Commentarii in Catullum: *Et tamen etiam hoc adeo est rarum, ut centeni in libris occurrant defectus, priusquam unum aliquid quod redundet inveniatur. Verum hoc esse nôrunt illi qui tractant libros, & antiqua cum antiquis committunt exemplaria. Passim & in omnibus etiam sacris id observare licet scriptoribus, ut ubi similia aut eadem occurrant vocabula, omittantur a librariis ea quæ in medio ponuntur*. Quod si verum est, non video cur silentium unius & alterius codicis pro magno spurii loci argumento habere debeamus, cum ceteroqui is locus in plerisque codicibus appareat. Nam si Maffeji regulam probaverimus, non solum hoc distichon, sed totam præterea hanc Elegiam explodere nobis necesse erit, quæ, ut ipse testatur, in tribus codicibus Vaticanis, & quidem notæ melioris, quorum unus Fulvii Ursini olim fuit, omnino prætermissa est. Aut igitur totam Elegiam veterator aliquis confinxit, aut ea legitimus est poetæ nostri fœtus. Si confictam dicamus; neque jam facile fuerit caussam afferre, quamobrem ejus auctor hoc poema Catullo supponere voluerit, neque illum ineptum ostendere. Est enim profecto hæc Elegia, si quod aliud poetæ nostri Carmen, candida, urbana, venusta, eamque Latinitatem præ se fert, quæ ultra imitatorum vires posita sit. Si vero legitimam existimemus, quamquam ea fuerit in tribus codicibus prætermissa; jam argumentum illud a quorumdam codicum silentio sumtum omnino infirmum evadet: neque jam distichon ipsum propterea spurium censeri poterit, quod in duobus codicibus desideretur. Illud in hac controversia observatione dignum est, Maffeji sententiam, Veronæ Illustratæ Volum. 1. lib. 1. eo postremum inclinavisse, ut hoc distichon alii cuivis potius qui Brixianas aquas, earumque nomina parum cognita haberet, quam aut Calphurnio, aut Brixianorum alicui tribuendum existimaret: quod si accipimus, nullam caussam superesse video, cur dicamus ab obscuro & ignoto auctore qui supponendi caussam nullam haberet, eosdem versiculos Catullo affictos fuisse. Res igitur, candidi lectores, ut videtis, ipso Galeardo fatente, ambigua est, neque temere dijudicanda. Quoniam vero Maffejus hoc disticho plura contineri censet quæ neque cum historia, neque cum Latinitate, neque cum poetæ Veronensis elegantia satis consentiant; age, singillatim ea dispiciamus, non quidem ut Viri Celeberrimi, quem jure suspicimus & miramur, opinioni adversemur, sed tantummodo ut cogitationes nostras cum viris eruditis communicemus, & ab iis, ubi de via deflexerimus, meliora & saniora doceamur.

v. 33. *Flavus q. m. p. f. M.* ] Cum Janua, superiore versu Brixiam a situ descripserit, nunc eamdem a flumine quod illam percurrat, simulque a vetu-

tustate ac dignitate describere pergit. quod utrum conveniat, an minus, deinceps considerabimus.

ibid. *Flavus Mela* ] Hoc ἐπίθετον tribuit auctor non ipsi flumini, verum deo vel Genio fluminis. Distinguebant enim poetæ deum aquarum præsidem vel tutelam, ab aquis ipsis quibus præerat: quemadmodum & Genios urbium ab ipsis urbibus. Hinc locutiones illæ: *flumen Himella* apud Virgilium Æneid. lib. 7. v. 714. *flumina Mella* apud eumdem lib. 4. Georgic. v. 278. *urbem Patavi* Æneid. 1. v. 247. *urbe Mycenæ* 5. Æneid. v. 52. Porro *flavus* poetis pulchrum significat; quod præter alios animadvertit Taubmannus ad lib. 7. Æneid. v. 31. Quamobrem Horatius Ode 4. lib. 4. ita cecinit:

*- - - Expertus fidelem*
*Juppiter in Ganymede flavo.*

Poterat etiam peculiaribus de caussis hic color diis fluminum convenire: quod videlicet arundine coronati fingerentur, nam arundo post virorem flavescit: vel ob arenas hoc plerumque colore infectas: vel ob ipsas aquas cœno immixtas, & ab eo colorem contrahentes.

ibid. *Molli flumine* ] Hoc minus proprie, minusque Latine dictum, affirmat Maffejus. Hanc porro locutionem putat in veterum libris nusquam occurrere, neque ullo modo torrenti convenire, cujus nimirum est non molliter fluere, at cum impetu, cursuque præcipiri. Ego vero fateor, me non intelligere, cur flumen appellari *molle* non possit, præsertim si placide ac leniter labatur. An quod Aristoteles lib. 4. Meteororum cap. 4. negaverit, τὸ ὕδωρ εἶναι μαλακὸν, *aquam esse mollem:* ὅτι οὐκ ὑπείκει τῇ θλίψει τὸ ἐπίπεδον εἰς βάθος, ἀλλ' ἀντιπεριίσταται. *propterea quod ejus pars summa compressu intro minime cedat, sed circum obsistat?* Sed hanc physicorum ἀκρίβειαν poetæ servare non solent. Insigne est Ovidii testimonium Artis Amat. lib. 1. v. 475.

*Quid magis est saxo durum? quid mollius unda?*
*Dura tamen molli saxa cavantur aqua.*

Flumina vero, & fluminum undas a poeris *molles* vocatas, tam certum est quam quod certissimum. Princeps poetarum Latinorum lib. 8. Æneid. v. 726.

*- - Euphrates ibat jam mollior undis.*

Idem lib. 9. Æneid. v. 815.

*Tum demum praeceps saltu se se omnibus armis*
*In fluvium dedit. ille suo cum gurgite flavo*
*Accepit venientem, & mollibus extulit undis.*

Quos versus cum faceret Virgilius, respexisse videri possit ad hoc distichon de quo disputamus, si tamen illud est Catulli; audis enim & *flavum gurgitem*, & *molles undas:* non est porro novum & inauditum, Virgilium flosculos Catulli sublegisse. Si vero distichon Catulli non est, potuit ejus auctor ad memoratos Virgilii versus mentem animi convertere, quo pacto se ab ineptiarum crimine satis defendisset. Neque solum fluminum aquas, verum etiam maris, & præterea mare ipsum hoc epitheto ornaverunt. Lucretius lib. 2. v. 375.

*- - - - - Qua mollibus undis*
*Litoris incurvi bibulam pavit æquor arenam.*

Ovidius lib. 14. Metam. v. 558.

*- - - Durisque in montibus orta*
*Molle fretum celebrant - - - -*

Sabinus Epistola Ulixis v. 113.

*Sic utinam errarem: faceres tu mollia, conjux,*
*Æquora - - - - - - -*

Nonne illud simillimum Æneid. 2. ver. 782. *Leni fluit agmine Thybris?* Quod autem observat Maffejus, *molles undas* torrenti minime convenire, id

id eos nihil movet, immo potius juvat, qui hæc non de Melone, seu Cartia torrente, qui hoc tempore Brixiam percurrit, verum de Mela flumine, quod per agrum Brixianum ab occasu fluit, non ita procul ab urbe ipsa, accipienda contendunt: quibus & me annumerari libenter patior.

ibid. *Percurrit* ] Cum omnes editiones hanc lectionem exhibeant, non est cur in ejus locum substituere velimus *præcurrit*. Hinc autem nonnulli perperam colligunt, *Mello* paullo post legendum, non *Mela:* quod scilicet *Mello* Brixiam reapse percurrat, non *Mela*, qui per agrum Brixianum fluit. Verum enimvero a præsentium temporum conditione non est de antiquo rerum statu temere ferenda sententia. Fortasse enim priscis temporibus Brixiæ ambitus amplior fuit, quam sit hodie, vel situs ejus ad occasum vergebat magis, ita ut Mela per ipsam urbem discurreret. Brixiæ quidem situm tractu temporum mutatum esse, testatur Galeardus pag. 82. Similis profecto mutatio & aliis oppidis contigit, ac breviore quidem temporis spatio. Testis locuples Livius lib. 24. Histor. *Urbs Croto*, inquit, *murum in circuitu patentem duodecim millia passuum habuit ante Pyrrhi in Italiam adventum. post vastitatem eo bello factam, vix pars dimidia habitabatur: flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat muros; procul iis quæ inhabitabantur*. Potuit & Mela processu temporis alveum mutare; quod solenne fluminibus est. Venit in mentem illius Horatiani Arte Poetica v. 67.

*Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,*

*Doctus iter melius - - - -*

Nonne Scipio ipse Maffejus in libello de antiqua Veronæ conditione pag. 68. tradit, Brixianum agrum qua parte vergit ad montes, angustiorem, qua vero Cremonensium & Mantuanorum fines attingit, ampliorem olim fuisse videri quam sit hoc tempore? Nonne idem pag. 39. narrat, tempus quondam exstitisse cum Athesis, qui nunc per mediam Veronam fertur, eidem ad latus fluebat? Multæ igitur agris, fluminibus, oppidis mutationes accidunt, variis casibus, longo temporum decursu, ipsaque rerum natura ita postulante. Non assentior quidem Christophoro Cellario legenti hoc versu *præcurrit*, Geographiæ Antiquæ lib. 2. cap. 9. Sed tamen quod Maffejus innuere videtur, verbum *præcurrit*, numquam significare posse *præfluit*, vel *præterfluit*, caussam amplius cognoscendam censeo. Quid enim vetat, vocem *præcurrit* ea ratione sumi qua Virgilius dixit Æneidos lib. 6. v. 705.

*Lethæumque, domos placidas qui prænatat, amnem?*

Sane Servius id positum docet *ἀντὶ τοῦ præterfluit*. Porro hujus Virgiliani simile apud Lucanum occurrit lib. 6. v. 76.

*Quoque modo Romæ prælapsus mœnia Tibris*

*In mare descendit, si nusquam torqueat amnem.*

*prælapsus*, nimirum *præterlapsus*. Demus tamen, vetustis etiam temporibus Melam fluvium per agrum Brixianum tantum, non per urbem ipsam lapsum fuisse: dici recte potuit nihilominus ab hujus distichi auctore de Brixia,

*Flavus quam molli percurrit flumine Mela.*

cum in locis Brixiæ proximis hoc flumen laberetur, quæ loca Brixiæ nomen gerere poterant; idque ad exemplum urbis Romæ. Audi Marcellum J. C. in Lege 87. titulo Pandectarum de Verborum Significatione: *Ut Alfenus ait, urbs est Roma quæ muro cingeretur. Roma est etiam qua continentia ædificia essent. nam Romam non muro te-*

*tenus existimari, ex consuetudine cottidiana posse intelligi, tum diceremus Romam nos ire, etiam si extra urbem habitaremus*. Quæ Marcelli verba recitat Sigonius lib. 1. de Antiquo Jure Civium Romanorum cap. 2. Concinit Ulpianus Lege 139. eodem titulo: *Ædificia Romæ fieri etiam ea videntur quæ in continentibus Romæ ædificiis fiant*. Romæ autem continentia ædificia ea erant quæ a civibus extra muros & pomœrium urbis intra primum vel secundum ab ea lapidem excitabantur.

ibid. *Mela*] Quemadmodnm ea quæ antecedunt in hoc versu, defensionibus non carent, & cum antiquitate consentire possunt, ut satis ostendimus; ita postremo hoc loco *Mela*, vel *Mella*, non *Melo*, vel *Mello* legendum existimo, ut omnia prorsus recte se habeant. Dixi enim superius, τὸ *molli* convenire flumini, non torrenti: *Mela* porro flumen est, *Melo* seu *Cartia*, torrens. Neque me de sententia deducit princeps nostri poetæ editio, neque duo manu scripti codices Bibliothecæ Saibantium in quibus habetur *Mello*. Quid enim, quæso, aut indocti librarii vetustis codicibus describendis non peccaverunt, vel audaces Critici iisdem corrigendis non sibi sumserunt? Facillima porro fuit mutatio litterulæ: cum præsertim omnia ad præsentem rerum statum accommodare vellent. Placet Galeardi sententia existimantis, *Cartiam* vocabulum esse ævi recentioris, *Melonem* antiquius. *Mela* tamen antiquissimum est, & utroque clarius: quod ex Virgilio, Servio, Junio Philargyrio facile colligi potest. Ut id obiter moneam, veteres Nilum *Melonem* appellavere, testibus Pompejo Festo ac Servio, a μέλας, *niger*, quod ejus aqua turbida & nigra esset. Propterea noster Carm. 11. v. 7. cecinit, *Nilum colorare æquora*, i. e. fuscare, & quasi atramento inficere. Colorare enim id nonnumquam significat. Hinc *Indi colorati*, nempe nigri, fusci. Ausonius quoque Epist. 4. v. 73. papyrum Ægyptiacam, qua prisci ad scribendum utebantur, vocavit *Melonis albam filiam*, nempe Nili.

v. 34. *Brixia*] Ut majorem Brixiæ, cujus testimonio utitur, fidem Janua conciliet, eam a dignitate, vel, si mavis, a vetustate commendare pergit. Priora enim pertinent ad situm oppidi significandum, illaque commemoranda quæ sunt ejus tamquam propriæ notæ: hæc autem quæ sequuntur, non esse a Veronensibus contemnendam accusationem declarant, a tam illustri & amica civitate profectam. Hujusmodi repetitiones amat Catullus etiam in poematis brevioribus, quotiescumque gravius aliquid, vel acerbius, vel indignius enuntiaturus est. Verbi caussa Carm. 58. quod e quinque tantum versibus constat, cum dixisset *Lesbia nostra*, & illud satis esse sententiæ posset, alia tamen addere voluit ad rei turpitudinem ἐμφατικώτερον exaggerandam, scilicet *Lesbia illa, Illa Lesbia quam Catullus unam Plus quam se atque suos amavit omnes*. Nihil autem a decoro alienum horum versuum auctor commisit, cum impudicæ mulieris Januam sic eruditam induxit, ut non solum dominæ suæ secreta nôsset, sed etiam alterius urbis proprietates & singularia ornamenta perspecta haberet. Nam cum semel & aures, & linguam, & intelligentiam Januæ tribuisset, oportuit eum in prosopopœja gnaviter perseverare. Si quæ vero alia janua de regionibus etiam longinquis & scire & narrare potest, certe mulieris meretricis Janua potest. Ad hujusmodi enim feminas una cum civibus peregrini sæpius ventitare solent, & cum iis familiariter colloqui. Nonne veteris Hellados χωρογραφίαν oportuit mirifice notam fuisse januæ Laidis illius Corinthiæ,

*Ad*

*Ad cujus jacuit Græcia tota fores*,

teste Propertio Elegia 5. lib. 2? Peritissimam vero nequitiarum magistram fuisse dicendum est januam Cœliæ, tum historias locorum omnium calluisse, ad quam ita Martialis Epigr. 30. lib. 7.

*Das Cattis, das Germanis, das, Cælia, Dacis,*
*Nec Cilicum spernis, Cappadocumque toros.*

Eodem pacto πολυφάγμων illa, perfrictæ frontis, & plusquam virilis audaciæ mulier apud Juvenalem Sat. 6. domum suam, & parietes, & januam, quid in remotis provinciis ageretur, immo in universo terrarum orbe, docere potuit. Audi mirum mulieris ingenium:

*Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe:*
*Quid Seres, quid Thraces agant: secreta novercæ,*
*Et pueri: quis amet, quis decipiatur adulter.*
*Dicet, quis viduam prægnantem fecerit, & quo*
*Mense: quibus verbis concumbat quæque, modis quot.*
*Instantem regi Armenio, Parthoque cometen*
*Prima videt: famam, rumoresque illa recentes*
*Excipit ad portas: quosdam facit isse Niphaten*
*In populos, magnoque illic cuncta arva teneri*
*Diluvio: nutare urbes, subsidere terras,*
*Quocumque in trivio, cuicumque est obvia, narrat.*

ibid. *Verona mea* ] Nihil mirum esse, si Janua patriam profiteatur, jampridem recte animadvertit Paullus Galeardus, cum & phaselus idem faciat superius Carm. 4. his versibus:

*Amastri Pontica, & Cytore buxifer,*
*Tibi hæc fuisse & esse cognitissima*
*Ait phaselus: ultima ex origine*
*Tuo stetisse dicit in cacumine,*
*Tuo imbuisse palmulas in æquore.*

ad quem locum vide, si lubet, quæ adnotavimus. Porro hanc Januam Veronæ fuisse, verisimile admodum est, non Romæ, ut Vossius existimat, neque Brixiæ, ut Maffejus ex orationis contextu colligi censet. Si enim Brixiæ fuisse dicamus, jam ipsa Cycneæ speculæ commemoratio supervacanea erit, qua longinquus locus indicari videtur: & *Verona tua* legi oportebit, non *mea*; quod tamen in editionibus fere omnibus exhibetur.

ibid. *Mater amata* ] Hæc duo præcipue verba totum hoc distichon celeberrimo Maffejo suspectum reddiderunt; quod nimirum ex iis aliquis possit fortasse conjicere, Veronenses aliquando in Cenomanis numeratos, ac proinde Veronam Brixiæ subjectam, ut capiti seu μητρόπολει gentis Cenomanorum. Quam quidem quæstionem iis ad quos attinet expediendam & dijudicandam relinquo. Id unum dissimulare nec debeo nec possum, hunc versum quem explico, quisquis tandem ejus auctor sit habendus, ab hoc Epigrammate Callimachi derivatum videri posse:

Καλλίςη προπάροιθε, τὸ δ' ὕςερον ὄνομα Θήρη,
Μήτηρ εὐίππου πατρίδος ἡμετέρης.

*Calliste antea, sed postea nomine Thera,*
*Mater bonos equos producensis, vel equis idonea, patria nostra.*

Cyrenen significat Callimachus, patriam suam, a Batto Theræo conditam, & coloniam Theræorum. Propterea suspecti distichi auctorem non adeo vulgaribus litteris imbutum, & Callimachi studiosum fuisse apparet. Eodem pacto loquitur Pindarus Olympiorum Ode 9. v. 30.

Ο"θεν ςεφάνων ἄωτοι
Κλυτὰν Λοκρῶν ἐπαείροντι ματέρ' ἀγλαόδενδρον.

*Unde coronarum flores*

In-

*Inclytam Locrorum extollant matrem*
*pulchrarum arborum feracem.*

ad quem Pindari locum ita Scholiastes vetus: Ματέρα, τὸν Ὀποῦντα τοῦ Ἐφαρμόστου πατρίδα. ματρόπολιν δὲ τὸν Ὀποῦντα τῶν Λοκρῶν λέγει. i. e. *Matrem, Opuntem Epharmosti patriam. Intelligit autem Opuntem metropolin Locrorum.* Idem poeta Olymp. Ode 6. v. 169. appellat Stymphalum ματέρ' εὐμήλοιο Ἀρκαδίας. *metropolin pecorosa Arcadiæ.* Achilles Tatius pariter initio libri 1. de Clitophonte ac Leucippe vocat Sidonem μητέρα φοινίκων πόλιν, *matrem Phœnicum urbem.* Hunc Græcorum loquendi morem noravit Florus Epitomes Rerum Romanarum lib. 3. cap. 7. *Metellus deinde*, inquit, *totam insulam* (Cretam) *igni ferroque populatus, intra castella & urbes redegit, & Cnossum, & Erythraam, &, ut Graci dicere solent, urbium matrem Cydonam.* Sed & urbes ex quibus ἀποικίαι seu coloniæ deductæ fuerant, a colonis in loco matrum colebantur & diligebantur. Memorabilia sunt verba illa Platonis lib. 6. de Legibus: Φημὶ, ταύτῃ τῇ πόλει ἣν οἰκίζειν μέλλομεν, οἷον πατέρα καὶ μητέρα οὐκ εἶναι πλὴν τὴν κατοικίζουσαν αὐτὴν πόλιν. i. e. *Equidem civitatis hujus quam condere instituimus, neminem aut patrem aut matrem esse ajo, prater civitatem illam qua coloniam constituit.* Potest etiam urbs aliqua marer appellari, quod vetustate aliam superet, ut Achilles Statius animadvertit: vel quod beneficio aliquo insigni aliam sibi obstrinxerit; quemadmodum & magistratus vel imperatores qui erga populos & oppida se liberales & benignos præstitissent, *patres urbium* appellari merebantur. Horatius Ode 24. lib. 3.

*Si quaret, Pater urbium*
*Subscribi statuis - - -*

Postremo matris nomen, perpetuum est urbium epithetum; unde scilicet prodeunt viri bellica laude ac civili præstantes. Virgilius Æneidos lib. 7. v. 762.

*- - Insignem quem mater Aricia misit.*

Idem lib. 10. v. 172.

*Sexcentos illi dederat Populonia mater*
*Expertos belli juvenes - - - - -*

Dicuntur enim urbes *matres*, quemadmodum & fluvii *patres*. Tibullus Elegia 8. lib. 1.

*Nile pater, quanam possum te dicere caussa,*
*Aut quibus in terris occuluisse caput?*

ibid. *Amata*] Satis mirari non possum, doctos viros qui hoc distichon accusandum, vel propugnandum susceperunt, non animadvertisse, τὸ *Verona mea* tertium casum, nempe dativum, esse posse, atque ita & locutionem elegantiorem longe fieri, & Veronensibus nullam superesse caussam, quamobrem horum versuum auctori tantopere succenseant, quod ipsorum patriam Brixia minorem vel facere vel fateri voluerit. Nulla enim jam instituetur Brixiæ cum Verona comparatio, sed tantum eas amavisse inter se, hoc pentamerro significabitur. quo sane pacto,

*Hi motus animorum, atque hac certamina tanta*
*Pulveris exigui jactu compressa quiescent.*

Enimvero si τὸ *Verona mea* sit casus genitivus, libenter assentior Maffejo, illud *mater amata Verona*, frigidum aliquantum esse ac parum venustum. Dandi autem casu acceptum, & rotundum est, & elegans, & scriptoribus optimis, ipsique Catullo alibi usurpatum. Horatius Epodo 17. ad Canidiam v. 20.

*Amata nautis multum & institoribus:*

Propertius Eleg. 18. lib. 1. E. B.

*Fagus, & Arcadio pinus amata deo.*

Ovidius lib. 1. Tristium Elegia 6.

*Nec tantum Coo Battis amata suo est.*

Hic autem poeta hoc loquendi genus in deliciis habuit. Amorum enim lib. 1. Elegia 5. ita cecinit:

*- - - Multis Lais amata viris.*

& rur-

Sed de Poſtumio, & Cornelî narrat amore,
Cum quibus illa malum fecit adulterium.
Dixerit hîc aliquis: Quî tu iſthæc, Janua, noſti,
Quoi numquam domini limine abeſſe licet,

Nec

& rurſus Amorum 2. Elegia 8.

*Serva Mycenao Phœbas amata duci.*

quod repetit lib. 2. Triſtium v. 400. Idem lib. 2. Artis Amat. v. 80.

*Et Paros, & Clario Delos amata deo.*

Vide præterea lib. 3. Triſtium Elegia 1. & lib. 4. Elegia 10. Apud eumdem legitur *mater amata* Epiſtola Hermiones v. 40.

*Proderit exemplo mater amata ſuo.*

Denique Catullus ipſe Carm. 8.

*Amata nobis, quantum amabitur nulla.*

Ita igitur explicandus erit hic verſiculus: *Mater Brixia, amata Verona mea*; nempe quam diligit Verona mea: vel a Verona dilecta tamquam mater, ut explicat Alexander Guarinus. In ſimilibus enim locutionibus τὸ *tamquam* ſubticebant. Virgilius 1. Æneid. v. 318.

*Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum*
*Venatrix* - - - - -

i. e. tamquam venatrix, more venatricis. Horatius Epiſt. 2. lib. 1. v. 41.

*Incipe. vivendi qui recte prorogat horam,*
*Rusticus exſpectat dum defluat amnis* - -

i. e. tamquam ruſticus aliquis. Tibullus pariter Elegia 1. lib. 1.

*Ipſe ſeram teneras maturo tempore vites*
*Rusticus* - - - - -

Verum hæc tandem miſſa faciamus, & ad ea quæ ſuperſunt ex hoc poemate enarranda tranſeamus.

v. 35. *De Poſtumio, & C. narrat amore* ] Propertius pariter Elegia 1. lib. 2.

*Navita de ventis, de tauris narrat arator.*

Quidam codices habent *Poſtumii:* quod & ipſum ferri poteſt. alterum tamen concinnius.

v. 36. *Cum quibus i. m. fecit adulterium* ] Sic & *ſtuprum cum aliqua facere* dicebant. L. Caſſius Hemina lib. 4. Annalium apud Priſcianum: *Scriba pontificius, qui cum cabus* (Veſtalibus) *ſtuprum fecerat*. Cicero pro Milone: *Eum quem cum ſorore germana nefarium ſtuprum feciſſe, L. Lucilius juratus ſe quæſtionibus habitis dicit comperiſſe*. Salluſtius Catilina cap. 15. *Jamprimum adoleſcens Catilina multa nefanda ſtupra fecerat, cum virgine nobili, cum ſacerdote Veſtæ*. Eodem pacto invenias apud ſcriptores, *probrum & divortium cum aliquo vel aliqua facere*. Cato in Oratione de Dote apud Gellium lib. 10. cap. 23. *Si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur*. Suetonius in Julio cap. 6. *In Corneliæ autem locum Pompejam duxit, Q. Pompeji filiam L. Sullæ neptem: cum qua deinde divortium fecit*. *Adulterium cum aliqua committere*, locutio eſt Senecæ Epiſt. 97. *In quo reus erat Clodius ob id adulterium quod cum Cæſaris uxore in operto commiſerat*. *Parricidium facere* dixit Juſtinus lib. 1. Hiſtor. Trogi cap. 9.

v. 37. *Dixerit hîc aliquis: Q. t. i. J. nôſti?* ] Ἀνθυποφορά. Fictam interrogationem appellat Quinctil. lib. 9. cap. 2. his verbis: *Aliter pro Cælio ficta interrogatio eſt: Dicet aliquis, Hæc igitur eſt tua diſciplina? Sic tu inſtituis adoleſcentes?*

v. 38. *Domini limine* ] Teſtatur Voſſius, in libris notæ melioris exſtare *divûm limine*, ſcilicet *Larium, Penatium*. Sed *limine domini* videtur ita dictum quomodo apud Tibullum Elegia 2. lib. 1. *Janua domini*. In Codice Canonicorum Eccleſiæ Patavinæ ſcriptum eſt *demum*.

v. 39.

Nec populum auscultare: sed huic suffixa tigillo
Tantum operire soles, aut aperire domum?
Sæpe illam audivi furtiva voce loquentem
Solam Cæciliis hæc sua flagitia,
Nomine dicentem quos diximus: utpote quæ mi
Speret nec linguam esse, nec auriculam.
Præterea addebat quemdam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra supercilia.

Lon-

v. 39. *Huic suffixa tigillo* ] Apud veteres, ædium privatarum januæ limen superum, sive ὑπέρθυρον, e ligno plerumque habebant. Vetus Vocabularium: *Limen terminus domus: vel lignum in foribus domorum, per quod intratur.* In hujus foramine ligneus cardo, vel æreus vertebatur, qui nihil aliud erat quam cuneus, vel γίγγλυμος.

v. 40. *Operire s. a. aperire domum* ] Plautus Captivis Ac. 3. Sc. 3. v. 9.

*Operta quæ fuere, aperta sunt: patent præstigiæ.*

Non solum autem *domum operire*, sed etiam *fores* ipsas, & *ostium* dicebant. Idem Menæchmis Ac. 2. Sc. 3. v. 1.

*Sine fores sic: abi, volo operiri* - - -

Propterea non fuit cur Achilles Statius dubitaret, an apud Tacitum lib. 3. Annalium legendum esset: *Dein, multam post noctem, egressa cubiculo uxore, operiri fores jussit.* Terentius Heautontim. Ac. 5. Sc. 1. v. 33.

- - *Ubi abiere intro, operuere ostium.*

Similiter antiqui dicebant, *aperire & operire caput.*

v. 41. *Furtiva voce* ] Ovidius pariter Epistola Helenæ v. 261.

*Quod petis, ut furtim præsentes plura loquamur;*
*Scimus quid captes, colloquiumque voces.*

ibid. *Loquentem sua flagitia* ] Terentius Heautontim. Ac. 2. Sc. 1. v. 8.

- - *Ubi adbibit plus paullo, sua quæ narrat facinora!*

Ovidius lib. 1. Metamorph. v. 647.

- - - *Et, si modo verba sequantur,*
*Oret opem: nomenque suum, casusque loquatur.*

v. 42. *Cæciliis* ] Adgnatis nimirum Cæcilii, novi harum ædium possessoris, de quo superius versu 9. Homines autem ex hac familia mœchos insignes fuisse, allatis exemplis Isaacus Vossius ostendit. Legunt alii *consciolis:* quo pacto *erudituli* scripsit poeta noster Carm. 57. *ebrioli* vero Plautus Curcul. Ac. 2. Sc. 3. v. 15.

v. 43. *Nomine dicentem q. d.* ] Nominatim proferentem. Virgilius 4. Georg. v. 355.

*Tristis Aristæus Penei genitoris ad undam*
*Stat lacrimans, & te crudelem nomine dicit.*

v. 44. *Speret nec linguam esse, n. a.* ] Hæc est lectio Vossii, cui suffragatur codex Patavinus. Hiatus hîc relinquitur post τὸ *linguam*, & negligitur ἔκθλιψις τοῦ *m.* Alii *speraret:* sed minus recte. Porro improbam mulierem sua spes omnino frustrata est; nam, ut vere Juvenalis Satyra 9. v. 103.

--*Servi ut taceant, jumenta loquentur,*
*Et canis, & postes, & marmora* - -

Simile illud Habacuc in sacris litteris cap. 2. v. 11. *Lapis de pariete clamabit: & lignum quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit.*

v. 46. *Ne tollat rubra supercilia* ] Ut

 su-

Longus homo est, magnas quoi lites intulit olim
Falsum mendaci ventre puerperium.

## L X V I I.

Quod mihi fortuna, casuque oppressus acerbo,
Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium:
Nau-

superbi, vel iracundi solent, cum turpe aliquod facinus eis exprobratur. Hoc Etrusci dicunt, *Fare il viso dell' armi*. Sed fortasse pilos ejus hominis ruso colore fuisse, poeta significat.

v. 47. *Longus homo est* ] *Insulsissimus*, ut loquitur Catullus Carm. 17. & cui *Nulla in tam magno corpore mica salis*. nam τὸ *longus* & staturam indicat corporis, & stuporem animi. Persius quoque *ingentem* pro bardo videtur posuisse in calce Satyræ 5.

*Dixeris hæc inter varicosos centuriones,*
*Continuo crassum ridet Vulpenius ingens,*
*Et centum Græcos curto centusse licetur.*

& versu 95. ejusdem Satyræ:

*Sambucam citius caloni aptaveris alto.*

servi enim lignarii musicam artem penitus ignorant. Theocrito pariter Idyllio 15. v. 17. ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς, *homo tredecim cubitorum*, est homo stolidus, minimo ingenio præditus. Græci hos homines βακήλους appellabant. Hesychius: Βάκηλος, ὁ μέγας ἢ ἀνόητος. Suidas: Βάκηλος, μέγας μὲν, ἀνόητος δέ. Huc pertinet quod tradit Herodianus de Pannoniis lib. 2. Historiæ Augustæ cap. 35. Πάνυ δὲ τὰ σώματα οἱ ἐκεῖσε ἄνθρωποι γενναιότατοί τε καὶ μεγάλοι εἰσὶ, καὶ πρὸς μάχας ἐπιτήδειοι, ὑπὸ δὲ τῆς διανοίας παχεῖς, καὶ μὴ ῥαδίως συνιέναι δυνάμενοι, εἴτι μετὰ πανουργίας ἢ δόλου λέγοιτο ἢ πράττοιτο. i. e. *Nam ut ejus regionis homines corporibus utuntur prævalidis atque proceris, & in pugnam cædemque paratissimis: ita pingui sunt ingenio. quare haud facile sentiunt, si quid agas dicasve astute ac subdole.*

ibid. *Cui lites intulit* ] Eodem pacto Cicero dixit, *bellum*, *periculum*, *stuprum*, *famem inferre alicui*.

v. 48. *Falsum m. v. puerperium* ] Vel quod ipse sibi filium supposuisset, ut gentiles hereditate fraudaret: (sed hoc minus verisimile, quoniam ea res non stupidi, sed callidi potius & veteratoris fuisset) vel quod alius ipsi: vel quod hereditatem ab illo avertere aliquis adgnatorum conatus esset, filii suppositione: aut postremo quod ipse homini locupleti suppositus olim fuisset, vel adulterio conceptus; cujusmodi Hercules fuit, qui propterea *falsiparens* a poeta nostro vocatur Carmine quod proxime sequitur.

Argum. Carm. LXVII. ] *Pulcherrima omnino hæc Elegia est, atque haud scio, an ulla pulchrior in omni Latina lingua reperiri queat. Nam & dictio purissima est: & mira quadam affectuum varietate permista oratio: & tot ubique aspersa verborum ac sententiarum lumina, ut ex hoc uno poemate perspicere liceat, quantum Catullus ceteris in hoc genere omnibus præstare potuerit, si vim ingenii sui ad illud excolendum contulisset. Primum enim quod Manlium in duris atque acerbis rebus suis, ea quæ sibi solatio forent, ab ipso potissimum petere voluerit, gratam sibi esse affirmat illam amicitiæ significationem. Cum autem ille duorum generum munera peteret, Musarum videlicet, & Veneris; ostendit, neutrum a se*
*præ-*

Naufragum ut ejectum spumantibus æquoris undis
Sublevem, & a mortis limine restituam:

Quem

*præstari posse; quod e fratris sui morte tantum dolorem hauserit, ut earum rerum studia ipsi penitus ex animo exciderint. Postremo beneficia a Manlio apud se posita elegantissimis versibus commemorat, eique fausta feliciaque omnia a diis immortalibus comprecatur.* M. Antonius Muretus.

v. 2. *Conscriptum hoc lacrimis m. e.* ] Tamquam in scribendo Manlius lacrimis pro atramento sit usus. Poetæ nihilominus lacrimis frequentius lituram tribuunt eorum quæ scripta sunt. Propertius Elegia 3. lib. 4.

*Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,*
*Hæc erit e lacrimis facta litura meis.*

Ovidius Epistola Briseidos v. 3.

*Quascumque aspicies, lacrimæ fecere, lituras.*

Immo qui dolerent, epistolam scripturi, lacrimis pro saliva utebantur ad anulum madefaciendum, quo signum tabellis imprimerent. Idem poeta Sulmonensis lib. 5. Tristium Elegia 4.

*Flens quoque me scripsit: nec qua signabat, ad os est*
*Ante, sed ad madidas gemma relata genas.*

ibid. *Epistolium* ] Ἐπιστόλιον, brevem epistolam. Sic ἐλεγείδιον, brevis elegia. quam vocem usurpat Persius Satyra 1. v. 51.

v. 3. *Naufragum ut ejectum s. a. u.* ] Ipsa enim fluctuum agitatione corpora naufragorum feruntur ad litus. quo pertinent illa M. Tullii celeberrima ex Oratione pro Sex. Roscio Am. *Quid tam est commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis?*

v. 4. *Sublevem* ] Ne absorbeatur, & suffocetur. Propertius Elegia 5. lib. 3. de Pœto, qui naufragium fecerat:

*Vos decuit lasso supponere brachia mento.*
*Non poterat vestras ille gravare manus.*

ibid. *A mortis limine restituam* ] Lucretius pariter lib. 2. v. 960.

*Nam, quare potius leti jam limine ab ipso*
*Ad vitam possint conjecta mente reverti,*
*Quam, quo decursum prope jam siet, ire, & abire?*

Idem lib. 6. v. 1155.

*Languebat corpus, leti jam limine in ipso.*

Silius Italicus quoque lib. 5. Punicorum v. 422.

*- - - - Certantes laude cadendi*
*Primævos juvenes, mortisque in limine cruda*
*Facta virûm - - - - - -*

Ἀΐδου πύλας ... ἀνοίξας *apertas mortis, sive Orci portas*, memorat Euripides Hippolyto v. 56.

ibid. *Restituam* ] Eodem pacto *restituere ab occasu* Sallustius dixit, seu quisquis est auctor, Oratione 2. ad C. Cæsarem de Republica Ordinanda: *Si vero urbem amplissumo nomine, & maxumo imperio, prope jam ab occasu restitueris; quis te clarior, quis major in terris fuerit?* Similiter Cornelius Nepos Epaminonda: *Thebas ab interitu retraxit.* Scriptor Anonymus de miraculis S. Stephani primi Martyris lib. 2. cap. 2. *Ab ipsa mortis regia, rursus auris est vitalibus restituta.* & cap. ultimo: *Ut hominem ad vitam ab ipso mortis limine reduxerit.*

Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
 Desertum in lecto cœlibe perpetitur:
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musæ
 Oblectant, quum mens anxia pervigilat:
Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicum,
 Muneraque & Musarum hinc petis, & Veneris.

Sed,

v. 5. *Sancta Venus* ] Et Venerem & Amorem *sanctos* appellabant. Noster superius Carm. 63. v. 95. de Cupidine:

*Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces.*

ibid. *Molli somno* ] Hinc illud παροιμιῶδες, *somno mollior*, ad mollissimum quid significandum. Virgilius Ecloga 7. v. 45.

*Muscosi fontes, & somno mollior herba.*

Ante illum vero Theocritus Idyl. 5. v. 50.

Η῎ μὰν ἀρνακίδας τε καὶ εἴεια τᾷδε πατησεῖς,
Αἴκ' ἔνθῃς, ὕπνω μαλακώτερα - - - -
*Atqui pelles agninas, & lanam hîc calcabis,*
*Si veneris, somno molliorem* - - - -

ubi Scholiastes: Λέγεται δὲ, inquit, μαλακὰ, ἔεια, καὶ κηρὸς, καὶ τὰ τοιαῦτα. ὁ δὲ ὕπνος, ὁ κατὰ ταῦτα λέγεται μαλακὸς, ἀλλ' ὡς μαλακοποιός. i. e. *Dicuntur molles lanæ, & cera, & alia hujusmodi: somnus porro non ad eorum exemplum dicitur mollis, verum quia molles efficit.* Quid enim, rogo, dormitante vel dormiente homine infirmius, aut quid mollius eo qui nimio somno indulget? Ovidius in Remediis Amoris v. 145.

*Languor, & immodici nullo sub vindice somni,*
*Aleaque, & multo tempora quassa mero,*
*Eripiunt omnes animo sine vulnere nervos.*

Potest etiam Somnus, deorum ignavissimus, hoc epitheto significari; cujus venustam descriptionem lege sis apud Nasonem lib. 11. Metamorphoseon.

v. 6. *Desertum in l. cælibe p.* ] Cave, mi lector, ne auscultes Parthenio, Palladio Fusco, & Alexandro Guarino, minus considerate docentibus, de Juliæ matronæ, uxoris Manlii, acerbo funere hæc intelligenda, cujus epithalamium poeta cecinit Carm. 60. Recte enim Josephus Scaliger censet, ad amatorium lectum, non ad nuptialem thalamum hæc pertinere. Etenim quo tempore Catullus pulcherrimam hanc Elegiam conscripsit, inter Manlium & puellam ab ipso amatam videntur inimicitiæ fuisse. Nam si uxorem Juliam Manlius extulisset, quomodo Catullus de lascivis amoribus mentionem faceret? aut quomodo Manlius ipse Veneris munera peteret ab amico, puta lenocinium aliquod, & ineptias hujus generis, quæ luctui parum conveniunt? Fortasse igitur Manlius eo tempore nondum uxorem duxerat. *Cælebs lectus*, aut ego fallor, hîc est, consuetis amoribus vacuus, cujusmodi lectum paullo post *desertum cubile* noster appellat.

v. 7. *Veterum scriptorum carmine* ] Græcorum præsertim, quos *nocturna & diurna manu* versabat Catullus, &, ut videtur, Manlius quoque.

v. 8. *Pervigilat* ] Sic omnino legendum cum Alexandro Guarino, Achille Statio, codice Patavino, Gryphiana edit. 1542., & Aldinis duabus: non *pervigilet*. Eodem enim pacto infra v. 32.

*Hæc tibi non tribuo munera, quum nequeo.*

non sane, *quum nequeam*.

v. 10. *Musarum, & Veneris* ] Puta versiculos amatorios, quibus Manlius ami-

Sed, tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli,
  Neu me odisse putes hospitis officium:
Accipe queis merser fortunæ fluctibus ipse,
  Ne amplius a misero dona beata petas.
Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
  Jucundum quum ætas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est dea nescia nostri

Quæ

amicam iratam placare posset. Quod enim ajunt interpretes, Manlium a Catullo libros nescio quos muneri aut commodato poposcisse, somnia sunt & quisquiliæ meræ.

v. 12. *Hospitis officium* ] Videtur enim Manlius, quotiescumque Veronam venisset, hospitio poetæ uti solitus: non contra Catullus Romæ apud Manlium divertisse; ibi enim poeta domicilium ipse habuisse videtur, eum ei Roma esset altera patria.

v. 13. *Merser fortunæ fluctibus* ] Contra Horatius Epist. 2. lib. 1. de Ulixe:

-- *Adversis rerum immersabilis undis.*

v. 14. *Dona beata* ] Quæ a beato & divite solum proficisci possunt. Propertius Elegia 16. lib. 2. E. B.

*Nec mihi muneribus nox ulla est emta beatis.*

quem locum attulit Achilles Statius.

v. 15. *Vestis pura* ] Toga virilis, quæ unicolor, nempe candida, erat: cum vestis puerorum filis purpuræ intexta, limboque purpureo prætexta esset. Plinius lib. 8. Nat. Hist. cap. 48. de Caja Cæcilia: *Ea prima texuit rectam tunicam, quales cum toga pura tirones induuntur, novæque nuptæ. Purus* Latinis est ὅμοιος. hine *argentum purum*; id est læve, nullis emblematis asperum: quod propterea minoris pretii: *pura fictilia*, eadem significatione. Hanc vestem adolescentes induebant anno ætatis XVI. cum prætextam puerilem deposuissent. Papinius Statius lib. 5. Silvarum Carm. 2. v. 65.

*Occidit, heu, geminam prolem sine præside linquens,*
*Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis*
*Exuit, albentique humeros induxit amictu.*

Persius Satyra 5. v. 30.

*Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,*
*Bullaque succinctis Laribus donata pependit:*
*Cum blandi comites, totaque impune Suburra*
*Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.*

v. 16. *Jucundum q. æ. f. ver a.* ] Adolescentia veri a poetis comparatur. Ovidius lib. 10. Metamorph. v. 85.

*Ætatis breve ver, & primos carpere flores.*

Franciscus Petrarcha (*nella Canzone* 44.)

*Ch' era dell' anno, e di mia etate Aprile.*

Petrus Bembus, elegantiarum promus condus, in Carminibus Italicis:

*E' la vostra bellezza quasi un orto:*
*Gli anni teneri vostri Aprile e Maggio,*

v. 17. *Lusi* ] Poetæ plerumque, facultatem suam extenuantes, quæ scripserunt carmina, præsertim amatoria, lusus vocant. Virgilius initio Culicis:

*Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia,*
*Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum.*

*gracilem Thaliam* Elegos appellat, genus carminis tenue, & argumentis levio-

Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.
Sed totum hoc ſtudium luctu fraterna mihi mors
Abſcidit. o miſero frater ademte mihi!
Tu mea tu moriens fregiſti commoda, frater.
Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia noſtra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.

Quo-

vioribus dicatum. fortaſse enim Maro, antequam Culici manum admoveret, ſcribendis Elegis otium ſuum oblectaverat. vel ipſum poema de Culice intelligit.

v. 18. *Q. dulcem curis miſcet amaritiem* ] Γλυκύπικρον vocat Muſæus de amoribus Leandri & Herûs v. 166. Franciſcus Petrarcha, Muſarum ocellus, non ſemel *dolce amaro*. Hanc porro ſententiam plurimi ſcriptores perſecuti ſunt: e quibus nonnullos deligere atque afferre placet. Anacreon Ode 45.

Ἀκίδας δ' ἔβαπτε Κύπρις,
Μέλι τὸ γλυκὺ λαβοῦσα,
Ὁ δ' ἔρως χολὴν ἔμισγεν.
*Cuſpides tingebat Venus,*
*Melle dulci accepto,*
*Et Cupido fel miſcebat.*

Georgius Piſidas ἐν Κοσμουργίᾳ, nempe in poemate de Mundi Fabrica, v. 787.

Καὶ συγκεραννὺς ἡδονῇ τὴν πικρίαν.
*Miſcenſque amarorem voluptati aſperum.*

Plato in Timæo: Ἡδονῇ καὶ λύπῃ μεμιγμένος ἔρως. *Voluptate ac dolore mixtus Amor.* Et in Philebo: Τὸ δὴ λεγόμενον, πικρῷ γλυκὺ μεμιγμένον. *Dulce, ut dicitur, amaro permixtum.* Concinit Plautus Pſeudolo Ac. 1. Sc. 1. v. 60.

- - *Mihi videor cum ea fabularier.*
*Lege: dulce amarumque una nunc miſces mihi.*

Copioſe & graviter Boethius de Conſolatione Philoſophiæ lib. 3. Metro 7.

*Habet omnis hoc voluptas,*
*Stimulis agit fruentes,*
*Apiumque par volantum,*
*Ubi grata mella fudit,*
*Fugit, & nimis tenaci*
*Ferit icta corda morſu.*

Cur ita fiat, lepide cauſſam affert vir ſummus, Petrus Bembus ( *nel Sonetto* 25. ) Amorem ipſum inducens ita loquentem:

*Riſponde, Voi non dureteſte in vita;*
*Tanto è il mio amaro e il mio dolce mortale;*
*Se n' aveſte ſol queſta o quella parte.*
*Congiunti; mentre l' un nell' altro male*
*S' avventa, e ſcemal di ſua forza in parte;*
*Quel che v' ancideria per sè, v' aita.*

v. 20. *Abſcidit* ] Abrupit. Ea vero dicuntur abſcindi quæ omnino amittuntur ſine ulla ſpe recuperandi. Horatius Epodo 16. v. 35.

*Hac, & qua poterunt reditus abſcindere dulces*
*Eamus omnis exſecrata civitas.*

Codex tamen Patavinus, & pleræque Catulli editiones habent *Abſtulit*.

v. 21. *Fregiſti commoda* ] Sic *frangere & infirmare opes*, apud Ciceronem.

v. 22. *Tecum una tota e. n. ſepulta domus* ] Eodem ſepulcro tecum quaſi tumulata, qui ejus & columen & præſidium fueras. Pedo Albinovanus de Morte Druſi ad Liviam v. 263.

*Spes quoque multorum flammis uruntur in iſdem.*

i. e. eodem rogo abſumuntur quo Druſi cadaver.

v. 23. *Gaudia qua alebat amor* ] Idem Albinovanus eadem Elegia v. 29.

*Fin-*

Quojus ego interitu tota de mente fugavi
  Hæc ſtudia, atque omnes delicias animi.
Quare, quod ſcribis, Veronæ turpe Catullo
  Eſſe: quod hic quiſquis de meliore nota
Frigida deſerto tepefecit membra cubili;
  Id, Manli, non eſt turpe: magis miſerum eſt.

Igno-

*Fingebas reducem, præceptaque mente fovebas*
*Gaudia* - - - -

& v. 37. *Gaudia vana foves*. *Alere amorem* dixit Ovidius lib. 2. Artis v. 152.

*Dulcibus eſt verbis mollis alendus amor.*

& in Remediis v. 746 Sic *alere audaciam*, *ſpem*, *crudelitatem*, Ciceronianæ ſunt locutiones. Corn. Nepos in vita Attici ſub finem: *Nam mihi ſtat alere morbum deſinere*. Ovidius pariter lib. 5. Triſtium Elegia 2.

*Pæne decem totis aluit Pæantius annis*
*Peſtiferum tumido vulnus ab angue datum.*

quamquam ibi Burmannus legat *virus*.

v. 27. *Veronæ eſſe* ] Nimirum, commorari. Propertius Elegia 8. lib. 1.

*Hic erit, hic jurata manet: rumpantur iniqui.*

Cicero Epiſt. 2. lib. 1. ad Q. Fratrem: *Plato quidam Sardianus, Epicureus, qui Athenis ſolet eſſe multum.*

v. 28. *Hîc* ] Romæ, non Veronæ: quamquam videatur, dici a Catullo debuiſſe *iſtic*. Verum Manlium ipſum, vel ejus epiſtolam quaſi loquentem inducit. Niſi dicamus, adverbium pro adverbio poſitum. Servius ad illud Virgilii Æneid. 1. v. 16. *Hic illius arma, Hîc currus fuit: -- Figura creberrima*, inquit, *adverbium pro adverbio poſuit, præſentis loci pro abſentis. Debuit enim dicere* illîc arma.

ibid. *Quiſquis de m. n.* ] *Quiſquis* pro *quiſque*, *omnis*. vel ſubaudiri oportet *eſt*.

ibid. *Quiſquis de meliore nota* ] Ut quiſque locupletiſſimus eſt, vel nobiliſſimus. Curius Ciceroni Epiſt. 29. lib. 7. ad Famil. *Et Sulpicii ſucceſſori nos de meliore nota commenda*. Ubi Manutius: *Diligentiſſime. Tranſlatio a doliis, quibus diverſæ inuruntur notæ, ut internoſcantur vina*. Leſbiam porro, Catulli amicam, viris principibus dare conſueviſſe, poſſet aliquis facile colligere ex Carm. 58. in quo poeta iratus de illa ſic ſcribit:

*Nunc in quadriviis & angiportis*
*Glubit magnanimos Remi nepotes.*

niſi potius de plebe Romana id accipiendum eſſet, εἰρωνικῶς.

v. 29. *F. d. t. m. c.* ] Dum Catullus, amicâ & lecto vacuo Romæ relictis, Veronæ diutius commoratur.

v. 30. *Id, M. n. e. turpe: magis miſerum e.* ] Quæ non vitio noſtro nobis eveniunt incommoda, ea infortunia potius, quam flagitia dicenda ſunt. Phædrus Fab. 11. lib. 3.

*Sed quid Fortuna, ſtulte, delictum arguis?*
*Id demum eſt homini turpe quod meruit pati.*

Porro qui turpitudinem a miſeria diſtinguit, Stoicorum decretis adverſatur. Nemo enim eruditorum ignorat, eos philoſophos, rigidos honeſtatis ſatellites, miſeriam in ſola turpitudine collocaviſſe. M. Tullius de Haruſpicum Reſponſis populariter & ipſe locutus eſt. *Nam ſi Cn. Pompejo*, inquit, *viro uni omnium fortiſſimo quicumque nati ſunt, miſerum magis fuit, quam turpe, quamdiu ille tribunus plebis fuit, lucem non aſpicere, carere publico*, &c.

Ma-

Ignoſces igitur, ſi, quæ mihi luctus ademit,
  Hæc tibi non tribuo munera, quum nequeo.
Nam quod ſcriptorum non magna eſt copia apud me,
  Hoc fit, quod Romæ vivimus: illa domus,

Illa

*Magis* pro *potius* uſurpavit etiam Virgilius Ecloga 1. v. 11.

*Non equidem invideo: miror magis* --

& Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. ver. 74.

*-- An ſocia Junone, & Pallade fretus*
*Armiſona, ſuperet magis, & freta juſſa capeſſat?*

Huc pertinet inſignis locus M. Tullii lib. 1. de Oratore cap. 42. *Perfectam*, inquit, *artem juris civilis habebitis, magis magnam atque uberem, quam difficilem & obſcuram*. ubi quidam Lexicographi negligenter docent, *magis magnam* ſignificare *majorem*; cum apertiſſime ſignificet *potius magnam*. *Magis* uſurpatur a Salluſtio pro *rectius* initio Belli Catilin. *Animi imperio, corporis ſervitio magis utimur*.

v. 31. *Ignoſces igitur* ] Propertius pariter Elegia 11. lib. 1.

*Ignoſces igitur, ſi quid tibi triſte libelli*
*Attulerint noſtri* - - -

v. 33. *Scriptorum copia* ] Excuſat ſe Manlio, quod negotiis familiaribus impeditus, & neceſsaria librorum ope deſtitutus, verſibus faciendis, quos Manlius ab ipſo petiverat, minus vacare poſſit. τὸ *ſcriptorum*, vel eſt a recto *ſcriptum*, vel potius a *ſcriptor*. Si a *ſcriptum* derivemus, vel accipiendum erit de ſcriptis veterum poetarum, quæ aſſidue Catullus volvebat, vel de lucubrationibus noſtri poetæ. *Copiam* vero *ſcriptorum* ita dixit, quemadmodum Horatius Epiſt. 18. lib. 1. v. 109.

*Sit bona librorum, & proviſa frugis in annum*
*Copia* - - - - -

v. 34. *Fit* ] Evenit, accidit. Auctor ad Herennium lib. 1. *Et ſæpe fit, ut de eadem re aliud alii judici videatur*.

ibid. *Romæ vivimus* ] Veronæ enim ſumus tamquam peregrini, & apud hoſpitem: Romæ autem ſtabile domicilium habemus, atque ibi in luce hominum, in ampliſſimo & frequentiſſimo orbis terrarum theatro ætatis fabulam libenter agimus. Porro ex his verſibus manifeſtum mihi videtur, Catullo ſatis lautum patrimonium fuiſſe: non enim cujuſlibet erat in municipio nati Romæ vivere, ſed eorum tantummodo qui prædiis quæſtuoſis, & pecuniis abundabant. Operæ pretium eſt audire Juvenalem Sat. 3. v. 164.

*Haud facile emergunt, quorum virtutibus obſtat*
*Res anguſta domi: ſed Romæ durior illis*
*Conditio: magno hoſpitium miſerabile, magno*
*Servorum ventres, & frugi cœnula magno.*

& paullo poſt v. 180.

*Hîc ultra vires habitus nitor: hîc aliquid plus*
*Quam ſatis eſt, interdum aliena ſumitur arca.*
*Commune id vitium eſt: hîc vivimus ambitioſa*
*Paupertate omnes. quid te moror? omnia Romæ*
*Cum pretio* - - - -

Nam quod Catullus Carm. 13. *ſacculum ſuum aranearum plenum* aperte ſit faſſus, id joco & κατὰ πρόφασιν dictum crediderim, ne videlicet amico ſumtuoſam cœnam dare cogeretur: præterquamquod etiam divites interdum a pecunia imparatos eſſe contingit, præſertim ſi ſumtum nimis liberalem faciant, nec rationes accurate conficiant.

v. 35.

Illa mihi sedes, illic mea carpitur ætas:
  Huc una ex multis capsula me sequitur.
Quod quum ita sit, nolim statuas, me mente maligna
  Id facere, aut animo non satis ingenuo,
Quod tibi non utriusque petenti copia facta est.
  Ultro ego deferrem, copia si qua foret.
Non possum reticere, deæ, qua Manlius in re
  Juverit, aut quantis juverit officiis;

Ne

v. 35. *Illic mea carpitur ætas* ] Deteritur, & fit minor. Verbum a nentibus translatum: nentes enim mulierculæ dicuntur *pensa carpere*. Similiter locutus Ovidius lib. 2. Artis Am. v. 114.

*Forma bonum fragile est; quantumque accedit ad annos,*
*Fit minor; & spatio carpitur ipsa suo.*

Horatius vero Ode 11. lib. 1.

*- - - Carpe diem, quam minimum credula postero.*

quo tamen loco τὸ *carpe* pro *arripe*, vel *occupa*, usurpatum videtur.

v. 36. *Una capsula me sequitur* ] Quæ libellos aliquot, comites viæ, ac solatia peregrinationis, contineat. Libros enim capsis circumferebant. Juvenalis Sat. 10. v. 117. de puero in ludum litterarium eunte:

*Quem sequitur custos angusta vernula capsa.*

Hos porro servos pedissequos, a capsis gestandis *capsarios* appellabant. Quo pertinet insignis locus D. Augustini Enarratione in Psalmum 40. num. 14. *Major*, inquit, *serviet minori, modo impletum est: modo, fratres, nobis serviunt Judæi, tamquam capsarii nostri sunt, studentibus nobis codices portant.*

v. 37. *Nolim statuas* ] Nolim tibi persuadeas, censeas, judices. Cicero lib. 1. ad Atticum Epist. 4. *Qui in te satis consilii statuebam esse.*

v. 39. *Petenti copia facta est* ] Vossius malebat, *posta est*. at nihil mutandum. *copiam facere*, locutio frequens optimis Latinitatis auctoribus. In plerisque editionibus: *utriusque petiti*; id est duarum rerum quas Manlius a Catullo petiverat: ut *petitum* eo modo dicatur, quo *datum* dicimus.

v. 40. *Ultro deferrem* ] Non exspectarem dum tu peteres, verum ipse non rogatus, & mea sponte tibi gratificari vellem. Sic locuti Cicero & Livius: quorum exempla vide apud Achillem Statium.

v. 41. *Deæ* ] Musæ, numina poetarum, κατ᾽ ἐξοχὴν. Propertius Elegia 2. lib. 3.

*E quarum numero me contigit una dearum:*
*Ut reor a facie, Calliopea fuit.*

Vide initium Homericæ Iliados.

ibid. *Qua Manlius in re* ] Subaudi *me*. Pronomina enim *me*, *te*, *se* plerumque non sine elegantia reticentur. In editione Vossii perperam legitur: *qua me Manlius in re*, una syllaba redundante; id tamen operarum vitio tribuendum esse, non dubito. Scaligeri lectio erat: *qua me Allius in re*. Putabat enim vir καιρινόμος, hunc Manlium Catulli amicum, cum ex Allia gente in Manliam familiam ope adoptionis transisset, Allienum vocari cœpisse: pro quo Catullus Allium

Ddd di-

Ne fugiens sæclis obliviscentibus ætas
Illius hoc cæca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis. vos porro dicite multis
Millibus, & facite hæc charta loquatur anus.
*     *     *     *     *     *     *     *

Notescatque magis mortuus, atque magis:

Ne

dixerit, cum aliter is *in legem carminis includi non posset*. Hanc tamen lectionem Scaliger nec Vossio, nec mihi satis probavit.

v. 43. *Fugiens ætas* ] Horat. Od. 30. l. 3.

*Quod non imber edax, non Aquilo impotes*
*Possit diruere, aut innumerabilis*
*Annorum series, & fuga temporum.*

ibid. *Sæclis obliviscentibus* ] Cicero lib. 6. de Republica in Somnio Scipionis: *Sermo, ait, numquam de ullo perennis fuit, & obruitur hominum interitu, & oblivione posteritatis exstinguitur.* Propterea laus clarorum virorum, quæ tractu temporis paullatim senescit, litterarum monumentis, ac præcipue carminibus, a silentio vindicanda, atque immortalitati commendanda est.

v. 44. *Cæca nocte* ] Nox a poetis appellatur cæca, maxime si nubila & illunis fuerit, quod scilicet rebus colorem, & oculis aspectum eripiat. Virgilius lib. 2. Æneid. v. 397.

*Multaque per cæcam congressi prœlia noctē*
*Conserimus - - - -*

Ita etiam clara nomina oblivione obscurantur, quæ propterea nocti comparatur.

ibid. *Studium* ] Caritatem, στοργὴν, ἀγάπην, qua me Manlius meus prosecutus est.

v. 45. *Sed dicam vobis. vos porro d. m.* ] Callimachus pariter Hymno in Dianam v. 186. allatus a Passeratio:

Εἰπὲ θεά, σὺ μὲν ἄμμιν, ἐγὼ δ' ἑτέροισιν ἀείσω.

*Dic, dea, tu quidem nobis: ego vero aliis canam.*

Simile quoque illud Plauti Asinaria Ac. 5. Sc. 2. v. 54. quamquam in re dissimili:

*Jace, pater, talos, ut porro nos jaciamus.*

Ceterum, ad Musas potissimum pertinere credebant, pulchrorum facinorum memoriam perennem & incorruptam servare. Erant enim Jovis filiæ ac Μνημοσύνης, nempe Memoriæ. Propterea sic eas alloquitur Virgilius Æneidos lib. 7. v. 645.

*Et meministis enim, divæ, & memorare potestis:*
*Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.*

v. 46. *Facite loquatur* ] Subaudi *ut*. Date operam ut loquatur. Ovidius eodem pacto lib. 9. Metamorph. v. 376.

*- - - - Nostraque sub arbore sæpe*
*Lac facitote bibat; nostraque sub arbore ludat;*
*Cumque loqui poterit, matrem facitote salutet.*

Idem Elegia 11. lib. 1. Amorum:

*Dum loquor, hora fugit. vacua bene redde tabellas.*
*Verum continuo fac tamen illa legat.*

Multus est in hac locutione Sulmonensis poeta.

ibid. *Charta anus* ] Ita Martialis Epigram. 40. lib. 1.

*Quales prisca fides, famaque novit anus.*

Et Epigram. 106. ejusdem libri:

*Et quicquid voluit, testa vocatur anus.*

Idem Epigram. 50. lib. 9. togam tritam & veterem, *anum* appellavit.

v. 47. * * * ] Hoc loco in plerisque antiquis codicibus lacuna est. Versum

Ne tenuem texens ſublimis aranea telam,
In deſerto Auli nomine opus faciat.

Nam

ſum porro quem præferunt editiones,

*Omnibus inque locis celebretur fama ſepulti,*

Catulli non eſſe, monuerunt olim Scaliger & Iſaacus Voſſius. Aliter enim, ut proverbio dicitur, catuli olent, aliter ſues. Qui tamen verſus exſtat in tribus codicibus manu exaratis Bibliothecæ Saibantium Veronæ. Mediolanenſis codex hunc exhibebat:

*Omnibus & triviis vulgetur fabula paſſim.*

qui ſpurius pariter eſt, ac paullo melioris farinæ.

v. 49. *Ne t. texens ſ. aranea telam* ] Ovidius Amorum 1. Elegia 14.

*Vel pede quod gracili deducit aranea filum,*
*Cum leve deſerta ſub trabe nectit opus.*

v. 50. *In deſerto Auli n.* ] Probo conjecturam Theodori Marcilii, hunc verſum ita legentis: quæ ſane lectio a veſtigiis priſcæ ſcripturæ minimum diſcedit. Videtur enim huic Manlio Catulli amico *Aulus* prænomen fuiſse. Apud Ciceronem certe in Epiſtolis ad Famil. & ad Atticum A. Torquati fit mentio. *Torquatus* autem Manliorum cognomen fuit.

ibid. *In deſerto nomine* ] In titulo ſtatuæ ſuppoſito. Collocabant enim veteres majorum ſuorum ſimulacra, qui honores & magiſtratus olim geſſiſſent, in atriis domuum privatarum; quod viri eruditi ſatis nôrunt: at cum haberentur negligentius, pulvere, ſitu, fumo, rubigine, aranearum telis, fœde inquinabantur. Quamobrem legimus apud Juvenalem Sat. 8. v. 4.

*Et Curios jam dimidios, humeroſque minorem*
*Corvinum, & Galbam auriculis naſoque carentem.*

& paullo poſt v. 8.

*Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros.*

Jubet igitur Catullus, Manlium ab ipſius carminibus nominis immortalitatem ſperare, quæ marmoribus vetuſtate conſumtis, tamen duratura ſint.

ibid. *Opus* ] Plautus Aſinaria Ac. 2. Sc. 4. v. 19.

*Juſſin' columnis dejici operas aranearum?*

Idem Sticho Ac. 2. Sc. 2. v. 24.

*Ut operam omnem aranearum perdam,*
*& texturam improbam,*
*Dejiciamque earum omnes telas - - -*

Non ſolum autem araneæ, ſed etiam apes *opus facere* dicuntur. Varro lib. 3. de R. R. cap. 2. *Anne dulcior eſt fructus apud te ex bubulo pecore, unde apes naſcuntur, quam ex apibus, quæ ad villam in alveariis opus faciunt?* Idem libro eod. cap. 16. *Hæ apes non ſunt ſolitaria natura, ut aquilæ, ſed ut homines - - - - - - Hic ratio atque ars: ab his opus facere diſcunt, ab his ædificare.*

ibid. *Opus faciat* ] Hoc noſtratibus eſt *lavorare*. Plautus in Addicto Comœdia deperdita:

*Opus facere nimio quam dormire mavolo:*
*Veternum metuo. - - - -*

Idem Aſinaria Ac. 5. Sc. 2. v. 23. de ſene ſcortatore, μεταφορικῶς:

*Ille opere foris faciundo laſſus noctu advenit.*

Cui Plautinæ locutioni, ut id obiter moneam, ſimilis eſt illa Lodovici Areoſti ( *nel Canto* 28. *St.* 37. )

*E la regina, e il nano vede ancora,*
*Che fanno al Re pur' il medeſmo ſcorno,*
*Trova l' altro dì ancor, che ſi lavora,*
*E l' altro; e al fin non ſi fa feſta giorno.*

Terentius Eunucho Ac. 2. Sc. 1. v. 14.

*Opus faciam, ut defatiger uſque, ingratiis ut dormiam.*

Idem Heautontim. Ac. 1. Sc. 1. v. 21.

*Quod in opere faciundo operæ conſumis tua,*
*Si ſumas in illis exercendis, plus agas.*

Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam,

Sci-

Cornelius Nepos denique in Themistocle: *Atque ut interim omnes servi atque liberi opus facerent.*

v. 51. *Dederit curam*] Similiter locutus Ovidius Remed. Amoris v. 557.

*O qui sollicitos modo das, modo demis amores.*

Dicebant quoque *curam gerere*. Virgilius Æneid. lib. 12. v. 48.

*Quam pro me curam geris, hanc, precor, optime, pro me*
*Deponas - - -*

ibid. *Duplex Amathusia*] *Duplicem* appellat Venerem, vel quod mores ejus deæ sint fallaces, & longe a simplicitate absint: quemadmodum Horatius Ode 6. lib. 1. *duplicem Ulixem* vocavit, ut plerique interpretantur; nam & Græcis διπλόη fraudem & versutiam significat: Vel quod se amatoribus modo propitiam, modo iratam præbeat, iisque mel felle mixtum bibendum porrigat. quo pacto dicimus etiam *utramque fortunam*, prosperam scilicet atque adversam: Vel quod Catullum illexerit ad duas puellas amandas, ut miseras amoris vices æquiore animo ferre posset. Huc pertinet illud Ausonii Epigram. 92.

*Suasisti, Venus, ecce, duas dyseros ut amarem.*
*Odit utraque: aliud da modo consilium.*

ut enim docet Ovidius Remed. Amoris v. 443.

*Secta bipartito cum mens discurrit utroque,*
*Alterius vires subtrahit alter amor.*

De duarum amoribus videndus idem poeta Amor. lib. 2. Elegia 10. Possumus etiam duas Veneres intelligere, πάνδημον unam seu *vulgarem*, quæ ad omne genus libidinum τὰς τυχόντας impellere putabatur, & cujus in foro Athenarum simulacrum olim consecratum exstitit, teste Joanne Meursio in Antiquitatibus Atticis: οὐρανίαν alteram seu *calestem*, unde in homines philosophiæ mysteriis initiatos honestum amorem proficisci existimabant: de quibus Veneribus copiose disputat Plato in Convivio. Sed omnium verisimillimum censeo, Catullum hoc loco intelligere voluisse amorem quo ipse in puellas & pueros formosos æque ferebatur: id enim cum ex ejus Carminibus apparet, tum a corruptissimis moribus Romanorum eo tempore viventium non abhorret. Certe ἀμφοτέρους ἔρωτας memorat Epigramma ἀδέσποτον in Anacreontem, his versibus:

Τὸν ἀμφοτέρων μὴ βλέπεις ἀκόρεστον ἐρώτων
Πρέσβυν, ἶσον κούροις, ἶσον ἀδόντα κόραις.

*Qui pueris æque placuit, placuitque puellis,*
*Utrovis cernis notum in amore senem.*

Vetus Poeta nescio quis apud Plutarchum in libello *Quomodo juveni audienda sint poemata*:

Πρὸς θῆλυ νεύει μᾶλλον, ἢ 'πὶ τἄρρενα;
Ὅπου προσῇ τὸ κάλλος, ἀμφιδέξιος.

i. e. Hugone Grotio interprete:

*Magis in mulieres fertur, an sexum in marem?*
*Æquus in utrumvis, pulchra si species adest.*

Quo respexit etiam Lucianus, seu quisquis est auctor, in Amoribus: Διπλοῦς θεὸς, inquit, ὁ ἔρως, οὐ κατὰ μίαν ὁδὸν φοιτῶν, οὐδ' ἑνὶ πνεύματι τὰς ἡμετέρας ψυχὰς ἐρεθίζων. *Duplex deus est Amor, non una via incedens, neque uno afflatu nostros animos lacessens.* Neque aliud sibi voluisse existimaverim Herodianum, cum lib. 2. cap. 26. ita de Juliano imperatore locutus est: Ὡς προσιόντα κακῶς ἀγοράζειν, ὑπ' αἰσχραῖς τε καὶ

ἀμφι-

Scitis, & in quo me torruerit genere:
Quum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
Lymphaque in Oetæis Malia Thermopylis,

Mœ-

ἀμφιβόλοις ἡδοναῖς σκώπτειν. *Ut prætereuntem maledictis insectarentur, & turpes ambiguasque voluptates exprobrarent.* nimirum *duplicem Venerem*, muliebrem ac puerilem; nisi forte illi obscœnæ patientiæ morbum objectabant. Illud non puduit Horatium aperte de se confiteri Epodo 11.

*Amore, qui me præter omnes expetit*
*Mollibus in pueris, aut in puellis urere.*

ibid. *Amathusia*] Sic habent codices MSS. ut Statius testatur: non *Amathuntia*. Amathus porro fuit oppidum insulæ Cypri, ubi Venus præcipua religione colebatur. Virgilius lib. 10. Æneid. v. 51. deam ipsam ita loquentem inducit:

*Est Amathus, est celsa mihi Paphus, atque Cythera.*

v. 52. *In quo genere*] Amorum scilicet, muliebri nempe ac puerili. *Genus* modum & rationem sæpenumero significat, quod vel tironibus notum ex Cicerone.

ibid. *Torruerit*] Hanc lectionem prætulerunt viri docti alteri quam exhibent scripti libri, nempe *corruerit*; quæ tametsi propugnari possit, insolens nihilominus ac duriuscula mihi videtur.

v. 53. *Q. t. arderem, q. Trinacria r.*] Hujusmodi comparatione gaudent optimi poetæ. Satis fuerit unus Horatius Epodo 17. v. 30.

- - - *O mare, o terra, ardeo,*
*Quantum neque atro delibutus Hercules*
*Nessi cruore, nec Sicanâ fervida*
*Virens in Ætna flamma* - - -

ibid. *Trinacria rupes*] Ætna, mons ignivomus in Sicilia, hodie *Mongibello*. Trinacriam dixerunt antiqui Siciliam a tribus promontoriis, quæ Græcis ἄκρας: Peloro nimirum, quo Italiam respicit; Pachyno, quo Græciam; & Lilibæo, quo Africam. Ovidius lib. 4. Fastorum v. 419.

*Terra tribus scopulis vastum procurrit in æquor*
*Trinacris; a positu nomen adepta loci.*

Et lib. 5. Metamorph. v. 349. de Typhoeo gigante, a Jove fulmine icto, & Sicilia imposita oppresso:

*Nititur ille quidem, pugnatque resurgere sæpe;*
*Dextra sed Ausonio manus est subjecta Peloro,*
*Læva, Pachyne, tibi; Lilibæo crura premuntur.*
*Degravat Ætna caput. sub qua resupinus arenas*
*Ejectat, flammamque fero vomit ore Typhoeus.*

ibid. *Rupes*] Pro monte positum. Virgilius pariter Ecloga 6. v. 29.

*Nec tantum Phœbo gaudet Parnassia rupes.*

v. 54. *Lympha Malia*] Μηλία Græcis, ut recte Scaliger. Θερμὰ λοῦτρα significat poeta noster, nempe *aqua calida lavacra*, quæ in Oeta monte fuerunt prope Thermopylas, Herculi dicata; de quibus, præter alios, consulendus Herodotus in Polyhymnia cap. 176. Porro videntur hæ thermæ nomen accepisse a Maliensi agro, unde & Μαλιακὸς κόλπος, *sinus Maliacus*, quem & *Lamiacum* dixerunt, in quem Sperchius Thessaliæ fluvius erumpit. Vossius pro *Malia* legit *Daulia* a cognomine Phocidis regione, Oetæ monti adjacente, ubi *Daulis* oppidum. Ceterum Theodoro Marcilio legenti *Manlie* hoc loco, pro *Manli*, nullo pacto auscultandum est.

ibid.

Mœsta neque assiduo tabescere lumina fletu
Cessarent, tristique imbre madere genæ.
Qualis in aerii pellucens vertice montis

Ri-

ibid. *In Oetæis Thermopylis* ] Thermopylæ fuerunt angustæ fauces inter mare & præruptos montes, per quas ex Thessalia in Phocidem, Locridem, ac Bœotiam olim transibatur. ἀπὸ τῶν θερμῶν ὑδάτων, *ab aquis calidis* appellatæ videntur. Hos porro montium aditus pæne inaccessos, πύλας Græci, nempe *portas*, vocabant. Cicero lib. 5. ad Atticum Epist. 20. *Itaque confestim iter in Ciliciam feci per Tauri pylas*. Thermopylas olim occupavit Leonidas Lacedæmoniorum rex cum trecentis fortissimis viris, atque ibi diutius Persici exercitus impetum sustinuit, ac tandem honestissimo genere mortis occubuit. Hunc locum graphice describit Livius lib. 36. Hist. ab U. C. his verbis: *Antiochus intra saltum Thermopylarum se se recepit. Id jugum, sicut Apennini dorso Italia dividitur, ita mediam Græciam dirimit. Ante saltum Thermopylarum septemtrionem versus Epirus, & Perrhæbia, & Magnesia, & Thessalia est, & Phthiotæ Achæi, & sinus Maliacus. intra fauces ad meridiem vergunt Ætoliæ pars major, & Acarnania, & cum Locride Phocis, & Bœotia, adjunctaque insula Eubœa, & excurrente in altum velut promontorio, Attica terra sita ab tergo, & Peloponnesus - - - - - - - Extremos ad orientem montes Oetam vocant. quorum quod altissimum est, Callidromon appellatur: in cujus valle ad Maliacum sinum vergente iter est non latius quam sexaginta passus. Hæc una militaris via est, qua traduci exercitus, si non prohibeantur, possint. ideo Pylæ, & ab aliis, quia calida aqua in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ locus appellatur; nobilis Lacedæmoniorum adversus Persas morte magis memorabili, quam pugna.*

v. 55. *Assiduo tabescere lumina fletu* ] Superius Carm. 63. v. 242.

*Anxia in assiduos absumens lumina fletus.*

v. 56. *Tristi imbre* ] Ovidius pariter lib. 4. Tristium Elegia 1.

*Corque vetusta meum tamquam nova vulnera sentit,*
*Inque sinum mœsta labitur imber aqua.*

Fonti, rivo, flumini, nivibus solutis, undis denique fletum & lacrimas comparaverunt optimi poetæ. Si quis uberem segetem exemplorum desiderat, is Jani Broukhusii, elegantissimi hominis, Commentarium in Tibullum ad Elegiam 9. lib. 1. v. 54. consulere ne gravetur.

v. 57. *Qualis in aerii p. v. m.* ] Sumta videtur, aut saltem derivata, hujusmodi similitudo ab Homero, ita canente Iliados lib. 9. v. 13.

- - - - - - Ἂν δ' Ἀγαμέμνων
Ἵστατο δακρυχέων, ὥστε κρήνη μελάνυδρος,
Ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.

- - - - - *Agamemnon autem*
*Surrexit lacrimas fundens, ceu fons aquis niger,*
*Qui ab excelsa petra nigram fundit aquam.*

ibid. *Aerii montis* ] Vertice in aerem altius insurgentis. Virgilius Ecloga 8. v. 59.

*Præceps aerii specula de montis in undas*
*Deferar - - - -*

Et in Ciri v. 301.

*Numquam tam obnixe fugiens Minois amores,*
*Præceps aeriis specula de montibus isses.*

ibid. *Pellucens* ] Aqua minus pellu-

Rivus, muſcoſo proſilit e lapide.
Qui quum de prona præceps eſt valle volutus,
Per medium denſi tranſit iter populi,
Dulce viatori laſſo in ſudore levamen,
Quum gravis exuſtos æſtus hiulcat agros:

Ac

lucida eſt quam aer: tametſi enim per eam corpora ultra poſita videri poſſint, puta lapilli, flores, herbæ, piſces in fundo jacentes, nihilominus & ipſa cernitur, cum radios luminis incidentes retorqueat, & ſimul cum ipſis imaginem ſui ad ſpectatorum oculos deferat; quod aeri probe defæcato non contingit. Propterea phyſici docent, in aqua opacum pellucido mixtum ineſſe. Porro, ubi aqua minus profunda eſt, ibi pellucet magis, niſi forte cœno turbata fuerit: contra, ubi altior eſt, nigrorem quemdam contrahit. Homerus iccirco loco paullo ante memorato, fontem appellat *μελάνυδρον*, nempe *aquis abundantem*. Ceterum aqua pellucida fontibus amœnitatem conciliat. Horatius Ode 13. lib. 3.

*O fons Blandusia, ſplendidior vitro.*

v. 58. *Muſcoſo e lapide* ] Muſcus herba quædam eſt minuta, inſtar lanuginis, quam Græci *μυίον*, *βρύον*, *σφάγνον* appellant. Arboribus adnaſcitur, & ſaxis aqua madentibus. Lucretius lib. 5. v. 949.

*Humida ſaxa ſuper viridi ſtillantia muſco.*

Virgilius vero lib. 3. Georgic. v. 143.

*Saltibus in vacuis paſcant, & plena ſecundum*
*Flumina: muſcus ubi, & viridiſſima gramine ripa,*
*Speluncæque tegant, & ſaxea procubet umbra.*

ibid. *Proſilit* ] Hoc Etruſci dicunt *ſpicciare*; neque ſolum aquis fontium, ſed & ſanguini tribuunt e vena erumpenti. Dantes Cantu 9. Purgat. v. 102.

*Come ſangue, che fuor di vena ſpiccia.*

v. 59. *De prona p. e. valle volutus* ] Optime animadvertit Muretus, hanc eſſe tmeſin, pro *devolutus*. T. Livius lib. 28. Hiſtor. ab U. C. *Velut monte præcipiti devolutus torrens.*

ibid. *De prona valle* ] Διάλεκτος qua hoc tempore Veronenſes utuntur, torrentem appellat *progno*. Hanc vocem SCIPIO MAFFEJUS, Vir Celeberrimus, Veronæ Illuſtratæ volum. 2. lib. 1. ubi de Catullo, exiſtimat a voce Latina *pronus*, tamquam ab origine, detortam eſſe: affertque ad id ſuadendum Catulli duo loca, alterum e Carm. 17.

*Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronũ.*

cum paullo ante poeta dixiſſet: *de tuo volo ponte Ire præcipitem:* alterum e Carm. 64.

*Atque illud prono præceps agitur decurſu.*

Horatius tamen, quamquam Venuſinus, Ode 29. lib. 1.

*- - Quis neget, arduis*
*Pronos relabi poſſe rivos*
*Montibus? - -*

v. 60. *Per medium d. t. i. populi* ] Puta per pagum quemdam frequentem,

*Qua facit aſſiduo tramite vulgus iter.*

ut ait Propertius lib. 3. Elegia 14.

v. 61. *Viatori laſſo in ſudore l.* ] Vel *viatori laſſo*, vel *viatori in ſudore laſſo*; ut nimirum ſudorem ipſum vocet *laſſum*, quia laſſitudinem efficit. Iſaacus Voſſius legit *baſſo*; cujus vocis veſtigia apparent etiam in codice Patavino. Docet autem ex veteribus Gloſſis, *baſſum* ſignificare *pinguem*, *obeſum*. Vix tamen induci poſſum, ut credam ita Catullum ſcripſiſſe.

v. 62. *Æſtus hiulcat agros* ] Findit, hiul-

Ac velut in nigro jactatis turbine nautis
  Lenius aspirans aura secunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Castoris implorata:
  Tale fuit nobis Manlius auxilium.

Is

hiulcos efficit, humore nimirum detracto, quo glæbæ cohærent. Virgilius lib. 2. Georgic. v. 352.

*- - - Hoc effusos munimen ad imbres,*
*Hoc, ubi hiulca siti findit Canis æstifer arva.*

v. 63. *Nigro turbine* ] Quia nigras nubes adducit, vel e nigris nubibus erumpit. Horatius eodem pacto dixit Ode 5. lib. 1. *aspera Nigris æquora ventis*. Ovidius autem Fastorum lib. 5. v. 323. *Cælum nigrescit ab Austris*.

v. 64. *Aspirans* ] Προσπνέουσα, ἐπιπνέουσα. Virgilius lib. 7. Æneidos v. 8.

*Aspirant auræ in noctem - -*

v. 65. *Jam prece Pollucis, jam Castoris i.* ] Modo Pollucis, modo Castoris auxilio invocato. Tibullus Elegia 2. lib. 1.

*Jam ciet infernas magico stridore catervas,*
*Jam jubet aspersas lacte referre pedem.*

ibid. *I. prece Pollucis, j. Castoris implorata* ] Castor & Pollux vocantur a Græcis θεοὶ σωτῆρες, *dii servatores*; *quorum*, ut ait Horatius Ode 12. lib. 1.

*simul alba nautis*
*Stella refulsit,*
*Defluit saxis agitatus humor,*
*Concidunt venti, fugiuntque nubes;*
*Et minax (quod sic voluere) ponto*
*Unda recumbit.*

De his ita Plinius lib. 2. Nat. Hist. cap. 37. *Et antennis navigantium, aliisque navium partibus, ceu vocali quodam sono* (stellæ) *insistunt, ut volucres sedem ex sede mutantes: graves, cum solitaria venere, mergentesque navigia: & si in carina ima deciderint, exurentes: gemina autem salutares, & prosperi cursus prænuntia: quarum adventu fugari diram illam ac minacem, appellatamque Helenam, ferunt. Et ob id Polluci & Castori id numen assignant: eosque in mari deos invocant*. Euripides tamen Oreste v. 1636. verbis Apollinis vaticinantis ait, Helenæ quoque sidus nautis propitium fore:

Ζηνὸς γὰρ οὖσαν ζῆν νιν ἄφθιτον χρεὼν,
Κάστορί τε, Πολυδεύκει τ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς
Σύνθακος ἔσται, ναυτίλοις σωτήριος.

*Nam, ut filiam Jovis, oportet vivere immortalem:*
*Castorique & Polluci in voluminibus aeris*
*Assidebit, nautis salutaris.*

ubi vide Scholiasten. Cum Plinio concinit Seneca Nat. Quæst. lib. 1. cap. 1. *In magna tempestate*, inqnit, *apparent quasi stellæ velo insidentes. Adjuvari se tunc periclitantes existimant Pollucis & Castoris numine. Caussa autem melioris spei est, quod jam apparet frangi tempestatem, & desinere ventos*. Qui mediterraneum mare navigant, hoc sidus appellant *Fuochi di S. Ermo*. Lepidum est quod narrat Balthassar Castilionius lib. 2. Aulici, de Consalvo Cordubensi, quem *magnum Ducem* appellabant. hæc sunt verba cultissimi scriptoris: *Come disse il gran Capitano ad un suo gentiluomo; il quale dopo la giornata della Cirignuola, e quando le cose già erano in securo, gli venne incontro armato riccamente quanto dir si possa, come apparecchiato di combattere; ed allor' il gran Capitano rivolto a Donn' Ugo di Cardona, disse: Non abbiate ormai più paura di tormento di mare, che Santo Ermo è comparito; e con quella onesta parola lo punse; perchè sapete che Santo Ermo sempre*

ai

Is clausum lato patefecit limite campum,
Isque domum nobis, isque dedit dominam:
Ad quam communes exerceremus amores;

Quo

*ai marinari appar dopo la tempesta, e dà segno di tranquillità. E così volse dire il gran Capitano, che essendo comparito questo gentiluomo, era segno che il pericolo già era in tutto passato*. Porro, *precem implorare*, locutio insolens videtur Achilli Statio: mihi non item, qui sciam, a poetis non raro induci deos minores Jovi supplicantes, ut ex uno Virgilii poemate satis constat. Poterant ideo nautæ Dioscuros rogare, ut ipsi a Jove patre maris tranquillitatem precibus impetrarent. Sic & *expetere deorum preces* legitur in fragmento Epistolæ Corneliæ matris Gracchorum ad Cajum filium. *Ubi mortua ero*, inquit, *parentabis mihi, & invocabis deum parentem. In eo tempore non pudet te eorum deûm preces expetere quos vivos atque præsentes, relictos atque desertos habueris?* Achilles apud Homerum Iliados 1. v. 394. Ἐλθοῦσ' Οὔλυμπόνδε Δία λίσαι. *Profecta ad cælum Jovem precare*. Thetidem matrem suam alloquitur. Quæ cum ita sint, Isaacus Vossius tamen ex veteribus libris legit:

*Jam prece Pollucis, jam Castoris implorante*.

Ait enim, a nullo scriptore traditum, opus fuisse, ut in singulis navigantium periculis, Castor & Pollux Jovem patrem pro illorum salute adirent; cum semel ab ipso imperium in tempestates accepissent. Verum aliorum deorum exempla satis fuerint: ac propterea nihil mutandum.

v. 66. *Tale fuit nobis M. auxilium*] Simillima sententia Euripidis Oreste v. 725.

Πιστὸς ἐν κακοῖς ἀνὴρ,
Κρείσσων γαλήνης ναυτίλοισιν εἰσορᾶν.

*Fidus vir in adversis rebus*
*Jucundior est visu, quam nautis tranquillitas*.

v. 67. *Clausum l. patefecit l. campum*] Ineptiunt qui putant, Catullum a Manlio agri parte donatum. Campus enim hoc loco est copia, seu potestas exercendi amorem, & amica fruendi: cui opponuntur angustiæ ac difficultas. Pari translatione utitur Cicero pro Muræna. *Nullum nobis*, inquit, *fors campum dedit, in quo excurrere virtus cognoscique possit*. Et lib. 4. Academic. Quæstionum: *Cum sit campus in quo exsultare possit oratio, cur eam in tantas angustias compellimus?* Propertius Elegia 8. lib. 2. E. B.

*Et campum Æmonio jam dare tempus equo*.

v. 69. *Communes e. amores*] Qui rivalem in amore pati poterant, immo ab ejus amicitia non abhorrere, faceti atque urbani habebantur. Plautus Sticho Ac. 5. Sc. 4. v. 47.

*Hæc facetia'st, amare inter se rivales duos;*
*Uno cantharo potare, & unum scortum ducere.*
*Hoc memorabil' est: ego tu sum, tu es ego: uni animi sumus:*
*Unam amicam amamus ambo: mecum ubi est, tecum est tamen.*
*Tecum ubi autem est, mecum ibi autem est: neuter utri invidet.*

Quo pertinent illa Joannis Boccatii (*nella Novella 7. della 2. Giornata*) *Convennero di fare l' acquisto di questo amore comune (quasi amore così questo dovesse patire, come la mercatanzia, o i guadagni fanno)*: item illa Lodovici Areosti, Cantu 28. Rolandi Furentis Strophe 50.

Quo mea se molli candida diva pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
Innixa arguta constituit solea:

Con-

*Gli è meglio una trovarne, che disfaccia*
*E di costumi ad ambi grata sia;*
*Che lor communemente sodisfaccia,*
*E non n' abbian d' aver mai gelosia.*

Græcus tamen poeta Epigram. 159. lib. 7. Anthologiæ id abominatur. Μισῶ, inquit, κοινὸν ἔρωτα, Κύπρι. *Odi communem amorem, Venus*. Neque tanta morum facilitas Virgilio placuit, si Donatum audimusin ejus Vita. *Vulgatum est*, ait, *consuevisse eum cum Plotia Hieria: sed Asconius Pedianus affirmat, ipsum postea minoribus natu narrare solitum, & invitatum quidem se a Vario ad communionem mulieris, verum se pertinacissime recusasse*.

v. 70. *Molli pede* ] Vel tenero & puellari, vel, quod verius arbitror, molliter incedente. Propertius lib. 2. Elegia 9. E. B.

*Quæ caput, & digitos, & lumina nigra puella,*
*Et canit ut soleant molliter ire pedes.*

Id Græci dicunt ἁβρὰ βαίνειν. Laudi vero ducebatur puellis commode ac delicate incedere, dum ne modus excederetur. Testis Ovidius lib. 3. Artis Amat. v. 298. ita mulierculis præcipiens:

*Discite femineo corpora ferre gradu.*
*Est & in incessu pars non temnenda decoris:*
*Adlicit ignotos ille, fugatque viros.*

& paullo post:

*Sed sit, ut in multis, modus hic quoque: rusticus alter*
*Motus; in incessu mollior alter erit.*

Porro tanti æstimabant in feminis decoram hanc ambulandi rationem, ut nonnumquam in sepulcralibus quoque cippis non indictam præterirent. Certe Inscriptio vetus apud Gruterum pag. DCCLXIX. num. 9. Claudiam quamdam fuisse testatur

SERMONE. LEPIDO. TVM. AVTEM. INCESSV. COMMODO

ibid. *Candida diva* ] Non Venus quidem, ut Parthenius perperam interpretatur: at puella formosa, ipsi Veneri æquiparanda; ut recte Alexander Guarinus.

Ἶσα θεοῖσι, πλὴν τὸ κατθανεῖν μόνον.
*Similis deabus, præter mori solum.*

quod ait Euripides in Hecuba v. 356. Ovidius Epist. Paridis v. 331.

*Ibis Dardanias ingens regina per urbes:*
*Teque novam credet vulgus adesse deam.*
*Quaque feres gressus, adolebunt cinnama flamma,*
*Cæsaque sanguineam victima planget humum.*

v. 71. *Intulit* ] Eodem ferme pacto Propertius Elegia 18. lib. 1.

*Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro*
*Limine formosos intulit ulla pedes.*

quod occupavit Achilles Statius.

ibid. *Trito limine* ] Teruntur enim limina, frequenti hominum aditu & abitu; quemadmodum & viarum lapides. Lucretius lib. 1. v. 316.

*Strataque jam volgi pedibus detrita viarum*
*Saxea conspicimus - - -*

ibid. *Fulgentem plantam* ] Quod videlicet soccum, vel soleam aureis vinculis nexam haberet. Χρυσεοσάνδαλον ἴχνος, *vestigium aureis sandaliis*, memorat Euripides Oreste v. 1468.

v. 72. *Innixa arguta solea* ] Ita Propertius lib. 3. Elegia 22. E. B.

Pro-

Conjugis ut quondam flagrans advenit amore,
  Proteſilaeam Laodamia domum
Inceptam fruſtra, nondum quum ſanguine ſacro
  Hoſtia cæleſtes pacificaſſet heros.

Nil

*Proſilit in laxa nixa pedem ſolea.* quod ab aliis jam obſervatum eſt.

ibid. *Arguta* ] Pulchra & concinna, quippe venuſto & exiguo pedi accommodata. Nam & *argutum* equi *caput* pro brevi Virgilius dixit Georgicon lib. 3. v. 80. & Sicyonios calceos ab elegantia & concinnitate antiqui laudabant. Lucretius lib. 4. v. 1118.

*- - Pulchra in pedibus Sicyonia rident.* ubi ſubaudiendum videtur *ſandalia*, vel ὑποδήματα. Niſi dicamus, argutam ſoleam, ſtridulam eſſe, quæ nimirum inter ambulandum crepitum edit, unde fortaſſe & *crepida*. Id porro ſoleis accidit, novis præſertim, quæ nondum uſu mollitæ ac ſubactæ ſunt. Sed & data opera hunc tinnitum in crepidis quærebant interdum leves muliérculæ, ut adventu ſuo omnium aures & oculos in ſe converterent. Vide Voſſii Commentarium, in quo plura lectu jucunda invenies.

ibid. *Conſtituit* ] Nempe *plantam*. Ita MSS. codices. Editiones pæne omnes: *Conſtitit in ſolea*.

ibid. *Solea* ] His utebantur domi: cœnaturi autem eas deponebant, ne ſtragula lecti tricliniaris inquinarent, ſervoque a pedibus dabant cuſtodiendas. Ceterum imam calcei partem *ſolum* etiam dixerunt. Plautus Trinummo Ac. 4. Sc. 3. v. 16.

*Quorum eorum unus ſurripuit currenti curſori ſolum.*

Et Bacchid. Ac. 2. Sc. 3. v. 98.

*Qui ſoccis habeat auro ſuppactum ſolum.* Huc etiam pertinet illud Lucretii initio lib. 4.

*Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita ſolo - - -*

niſi potius plantam pedis Lucretius ea voce ſignificare voluit.

v. 73. *Conjugis ut q. f. a. a.* ] Incipit poeta latiſſime vagari, donec ad fratris mortem deplorandam miro quodam artificio, tamquam aliud agens, rurſum ſe conferat. Hujus autem pulcherrimæ ἐκβάσεως initium ducit ab adventu Laodamiæ Acaſti filiæ in domum Proteſilai, cui comparat adventum puellæ a Manlio ipſi conceſsæ. Quemadmodum vero conjugium Laodamiæ infortunatum fuit, quod ea nubere feſtinaviſset antequam ſacrificia pro nuptiis rite peracta eſsent, victimæque occiſæ ad pacem deorum petendam; ita videtur Catullus ſignificare, amorem ſuum ideo minus proſpere ceſſiſse ſibi, quod fortaſse deos amorum præſides non bene advocâſſet, ceteraque ad eorum cultum ſpectantia minus curaviſset.

v. 75. *Inceptam fruſtra* ] Ἡμιτελῆ, ſive *imperfectam*, ut recte ait Scaliger. Cum enim quis uxorem ducit, is familiam orditur: deinde ex conjuge ſuſceptis liberis, tum demum familiam perficit. μέρη δὲ οἰκίας, ἄνθρωπός τε καὶ κτῆσίς ἐστι: *ſunt autem domus partes, homo, & res familiaris ſeu facultates.* τῶν δὲ περὶ τοὺς ἀνθρώπους, ἡ κατὰ γυναῖκα πρώτη ἐπιμέλεια. *ex iis vero quæ ad homines pertinent, prima eſt cura complectens uxorem.* Verba ſunt Ariſtotelis lib. 1. Oeconomic. cap. 2. & 3. Hinc *uxorem ducere* Etruſci dicunt *aceaſarſi*.

v. 76. *Hoſtia* ] Ante nuptias igitur victimæ diis mactabantur, præſertim a viris principibus.

ibid. *Caleſtes heros* ] Quos Horatius Ode 1. lib. 1. *Terrarum dominos* appellat:

Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
Quod temere invitis suscipiatur heris.
Quam jejuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro,

Con-

lat: Plato vero lib. 5. de Legibus non procul ab initio θεὺς δεσπότας. Antiqui tamen *Heram* præcipue Fortunam vocabant. Plautus Mercatore Ac. 3. Sc. 4. v. 12.

*Divûm atque hominum qua Spectatrix atque Hera eadem es hominibus,*
*Spem speratam cum obtulisti hanc mihi, tibi grates ago.*

ibid. *Pacificâsset* ] Cum omnes manu exarati codices hanc vocem præ se ferant, frustra nonnulli eam suspectam habentes, *conciliâsset* supposuerunt. Ea sane utitur Silius Italicus, auctor optimæ notæ, quod attinet ad Latinitatem, cujus verba sunt lib. 15. Punicorum v. 422.

*Et latus, repetens gentis primordia, ductor*
*Festa coronatis agitabat gaudia signis,*
*Pacificans divos - - - -*

Id porro verbum, de diis adhibitum, significabat, pacem sive benevolentiam deorum cæsis hostiis exposcere. Hanc pacem Virgilius memorat lib. 4. Æneid. v. 56. de Didone Æneæ nuptura:

*Principio delubra adeunt, pacemque per aras*
*Exquirunt: mactant lectas de more bidentes*
*Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo.*

*Pacificare* pro *lenire*, *mulcere* usurpavit Claudianus Præfat. lib. 2. in Rufinum:

*Oblitusque sui, posita clementior hasta,*
*Pieriis aures pacificare modis.*

*Pacificator Allobrogum*, dixit Cicero Epist. 13. lib. 1. ad Atticum.

v. 77. *Rhamnusia virgo* ] De hac dea superbis & insolentibus infesta memini me alio loco dixisse. Hic unius Ovidii testimonium afferre satis erit lib. 5. Tristium Elegia 8.

*Nec metuis dubio Fortunæ stantis in orbe*
*Numen, & exosæ verba superba deæ?*
*Exiget ah dignas ultrix Rhamnusia pœnas.*

v. 78. *Quod* ] Scaliger ex veteri libro malebat *quam:* sed perperam. sententia enim fit obscurior, & præterea τὸ *quam* statim sequitur in proximo hexametro.

ibid. *Temere suscipiatur* ] Ut solent adolescentes audaces, a consilio & rerum usu omnino imparati. Cicero pro Sex. Roscio Am. *Forsitan in suscipienda caussa temere impulsus adolescentia fecerim.*

v. 79. *Jejuna ara* ] Vel nondum sanguine imbuta, vel diutius neglecta, & propterea cruorem quasi sitiens.

v. 80. *Pium cruorem* ] Nullo modo assentiri possum Isaaco Vossio, existimanti, hostias quidem plurimas a Laodamia diis occisas, ut illorum sibi voluntatem conciliaret, sed frustra: cum earum nulla litaverit, poscentibus nimirum diis humanum sanguinem, & illius viri cædem qui primus Græcorum in Trojæ litus e navi pedem protulisset. Hoc vero infortunium postea contigit Protesilao, marito Laodamiæ. Quomodo enim *pius cruor* appelletur sanguis humanus; quem ad aras deorum fundere barbarum & impium esse, qui minus apud veteres desipiebant, semper judicaverunt? Certe apud Virgilium Æneidos lib. 5. v. 483. Entellus, pugil præstantissimus, cum adversarium Daretem cæstibus vicisset, ac tantum non occidisset,

Conjugis ante coacta novi dimittere collum,
Quam veniens una atque altera rursus hiems
Noctibus in longis avidum saturasset amorem,
Posset ut abrupto vivere conjugio.

Quod set, iisdem taurum Eryci mactat, his verbis heroem allocutus:

*Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis*
*Persolvo: hic victor caestus artemque repono.*

*meliorem animam*, succidaneam scilicet hostiam, & deo vel heroi gratiorem futuram, quam occisi hominis animam. Hecuba vero apud Euripidem in tragœdia cognomine v. 260. ita Ulixem affatur:

*Πότερα τὸ χρῆν σφ' ἐπήγαγ' ἀνθρωποκτονεῖν*
*Πρὸς τύμβον, ἔνθα βουθυτεῖν μᾶλλον πρέπει;*

*Utrum fatum ipsos induxit homines interficere*
*Ad tumulum, ubi mactare boves magis decet?*

Vide praeterea fabulam Jovis Elicii apud Plutarchum in Vita Numae Pompilii, & Ovidium lib. 3. Fastorum a v. 325.

v. 81. *Conjugis ante c. n. d. c. Quam &c.* ] Notari debet hoc loco tmesis, quae duas particulas *ante* & *quam*, ita plerumque conjungi solitas ut unam efficiant, multis interpositis vocibus disjungit. Eadem figura usus Ovidius Epist. Paridis v. 153.

*Ante recessisset caput hoc cervice cruenta,*
*Quam tu de thalamis abstraherere meis.*

ibid. *Dimittere collum* ] Avelli a cervice mariti, quem unice amabat. Superius Carm. 60. v. 181.

*Mitte brachiolum teres,*
*Praetextate, puellula.*

Ita locutus etiam Ovidius Epist. Paridis modo memorata v. 155.

*Téne manus umquam nostrae dimittere vellent?*

v. 82. *Quam veniens v. a. a. r. h.* ] Πάθος a tempore, quale Virgilii Æneid. lib. 1. v. 472.

*Ardentesque avertit equos in castra, priusquam*
*Pabula gustâssent Trojae, Xanthumque bibissent.*

de quo genere miserationem excitandi vide Macrobium lib. 4. Saturnal. cap. 3.

ibid. *Veniens* ] Horatius Arte Poetica v. 175.

*Multa ferunt anni venientes commoda secum,*
*Multa recedentes adimunt - - -*

v. 83. *Noctibus in longis a. s. a.* ] Quae amantibus, novisque conjugibus gratissimae sunt. Cicero in Verrem Oratione postrema cap. 10. *Ita diei brevitas conviviis, noctis longitudo stupris & flagitiis conterebatur.* Hinc jocum petivit Plautus Amphitr. Ac. 1. Sc. 1. v. 132. ubi Sosia servus noctem longissimam admiratus, qua Juppiter cum Alcmena cubabat, ita loquitur:

*Hac nox scita est exercendo scorto conducto male.*

*Scortum male conductum*, ut id obiter moneam, est meretrix cujus noctem aliquis magno pretio emit. Ovidius Plautina locutione usus Amorum lib. 1. Elegia 10.

*Gratia pro rebus merito debetur inemtis:*
*Pro male conducto gratia nulla toro.*

v. 84. *Abrupto conjugio* ] Abrumpi dicuntur ea quae immatura tolluntur, ante diem ac finem ipsis debitum. Virgilius Æneid. lib. 8. v. 579.

*Nunc o, nunc liceat crudelem abrumpere vitam,*

Dum

Quod scibant Parcæ non longo tempore abesse, 85
Si miles muros isset ad Iliacos:
Nam tum Helenæ raptu primores Argivorum
Cœperat ad se se Troja ciere viros:

Tro-

*Dum cura ambigua, dum spes incerta futuri.*

Idem lib. 3. Georgic. v. 530.

*- - Nec somnos abrumpit cura salubres.*

Hoc Francisco Petrarchæ ( *nel Sonetto* 99. ) est *romper nel mezzo*.

*E tutti i miei pensier romper nel mezzo.*

v. 85. *Quod scibant Parcæ* ] Nempe, conjugium abruptum iri post breve tempus. vel non ignorabant Parcæ, brevi futurum, ut Laodamia viveret sine marito.

ibid. *Scibant* ] Pro *sciebant*, κατὰ συγκοπήν. Plautus prologo Amphitr. v. 22.

*- - Vobis quod dictum foret,*
*Scibat facturos - -*

Et Inscriptio vetus apud Gruterum pag. DCII. 6.

SCIBAT. MORIVNDVM. SIBI.

Ita inferius Carm. 83.

*Audibant eadem hæc leniter, & leviter.*

pro *audiebant*.

v. 86. *Si miles m. i. ad I.* ] Si Protesilaus una cum reliquis Græcorum copiis militatum ad Trojam ivisset. Propertius Elegia 10. lib. 3.

*Possum ne, plorantem potuisti linquere Gallam,*
*Miles & Augusti fortia signa sequi.*

Vel *miles* pro *milites* usurpavit Catullus; quod optime animadvertit Alexander Guarinus. *Eques* enim, *pedes*, *miles*, nonnumquam funguntur vicem nominum collectivorum, & significant *equitatum*, vel *equestrem ordinem*, *peditatum*, *exercitum*: quemadmodum & Ἵππος apud Græcos. Horatius Ode 6. lib. 1. ad M. Agrippam:

*Quam rem cumque ferox navibus, aut equis*
*Miles te duce gesserit.*

Ovidius lib. 2. Fastorum v. 127.

*Sancte Pater Patriæ, tibi Plebs, tibi Curia nomen*
*Hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen Eques.*

*Nos Eques*; id est *nos equites Romani*: Ovidius enim fuit ex ordine equestri. Idem lib. 2. Amorum Elegia 12.

*Ipse eques, ipse pedes, signifer ipse fui.*

Nimirum, *ipse fui mihi equitatus, ipse peditatus*.

v. 87. *Helenæ raptu* ] Ob Helenæ raptum, vel eo tempore quo Helena rapta est. Cicero Epist. 5. lib. 1. ad Atticum: *Tuique & sua sponte, & meo sermone amantem .... amiseris*. nempe, & ob meum sermonem.

ibid. *Primores Argivorum* ] Qui a Lucretio lib. 1. v. 87. vocantur

*Ductores Danaûm, delecti, prima virorum.*

τὰ πρῶτα τῶν ἀνδρῶν.

v. 88. *C. ad se se Troja ciere viros* ] Invitabat enim quodammodo proceres Græcorum ad ultionem civitas injusta & superba. Illud Valerii Flacci non dissimile Argonaut. lib. 1. v. 76. de Jasone:

*- - - Tu sola animum mentemque peruris,*
*Gloria: te viridem videt immunemque senectæ*
*Phasidis in ripa stantem, juvenesque vocantem.*

v. 89.

Troja nefas, commune sepulcrum Asiæ, Europæque,
Troja virûm & virtutum omnium acerba cinis.

Quæ-

v. 89. *Troja nefas* ] Alexander Guarinus in Commentario docet, τὸ *nefas exclamationem esse per parenthesin interpositam*; quam sententiam & ipse olim adolescens amplexus fueram. Eodem ferme pacto adhibet Cicero τὸ *malum*. *Qua, malum, ista fuit amentia?* Nunc autem, re accuratius perpensa, ipsam Trojam a Catullo vocari *nefas* existimo, nempe abominatam, infandam, &, ut Græci ajunt, οὐκ ὀνομαστὴν, δυσώνυμον. Homerus Odyssee lib. 19. v. 260.

*Ὤχετ' ἐποψόμενος Κακοΐλιον οὐκ ὀνομαστήν.*
*Ivit inspecturus malam Trojam non nominabilem.*

Sophocles porro Ajace Flagellifero v. 939. Κεῖται ὁ δυστράπελος, ὁ δυσώνυμος Αἴας. *Jacet ille intractabilis, ille infausti nominis Ajax.* Ubi Scholiastes vetus, Λέγεται, inquit, δυσώνυμος καὶ οὗ τὸ ὄνομα ἐπαχθῶς οἱ ἄνθρωποι δέχονται διὰ τὸ μῖσος ὅπερ ἔχουσι πρὸς αὐτὸν, καθ' ὃ λέγεται δυσώνυμος ὁ Ἰούδας. i. e. *Dicitur* δυσώνυμος i. e. *Mali ominis & ille cujus nomen vulgo moleste accipiunt, ob odium quo ipsum prosequuntur: qua de caussa dicitur* δυσώνυμος *Judas*. Ex his porro verbis apparet, Scholia in Sophoclem a Christiano quodam homine vel conscripta, vel certe interpolata fuisse.

ibid. *Commune sepulcrum Asiæ, Europæque* ] Perinde enim Græcorum duces ac Trojanorum in eo bello interfecti sunt. *Sepulcrum* dicebant veteres eum qui mortis aut excidii caussa homini vel urbi vel regioni exstitisset. Auctor Ciris v. 131.

*Scylla patris miseri patriaque inventa sepulcrum.*

Et Silius Italicus lib. 1. v. 50. appellat *Cannas tumulum Hesperiæ*. Lucretius lib. 5. v. 260. terram ipsam *commune sepulcrum* dixit, non invidioso vocabulo, at potius honorifico:

*-- Et quoniam dubio procul esse videtur*
*Omniparens, eadem rerum commune sepulcrum:*
*Ergo terra tibi limatur, & aucta recrescit.*

ibid. *Asiæ, Europæque* ] Ita MSS. codices. Editiones præferunt, *Europæ, Asiæque*; quibus favet Propertius lib. 2. Elegia 2.

*Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli*
*Europæ atque Asiæ caussa puella fuit.*

Porro Europam dixit de Græcis, quæ gens Europæ validissima & potentissima olim fuit: Asiam de Trojanis; quibus e tota pæne Asia duces & milites auxilio venere. Ita locutus & Maro Æneid. lib. 7. v. 222.

*Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis*
*Tempestas ierit campos; quibus actus uterque*
*Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis;*
*Audiit* &c. - - - -

v. 90. *Troja v. & v. o. a. c.* ] Cum qua nimirum genus heroum simul interire visum est. Quis enim temporibus quæ postea consecuta sunt, aut Achille fortior, aut Hectore constantior, aut Nestore prudentior, aut Ulixe sagacior umquam exstitit? quis vel pari passu ad gloriam tetendit? quis vel proxime accessit? Ita quidem poeta noster κατ' αὔξησιν, & ut majorem invidiam Trojæ pariat, cui ob fratris mortem iratus erat. Catullum imitatur Virgilius Æneid. lib. 1. v. 565.

*Quis genus Æneadum, quis Trojæ nesciat urbem,*
*Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?*

Græcos autem secutus fuerat Catullus, qui res ad bellum Trojanum pertinentes,

Quæmet & id nostro letum miserabile fratri
Attulit. hei misero frater ademte mihi!
Hei misero fratri jucundum lumen ademtum!
Tecum una tota est nostra sepulta domus.

Omnia

tes, ingenio & eloquentia certatim amplificare studuerunt. Quod Indos philosophos Apollonio Tyanensi exprobravisse, narrat Philostratus in ejus Vita lib. 3. cap. 19. his verbis: *Μόνους γὰρ ἄνδρας ἡγούμενοι τοὺς ἐς Τροίαν στρατεύσαντας, ἀμελεῖτε πλειόνων τε καὶ θειοτέρων ἀνδρῶν, οὓς ἥ τε ὑμετέρα γῆ, καὶ ἡ Αἰγυπτίων, καὶ ἡ Ἰνδῶν ἤνεγκεν.* i. e. *Solos enim viros esse arbitrati eos qui ad Trojam militaverunt, plures eosque divinos magis homines negligitis, quos & vestra terra, & Ægyptus, & India protulit.* Romani contra magnifice admodum, ne dicam arroganter, de suorum civium virtute senserunt, exteris omnibus fere contemtis. Unius Quinctiliani testimonium afferre placet e lib. 12. Instit. Orator. cap. 2. *Dicta*, inquit, *ac facta praeclare, & nôsse, & animo semper agitare conveniet. Quæ profecto nusquam plura majoraque, quam in nostræ civitatis monumentis reperientur. An fortitudinem, justitiam, fidem, continentiam, frugalitatem, contemtum doloris ac mortis, melius alii docebunt, quam Fabricii, Curii, Reguli, Decii, Mutii, aliique innumerabiles? Quantum enim Græci præceptis valent, tantum Romani (quod est majus) exemplis.* Etiam Floridus quidam vetus poeta, in Catalectis, de Romanorum virtute ὑπερβολικῶς ita prædicavit:

*Sperne mores transmarinos. mille habent offucias.*
*Cive Romano per orbem nemo vivit rectius.*
*Quippe malim unum Catonem, quam trecentos Socrates.*

Quemadmodum vero Catullus Trojam vocavit *virorum & virtutum omnium acerbam* i. e. immaturam *cinerem*, ita *Cremutius Cordus*, referente Tacito lib. 4. Annalium cap. 34. *C. Cassium Romanorum ultimum* dixit, editis & ipse Annalibus, quod dictum exitiale illi fuit. Cum Tacito concinit Suetonius in Tiberio cap. 61. his verbis: *Objectum & historico quod Brutum Cassiumque ultimos Romanorum dixisset.*

ibid. *Acerba cinis* ] Eodem pacto *horrida pulvis* dixit Propertius lib. 2. Eleg. 10. E. B.

v. 91. *Quæmet & id* ] Sequor lectionem Vossii, donec melior non prodierit. *met* adjectio syllabica est, vetustis auctoribus usitata.

ibid. *N. letum m. fratri A.* ] Suspicatur Palladius Fuscus, Catulli fratrem eo tempore apud Trojam e vita excessisse quo Fimbria, Marianarum partium homo crudelissimus, urbem illam evertit, Sylla rempublicam tenente. Cujus facti meminit Florus Epitome lib. 83. Histor. T. Livii ab U. C. *C. Fimbria*, inquit, *in Asia fusis prœlio aliquot copiis Mithridatis, urbem Pergamum cepit, obsessumque regem non multum abfuit quin caperet. Urbem Ilion, quæ se potestati Sullæ reservabat, & expugnavit ac delevit, & magnam partem Asiæ recepit.* Copiosius autem D. Augustinus lib. 3. de Civ. Dei cap. 7. quem vide, si lubet. Sed vereor ut ratio temporum satis constet.

v. 93. *Hei m. fratri j. lumen ademtum!* ] Διλογία insignis, ut optime animadvertit Passeratius: nam & fratri lumen, i. e. vitam ereptam lamentatur: & sibi fratri superstiti lumen, i. e. solatium ademtum dolet, exstincto scilicet germano carissimo, quem plus oculis suis amabat.

v. 94. *Tecum una t. e. n. s. d.* ] Repetit ea quæ superius dixerat a versu 22.

v. 97.

Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra,
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troja obscœna, Troja infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo.

Ad

v. 97. *Non inter nota sepulcra* ] Familiaria scilicet, in quibus reliquiæ consanguineorum & affinium collocatæ. *Inter flumina nota*, legere est apud Virgilium Ecloga 1. v. 52.

v. 98. *N. p. cognatos c. cineres* ] Propertius pariter Elegia 5. lib. 3.

*Et mater non justa pia dare debita terræ,*
*Nec pote cognatos inter humare rogos.*

quod ab Achille Statio occupatum.

ibid. *Compositum* ] Ossa mortuorum, quæ ex incendio rogi superfuissent, manibus propinquorum lecta, urnis condebantur, atque ita condita in sepulcris collocabantur: quod *componere* dicebant. Virgilius Æneid. lib. 1. v. 249. de Antenore:

-- *Nunc placida compostus pace quiescit.*

Horatius vero Sat. 9. lib. 1. v. 24.

*Interpellandi locus hic erat: Est tibi mater,*
*Cognati, queis te salvo est opus? Haud mihi quisquam:*
*Omnes composui* - - -

Sed & antequam ad rogum ac sepulturam efferrentur cadavera, ea lota, uncta, ornata, in lecto funereo componebantur. Testis Persius Sat. 3. v. 103.

- - - - - *Tandemque beatulus alto*
*Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,*
*In portam rigidos calces extendit* - - -

v. 99. *Troja obscœna* ] Sinistris auspiciis condita. *Obscœnum* opponitur *augusto*. Accius Oenomao:

*Cives ominibus faustis augustam adhibeant*
*Faventiam, ore obscœna dicta segregent.*

*Obscœna dicta* hoc loco sunt *verba male ominata*, a quibus diligenter sibi cavebant veteres, cum opus aliquod magni momenti faciendum suscepissent. Contra Ennius apud Suetonium in Octavio cap. 7.

*Augusto augurio postquam incluta condita Roma est.*

Trojam porro Catullus *obscœnam* vocat, quod inauspicato condita fuerit, tantaque fatorum malevolentia, ut eam semel dirutam denuo excitare infaustum ac religiosum haberetur. Memorabilia sunt, quæ canit Horatius Ode 3. lib. 3. Junonem loquentem inducens:

*Sed bellicosis fata Quiritibus*
*Hac lege dico; ne nimium pii,*
*Rebusque fidentes, avitæ*
*Tecta velint reparare Trojæ.*
*Trojæ renascens alite lugubri*
*Fortuna tristi clade iterabitur,*
*Ducente victrices catervas*
*Conjuge me Jovis & sorore.*
*Ter si resurgat murus aheneus*
*Auctore Phœbo; ter pereat meis*
*Excisus Argivis: ter uxor*
*Capta virum puerosque ploret.*

v. 100. *Detinet* ] Impedit, remoratur, κατέχει. Tibullus lib. 1. Elegia 9.

*Cantus & irata detinet anguis iter.*

Horatius lib. 1. Ode 33.

*Ipsum me melior quum peteret Venus,*
*Grata detinuit compede Myrtale.*

ibid. *Extremo solo* ] Longinquo, ut nonnulli explicant. Ego vero, *extremum solum* de litore dictum censeo. litus enim extrema est continentis pars. Icirco Virgilius lib. 8. Æneid. v. 727.

 *extre-*

Ad quam tum properans fertur *simul* undique pubes
　Græca penetrales deseruisse focos:
Ne Paris abducta gavisus libera mœcha
　Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,
　Ereptum est vita dulcius atque anima

Con-

*extremos hominum* appellavit *Morinos*, qui nimirum in Galliæ finibus positi ea litora incolunt quæ Britanniam spectant. Frater autem Catulli in Troadis litore ad Rhœteum promontorium sepultus fuerat, ut poeta ipse testatur Carm. 64. v. 7.

*Troia Rhœteo quem subter litore tellus*
　*Ereptum nostris obterit ex oculis.*

ibid. *Terra aliena* ] Id & in vivis miserabile. Cicero pro Sextio: *Ut socerum videre consolarique posset, fluctibus reipublicæ expulsum, in alienis terris jacentem.*

v. 101. *Ad quam t. p. f.* simul *u. p.* ] Tò *simul* addiderunt interpretes, ut lacunam explerent. Marcilius putabat legendum:

*Ad quam tum fertur propera undique*
　*& undique pubes.*

v. 102. *Penetrales focos* ] Lares domesticos, quos in ædium intimis partibus ad ipsum focum sitos venerabantur. *Tecta penetralia* dixit Virgilius lib. 1. Georgic. v. 379.

*Sæpius & tectis penetralibus extulit ova*
*Angustum formica terens iter - -*

Sunt qui legant apud nostrum, *penetrales deos:* at sententia eodem recidit. Hos memorat M. Tullius lib. 2. de Nat. Deorum. *Vesta nomen*, inquit, *a Græcis: ea est enim quæ ab illis* Ἑστία *dicitur. Vis autem ejus ad aras & focos pertinet. Itaque in ea dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis & precatio & sacrificatio extrema est. Nec longe absunt ab hac vi dii penates, sive a penu ducto nomine (est enim omne quo vescuntur homines, penus) sive ab eo quod penitus insident: ex quo etiam penetrales a poetis vocantur.* Seneca in tragœdia Thebaide v. 340.

- - *Facibus petite penetrales deos.*

v. 103. *Ne Paris a. g. l. m. O. p. d. in t.* ] Ordo syntaxeos hic est. *Ne Paris gavisus mœcha abducta, degeret otia libera in thalamo pacato.*

ibid. *Abducta mœcha* ] Helena videlicet uxore Menelai, quam Paris, infidus hospes, Lacedæmone Trojam avexit. *Abducere* est quod Itali dicimus *menar via*. hujus autem verbi præcipuus usus cum de raptu mulierum sermo est. Virgilius 10. Æneid. ver. 79.

- - *Gremiis abducere pactas.*

ibid. *Libera otia* ] A sollicitudine videlicet, metu hostium, & animi angore penitus vacua.

v. 104. *Otia degeret* ] M. Tullius Epist. 28. lib. 11. ad Familiares: *Quod reliquum est vitæ, in otio Rhodi degam.*

ibid. *Pacato in thalamo* ] Imbellem hominem hæc notant, & libidinibus deditum; quod genus umbra magis, quam campo delectari solet. Horatius Ode 15. lib. 1. de eodem Paride:

*Nequicquam thalamo graves*
*Hastas & calami spicula Cnossii*
*Vitabis - - - - -*

v. 105. *Quo casu* ] Qua tempestate scilicet, quo Trojani belli eventu. *In novissimo casu* dixit poeta superius Carm. 59.

v. 107.

Conjugium. tanto te abſorbens vortice amoris
Æſtus in abruptum detulerat barathrum:
Quale ferunt Graji Pheneum prope Cylleneum
Siccari emulſa pingue palude ſolum,

Quod

v. 107. *Tanto te a. v. a.* ] Ἐπιφώνημα eſt ad oſtendendam amoris magnitudinem, quo Laodamia Proteſilaum deperibat.

ibid. *Te abſorbens vortice* ] Amoris furorem ſignificat, quo ex omnibus animi perturbationibus eſt profectò nulla vehementior, & unde difficilius emergere homines atque enatare poſſint. Horatius pariter Ode 27. lib. 1.

- - - - *Ah miſer,*
*Quanta laboras in Charybdi!*
*Digne puer meliore flamma.*

v. 108. *In abruptum d. barathrum* ] Hic eſt ille βαθὺς ἔρως, de quo pulcherrime Theocritus Idyllio 3. v. 42.

Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλατ' ἔρωτα!
*Ut vidit, ut inſaniit, ut in profundum incidit amorem!*

Et ad Catullum propius Anacreon, ab Hephæſtione allatus: Μεγάλῳ δ' αὖτέ μ' Ἔρως Ἔκοψεν, ὥστε χαλκεὺς, Πελέκει, χειμερίῃ δ' Ἔλουσεν ἐν χαράδρῃ. i. e. *Magna quando me Amor Sauciavit, veluti faber ferrarius, Securi; hiemalique Immerſit in voragine.* Quæ ſuaviſſimi ſcriptoris verba ad ſublime dicendi genus, quod interdum non aſpernatus fuerit Anacreon, pertinere animadvertit vir doctiſſimus Joſua Barneſius. Βάραθρον ſeu βέρεθρον (nam utroque modo pronuntiatur) proprie fuit locus profundior Athenis, puteum referens, in quem criminum capitalium damnatos deturbabant, quemadmodum Lacedæmone in Ceadam, voraginem ita appellatam.

v. 109. *Pheneum p. Cylleneum* ] Male vetuſtiores interpretes legerunt, *Peneum propter amœnum*, qui nimirum hæc acceperunt de ſimili quodam labore ab Hercule in Theſſalia exantlato. Verum quo tempore in Arcadiam Hercules venit, ad Stymphalidas aves ex ea regione fugandas, illo etiam ſtagnantes aquas e campis Arcadicis in voraginem derivavit. quod ab Achille Statio olim obſervatum eſt. Porro Statium ſequitur Voſſius, quamquam ejus nomine diſſimulato. Narrat Pauſanias in Arcadicis cap. 14. Herculem Tirynthe ab Euryſtheo pulſum, Pheneum ſe recepiſſe: cumque Olbius amnis immodica eluvione Pheneaticum agrum obſideret, foſſam duxiſſe longitudine ſtadiorum L. ſub vicinos montes excurrentem, in quam paludes defluerent. Pheneus porro, vel Pheneum, urbs Arcadiæ fuit in Cyllene monte. Tres codices antiqui Bibliothecæ Saibantium Veronæ, inſpecti a V. C. PAULLO GALEARDO, exhibent: *Peneum prope Cyllenaum.* Ceterum, hoc Herculis factum videtur Claudianus lib. 2. de Raptu Proſerp. a v. 179. Neptuno tribuere: qui tamen, Peneum, non Olbium, ſtagnaviſſe narrat.

v. 110. *Siccari* ] Verbo præſentis temporis utitur poeta, ut ſignificet, ad ſuam uſque ætatem Herculis beneficium permanſiſſe. Quotieſcumque enim imbres copioſiores in agrum Pheneatem e cælo decidiſſent, parum in eo immorabantur, ſed continuo per alveum ab Hercule excavatum, ſub terram obruebantur.

ibid. *Emulſa palude* ] Abſorpta, hauſta; ut egregie Statius; qui affert verſum Ennii ex libro Priſciani 9.

*Mulſerat huc navem compulſam fluctibu' pontus.*

 Hunc

Quod quondam cæsis montis fodisse medullis
Audet falsiparens Amphitryoniades:
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit, imperio deterioris heri:

Plu-

Hunc tamen versum aliter explicat Hieronymus Columna.

ibid. *Pingue solum* ] Lutosum ex imbrium casu. vel, si mavis, lætum, fertile, uber, pascendis armentis gregibusque idoneum, quales Arcadiæ campi. ἱείαρεφον αἶαν dixit Oppianus lib. 2. Cynegericon v. 119. ubi narrat, quomodo Hercules Orontem fluvium, Syriæ campos inundantem, coercuerit, atque in mare derivaverit.

v. 111. *Cæsis montis medullis* ] Intimas cujusque rei partes, *medullam* vel *medullas* antiqui vocabant; quod vel ex Tullio satis constat. Nonnulli tamen hoc poetæ nostri loco audacem translationem somniant. Sed est locutio, ut videtur, vulgo trita. Silius Italicus pariter lib. 12. v. 135. de campis Averno lacui proximis:

*- - Tellus atro exundante vapore*
*Suspirans, ustisque diu calefacta medullis,*
*Æstuat - - -*

Eodem pacto usurpabant & *viscera*. Virgilius 3. Æneid. v. 575. de incendio Ætnæ:

*Interdum scopulos avulsaque viscera montis*
*Erigit eructans - - -*

Ovidius vero lib. 1. Metamorph. v. 138.

*- - - Itum est in viscera terræ:*
*Quasque recondiderat, Stygiisque admoverat umbris,*
*Effodiuntur opes, irritamenta malorum.*

v. 112. *Audet* ] Nempe *ausus est*. præsens pro præterito, more poetarum & historicorum. Ita Lucretius lib. 1. v. 70. de Epicuro:

*- - - Sed eo magis acrem*
*Virtutem irritat animi, confringere ut arcta*
*Naturæ primus portarum claustra cupiret.*

Propertius veró Eleg. 7. lib. 2. E. B.

*Nec non exanimum amplectens Briseis Achillem*
*Candida vesanâ verberat ora manu.*

ibid. *Falsiparens Amphitryoniades* ] Ψευδοπάτωρ Hercules, a Jove genitus ex Alcmena uxore Amphitryonis Thebani: quamquam vulgo Amphitryonis filius haberetur. Græci dicerent; Ἡρακλῆς ὁ λεγόμενος Ἀμφιτρυόνος, γνόμενος δὲ ἐκ Διός. *Hercules, verbo, Amphitryonis, reapse vero Jovis filius.* Ipse morti proximus ita loquitur apud Senecam Hercule Oetæo v. 1502.

*- - Licet sit falsa progenies mihi,*
*Materna culpa cesset, & crimen Jovis.*

v. 113. *Certa sagitta* ] Signum propositum, seu σκοπὸν, attingente: voluntatem sagittarii numquam fallente. Horatius pariter Ode 12. lib. 1.

*- - Et te, metuende certa*
*Phœbe sagitta.*

ibid. *Stymphalia monstra* ] De his volucribus prodigiosis ab Hercule occisis ita Pausanias in rebus Arcadicis cap. 22. Ἐπὶ δὲ τῷ ὕδατι τῷ ἐν Στυμφάλῳ κατέχει λόγος ὄρνιθάς ποτε ἀνδροφάγους ἐπ' αὐτῷ τραφῆναι. ταύτας κατατοξεῦσαι τὰς ὄρνιθας Ἡρακλῆς λέγεται. Πείσανδρος δὲ αὐτὸν ὁ Καμιρεὺς ἀποκτεῖναι τὰς ὄρνιθας οὔ φησιν, ἀλλὰ ὡς ψόφῳ κροτάλων ἐκδιώξειεν αὐτάς. i. e. *Fabulis vulgatum est, ad aquam Stymphali aliquando aves quæ humana carne victitarent, ab Hercule sagittis confectas: at Pisander Camirensis non peremtas eas ab Hercule narrat, sed crepitaculorum sonitu e loco pulsas tradidit.* Deinde refert Pausanias, in Arabiæ desertis aves inveniri quas appellent Stymphalidas, pardis ac leonibus nihilo mitiores, tum ea rostro-

rum

Pluribus ut cæli tereretur janua divis,

Hebe

rum duritie, ut vel ænea & ferrea corporis tegumenta pertundant. Si vero Stymphalidum sit certum aliquod & perpetuum genus, quemadmodum accipitrum, aquilarum, & aliarum avium, censet, eas volucres indigenas esse Arabiæ; quarum pars aliqua forte fortuna ex Arabia in Arcadiam devolârit ad Stymphalum, unde nomen acceperit eo nomine illustrius quod in Arabia quondam habuisset.

v. 114. *Perculit* ] Dejecit, humi stravit. Cicero in Oratione pro Domo sua: *Iisdem machinis sperant me restitutum posse labefactari, quibus antea stantem perculerunt*.

ibid. *Imperio deterioris heri* ] Isocrates in Helenæ Laudatione, ubi Theseum cum Hercule comparare instituit, hæc habet: Τῷ μὲν γὰρ (Ἡρακλεῖ) Εὐρυσθεὺς προσέταττε τάς τε βοῦς τὰς ἐξ Ἐρυθείας ἀγαγεῖν: καὶ τὰ μῆλα τῶν Ἑσπερίδων συγκομίσαι: καὶ τὸν Κέρβερον ἀναγαγεῖν: καὶ τοιούτους πόνους ἄλλους. *Nam illi* (Herculi) *Eurystheus imperabat, ut boves ex Erythea abigeret: ut mala Hesperidum afferret: ut Cerberum adduceret, & alios ejus generis labores susciperet*. Seneca Hercule Furente v. 78.

*Ipse imperando fessus Eurystheus vacet.*

ibid. *Deterioris heri* ] Eurysthei Mycenarum tyranni, digni qui potius Herculi serviret, quam ut illi Hercules. Audi verba ipsius dei apud Homerum Odysseæ lib. 11. v. 619.

Ζηνὸς μὲν παῖς ἦα Κρονίονος, αὐτὰρ ὀϊζὺν
Εἶχον ἀπειρεσίην· μάλα γὰρ πολὺ χείρονι φωτὶ
Δεδμήμην, ὁ δέ μοι χαλεποὺς ἐπετέλλετ' ἀέθλους.

*Jovis quidem filius eram Saturnii, sed ærumnam*
*Habebam infinitam. valde enim longe deteriori viro*
*Obnoxius eram, qui mihi gravia imperabat certamina.*

Quomodo vero fatale fuerit Herculi, ut Eurystheo serviret, pluribus exponit idem Homerus Iliados lib. 19. a versu 98. Memorabilia sunt de hac eadem re verba Diodori Siculi lib. 4. Bibliothecæ: Τούτων δὲ πραχθέντων, ὁ μὲν Ἡρακλῆς ἐνέπεσεν εἰς ἀθυμίαν οὐ τὴν τυχοῦσαν. τὸ γὰρ τῷ ταπεινοτέρῳ δουλεύειν, οὐδαμῶς ἄξιον ἔκρινεν εἶναι τῆς ἰδίας ἀρετῆς. *His confectis, in mæstitiam haud vulgarem Hercules incidit. Nam inferiori ad nutum servire, virtute sua indignum judicabat.* Nec non Isocratis in Panegyrico. Καὶ τὸν μὲν, inquit, ὑπερενεγκόντι τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, ὃς ἐκ Διὸς μὲν ἦν γεγονὼς, ἔτι δὲ θνητὸς ὢν θεοῦ ῥώμην εἶχε: τούτῳ μὲν ἐπιτάττων, καὶ λυμαινόμενος (Εὐρυσθεὺς) ἅπαντα τὸν χρόνον διετέλεσεν. i. e. *Ac eum quidem qui natura humana præstantior, & Jove natus fuit, & mortalis adhuc divinum robur habuit, & imperiis & injuriis per omnem ætatem* (Eurystheus) *divexavit*. Sed vide quæ inferius adnotamus ad versum 118.

v. 115. *Pluribus ut c. t. j. d.* ] Quæ superba Eurysthei jussa, & qui ab Hercule suscepti labores, fatis postulantibus, eo pertinebant, ut Hercules ob præclara & ingentia facta, ex homine mortali deus tandem immortalis fieret, & cum reliquis diis in cælo beatus ævum ageret, Hebe juventutis dea in matrimonium accepta. T. Livius Histor. ab U. C. lib. 1. verbis Evandri: *Jove nate, Hercules, salve, inquit: te mihi mater veridica interpres deûm, auctûrum cælestium numerum cecinit*.

ibid. *Cæli janua* ] Quam videlicet hominibus in deorum societatem cooptatis patere necesse fuit. Propterea Virgilius Ecloga 5. v. 56. de Daphnidis ἀποθεώσει:

*Candidus insuetum miratur limen Olympi,*
*Sub pedibusque videt nubes & sidera Daphnis.*

Ubi

Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Quod divum domitum ferre jugum docuit.
Nam neque tam carum confecto ætate parenti
Una caput seri nata nepotis alit:

Qui

Ubi frustra Gulielmus Canterus Novarum Lectionum lib. 4. cap. 2. *lumen* pro *limen* reponendum existimabat.

v. 116. *Hebe n. longa virginitate f.* ] Nec diutius Hebe innupta permaneret, sed maritum Herculem sortiretur.

v. 117. *Tuus altus amor* ] Iterum Laodamiam alloquitur. *Altus amor* est profundus, penitus insidens animo; quem βαθὺν ἔρωτα Græci vocant.

v. 118. *Q. divum domitum f. j. d.* ] Barathrum hoc loco a Catullo memoratum, nihil aliud est quam amor obscœnus quo Hercules Eurystheum, formosum adolescentem, prosequebatur: cujus amoris impulsu Hercules labores omnes ab Eurystheo sibi mandatos libentissime suscipiebat. Id porro nostri poetæ interpretes ne suspicati sunt quidem. Atqui disertis verbis rem tradit Athenæus lib. 13. Deipnosophiston. Διότιμος δὲ, inquit, ἐν τῇ Ἡρακλείᾳ Εὐρυσθέα φησὶν Ἡρακλέους γενέσθαι παιδικὰ, διόπερ καὶ τοὺς ἄθλους ὑπομεῖναι. *Diotimus in Heraclea scribit, Eurystheum in deliciis Herculi fuisse, ejusque gratia Herculem labores illos fama celebratos obiisse.* Porro *divum* pro *deum* usurpavit Catullus. Livius pariter lib. 25. Histor. de Apolline: *Hæc si recte faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior. nam is divus exstinguet perduelles vestros.* Nec non Horatius Ode 2. lib. 1.

*Quem vocet divum populus ruentis*
*Imperi rebus? - - - -*

Eo enim Horatii loco τὸ *divum*, non est genitivus pluralis pro *divorum*, ut existimant ejus poetæ interpretes, etiam accuratissimus Bentlejus, verum accusativus singularis a *divus*, pro *deus*. Nam idem Flaccus iterum Ode 12. ejusdem libri:

*Quem virum, aut heroa lyra, vel acri*
*Tibia sumes celebrare, Clio?*
*Quem deum? - - - -*

ubi certe *virum*, & *deum* sunt quarti casus numeri singularis, non genitivi pluralis κατὰ συγκοπὴν; debent enim respondere τῷ *heroa*. Sunt qui apud Catullum hoc versu legant *divûm dominum*, nempe Jovem, qui amoris jugum sæpenumero subierit, ut fabulæ satis docent. Verum, tametsi *divum* quarto casu singulari dictum accipemus, ea quoque vox Jovi convenire posset: immo *deum* κατ' ἐξοχὴν significabit. Hinc enim locutio illa: *sub divo*, & *sub dio*, nimirum *sub Jove*: Italice, *a cielo scoperto*. Præstat nihilominus ut Herculem intelligamus; Deos *enim perpetuos dicimus*, divos *ex hominibus factos, quasi qui diem obierint*. verba sunt Servii ad versum 45. lib. 5. Æneidos: quamquam Varro & Attejus, eodem Servio teste, contrarium omnino docuerint.

v. 119. *Nam neque tam carum c. æ. p.* ] Poeta noster comparationem hanc pulcherrimam, qua mirificum & pæne incredibilem amorem Laodamiæ adversus maritum Protesilaum exprimere conatur, sumsit a Pindaro, ut videtur: nisi quod Catullus de nepote ex filia, Pindarus de filio in senectute patris genito, Olympiorum Ode 10. v. 102. ita loquitur: Ἀλλ' ὥς τε παῖς ἐξ ἀλόχου πατρὶ Ποθεινὸς, ἵκοντι νεότατι Τοπάλιν ἤδη, μάλα δέ οἱ θερμαίνει φιλό-

τατι

Qui quum, divitiis vix tandem inventus avitis,
Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens,

Suf-

τατι νόον. Ἐπεὶ πλοῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον, Θνάσκοντι στυγερώτατος. *Sed ut filius ex uxore patri desiderabilis, venienti ad juventutem Rursus jam* (i. e. repuerascenti præ nimia senectute) *admodum sane excalfacit amore animum: Alioqui divitia sortitura dispensatorem adscititium alienum, Morienti odiosissima sunt*. Quem locum Thebani poetæ in medium protulit Achilles Statius, qua erat insigni eruditione, sed Latine interpretari dedignatus est. Ceterum, Homerus quoque caritatem eximiam senis parentis erga filium extrema ætate susceptum ita notavit Iliados lib. 9. v. 477.

*Καί με φίλησ' ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ*
*Μοῦνον, τηλύγετον, πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσι.*
*Et me dilexit ut pater suum filium dilexerit,*
*Unicum, extrema ætate natum, amplis in possessionibus.*

Theodorus Marcilius hoc versu Catulli *sacrum* pro *carum* legere malebat: quæ lectio mihi minus arridet. nam *carum caput* solennis Latinis hominibus locutio. Horatius Sat. 5. lib. 2. ver. 93.

*- - Mone, si increbuit aura,*
*Cautus uti velet carum caput - - -*

& præterea τὸ *carum* τοῦ Pindari ποθεινοῦ melius respondet.

ibid. *Confecto ætate parenti* ] Qui omni vitæ spatio prope decurso, jam in eo sit ut sarcinulas colligat. *Conficere* Latinis est quod Itali dicimus *finire*. Horatius Satyra 9. lib. 1. v. 29.

*Confice; namque instat fatum mihi triste. - -*

v. 120. *Una* ] Pro *unica*. Pedo Albinovanus ad Liviam v. 4.

*Unum qui dicat jam tibi Mater, habes.* nempe solum Tiberium Neronem Druso fratri superstitem.

ibid. *Caput s. n.* ] *Caput* sæpenumero pro ipso homine, vel persona, tum vita, vel salute usurpatur. Hinc *capitis accusare, defendere, damnare: & caussa capitis* apud Ciceronem. Noster supra Carm. 15.

*Ut nostrum insidiis caput lacessas.*

ibid. *Seri nepotis* ] Qui sero admodum, avo jam decrepito, ac heredem familiarem pæne desperanti, ex filia sit natus. Eodem pacto Virgilius Æneid. lib. 8. v. 581. verbis Evandri ad Pallantem filium:

*Dum te, care puer, mea sola & sera voluptas,*
*Complexu teneo - - - -*

v. 121. *Divitiis v. t. inventus avitis* ] Subaudi, *heres*.

v. 122. *Nomen testatas i. in t.* ] Testamento scilicet scriptus heres. Porro de tabulis testamenti plura loquuntur Jurisconsulti. Sic autem dixit Catullus *inferre nomen in tabulas testatas*, quomodo Flaccus Satyra 5. lib. 2. v. 47.

*- - - - - Leniter in spem*
*Adrepe officiosus, ut & scribare secundus*
*Heres - - - - -*

v. 123. *Impia gaudia* ] Enimvero impium & inhumanum est senis orbi hereditatem captare, ejusque mortem assiduis votis exoptare, ac demum illa jam imminente gaudere: sed impietatem hujusmodi pauci verentur. Huc pertinent verba Senecæ lib. 6. de Beneficiis cap. 38. *An tu Arruntium, inquit, & Aterium, & ceteros qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quæ designa-*

Suscitat a cano volturium capite;

Nec

*gnatores & libitinarios vota? illi tamen quorum mortes optent, nesciunt: hi familiarissimum quemque, ex quo propter amicitiam, spei plurimum est, mori cupiunt.* Hoc porro Catulli distichum perperam legit, ac pessime interpretatur (absit dicto invidia) Josephus Scaliger, cujus explicatio sententiam poetæ non solum obscurat, sed etiam omnino evertit. Putat enim, *tollere gaudia*, esse gaudio efferri, atque ad gentilem pertinere, qui scilicet speret, nepotem ex filia natum seni locupleti, quod infirma sit valetudine, brevi moriturum; & hereditatem demum ad se venturam. Fucum fecit Scaligero, ut videtur, locus Horatii e Sat. 5. lib. 2. paullo ante a me memoratus, ubi hæc leguntur, a versu 45.

*Si cui præterea validus male filius in re*
*Præclara sublatus aletur; ne manifestum*
*Cœlibis obsequium nudet te; leniter in spem*
*Adrepe officiosus, ut & scribare secundus*
*Heres; &, si quis casus puerum egerit Orco,*
*In vacuum venias* - - - - -

At ratio longe diversa est, ut quivis facile cognoscere potest.

ibid. *Derisi g.* ] Cui scilicet pinguis offa, ut ita dicam, quam jam appetebat & spe devorabat, ex ore deciderit. Horatius mirifice eadem Satyr. v. 56.

- - - - - *Plerumque recoctus*
*Scriba ex Quinqueviro corvum deludet hiantem,*
*Captatorque dabit risus Nasica Corano.*

ibid. *Gentilis* ] *Gentiles*, ut M. Tullius in Topicis docet, *appellantur ejusdem familiæ, sive nominis, homines, ingenui tamen, & quorum nemo servitutem serviverit, aut capite minutus fuerit.*

ibid. *Tollens gaudia* ] Auferens. Virgilius lib. 8. Æneid. v. 439.

*Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores.*

v. 124. *Suscitat* ] Hoc loco, *suscitare volturium*, significat, sibilo, clamore, pedum & manuum supplosione vulturem a cadavere abigere.

ibid. *Suscitat a cano volturium capite* ] Heredipetam scilicet captatorem, non aliter miseri senis facultatibus quam vultures cadaveribus, inhiantem. Eadem comparatione usus Ovidius lib. 1. Tristium Elegia 5. ad uxorem:

*Aut ut edax vultur corpus circumspicit ecquod*
*Sub nulla positum cernere possit humo:*
*Sic mea nescio quis, rebus male fidus acerbis,*
*In bona venturus, si paterere, fuit.*
*Hunc tua per fortes virtus submovit amicos.*

Quicum Seneca concinit lib. 4. de Beneficiis cap. 20. *Ingratum voco*, inquit, *qui ægro assidet, quia testamentum facturus est: cui de hereditate, aut de legato vacat cogitare. Faciat licet omnia quæ facere bonus amicus & memor officii debet, si animo ejus obversatur spes lucri, captator est, & hamum jacit: ut aves quæ laceratione corporum aluntur, lassa morbo pecora, & casura e proximo speculantur; ita hic imminet morti, & circa cadaver volat.* Idem Epistola 95. *Amico ægro aliquis assidet: probamus. at hoc si hereditatis caussa facit, vultur est, cadaver exspectat.* quem locum Vossius attulit. Martialis quoque Epigram. 62. lib. 6.

*Amisit pater unicum Silanus:*
*Cessas mittere munera, Oppiane?*
*Heu crudele nefas, malæque Parcæ!*
*Cujus vulturis hoc erit cadaver?*

*Suscitare volturium a capite*, hoc fere est Catullo, quod *pellere avem a pectore*, Propertio. sic enim ille Elegia 1. lib. 2.

Idem

Nec tantum niveo gavisa est pulla columbo
Compar, quæ multo dicitur improbius
Oscula mordenti semper decerpere rostro;
Quamquam præcipue multivola est mulier.

Sed

*Idem Caucasea solvet de rupe Promethei*
*Brachia, & a medio pectore pellet avem.*

Ceterum Horatius *corvum* appellat quem Catullus & alii *volturium*, Sat. 5. lib. 2. v. 56. - - - - - - *Recoctus*
*Scriba ex Quinquevira corvum deludet hiantem,*
*Captatorque dabit risus Nasica Corano.*
nam & corvi νεκροφάγοι.

ibid. *Volturium* ] Pro *vulturem*. Sic inferius Carm. 106.

*Lingua exsecta avido sit data volturio.*
Hac voce, præter Catullum, utuntur Plautus, Lucretius, M. Tullius. Erat præterea *vulturius*, pessimus talorum jactus, ita dictus, quod aleatorum fortunas deprædaretur.

v. 125. *Nec t. niveo g. e. pulla columbo* ] Ita Vossius recte, cum reliqui legant *ulla*. Solent enim columbæ pullæ, rutilæ, variæ, albis libenter commisceri. Ovidius Epist. Sapphûs v. 37.

*Et variis albæ junguntur sæpe columbæ.*
*Pullus* color dicitur qui modice in atrum vergit; sed nativus est, non medicamenti ac rinctoris ope quæsitus.

ibid. *Columbo* ] Varro lib. 8. de Lingua Latina: *Itaque quædam aliter olim, & nunc. Tum omnes mares & feminæ dicebantur columbæ, quod non erant in eo usu domestico quo nunc. contra, propter domesticos usus quod internoscimus, appellatur mas columbus, femina columba.*

v. 126. *Compar* ] Conjux. Ita Ovidius Amorum lib. 3. Elegia 5.

*Tu vir, & in vacca compare taurus eras.*
*Par columbarum* dixit Petronius in Satyrico: *Cras illi par columbarum donabo.* puta marem & feminam.

ibid. *Quæ multo d. improbius O. m. s. d. r.* ] Tamquam columba fusci coloris multo vehementius appetat columbum album, quam vel fusca fuscum, vel alba album. In editionibus Aldi legitur: *seu quidquid dicitur improbius*; quæ lectio si probanda sit, hic locus ad corvos fortasse pertinebit, quos vetus fabula narrabat, rem Veneris ore peragere. Plinius lib. 10. Nat. Hist. cap. 12. *Corvos ore coire & concipere credit vulgus, feminæ rostro maris inserto.* Propterea Martialis Epigram. 74. lib. 14.

*Corve salutator, quare fellator haberis?*

v. 127. *Mordenti rostro* ] Molles tamen sunt, seu potius fictæ, columbarum morsiunculæ, ut Plautino verbo utar; de quibus olim ego ita in Ecloga quam *Charidemum* inscripsi:

*Ecce Dionææ committunt rostra columbæ,*
*Blandaque mentito decerpunt oscula morsu.*

ibid. *Decerpere* ] Quasi poma ex arbore. Ovidius Remed. Amoris v. 103.

- - - *Delectat Veneris decerpere flores.*

v. 128. *Quamquam p. m. e. m.* ] Ita MSS. codices, ut testatur Achilles Statius. Pertinet autem hic versus ad superiorem sententiam. Laodamia, inquit poeta, mirâ fuit amoris constantiâ erga virum suum Protesilaum, quem & dum viveret, unice amavit, & fato functum semper deflevit. res profecto mira! nam genus mulierum lubricæ fidei est, mutabile, ac plurium virorum appetens. Isaacus Vossius malebat, *Quam quæ*; nimirum ut τὸ *Quam* respondeat τῷ *improbius*. At vetus lectio prorsus retinenda.

ibid. *Multivola* ] Sacer scriptor Ec-

Ggg cle-

Sed tu olim magnos vicisti sola furores,
Ut semel es flavo conciliata viro.
Aut nihil, aut paullo quoi tum concedere digna
Lux mea se nostrum contulit in gremium.
Quam circumcursans hinc illinc sæpe Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica.

Quæ

clesiastiei cap. 9. v. 3. *Ne respicias mulierem multivolam: ne forte incidas in laqueos illius*. LXX. ita vertunt ex Hebræo: *Μὴ ὑπαίτε γυναικὶ ἑταιριζομένῃ*, nimirum *se se prostituenti*.

v. 129. *Sed tu* ] Sermonem ad Laodamiam convertit.

ibid. *Olim magnos* ] Τὰς πάλαι μεγάλας, ait Scaliger; nempe quotquot antiquis temporibus vehementiores umquam fuerunt. Christophorus Bulæus ad Valerium Flaccum lib. 1. v. 53. putat, ita dictum a poeta nostro *olim-furores*, quemadmodum *olim annis* a Flacco, pro annis prioribus, annis juvenilibus, *τοῖς πρὶν ἔτεσι*. propterea *olim-furores* Bulæo sunt *οἱ πάλαι θυμοί*. Eodem prope pacto Propertius dixit: *semper-amicitia*, & Virgilius *ante-malorum*, i. e. præteritorum. Sic & Horatius locutus est Satyra 2. lib. 2. v. 167.

*Emtor Aricini quondam, Vejentis & arvi,*
*Emtum cœnat olus, quamvis aliter putat' - - -*

*πάλαι ὠνητής*. *quondam-emtor*.

v. 130. *Flavo viro* ] Protesilao, quem flavo capillo fuisse narrant scriptores belli Trojani. vel *flavum* posuit pro pulchro.

ibid. *Conciliata viro* ] Cum viro copulata, in manum ejus tradita. Ovidius Amorum lib. 1. Elegia 13.

*Num me nupsisti conciliante seni?*

id est, Num ego proxeneta fui nuptiarum tuarum, quibus marito seni conjuncta es? Hunc Itali dicimus *sensale da matrimonj*. Vellejus Patere. lib. 2. Hist. Rom. c. 59. *Cum ei* ( Octavio Augusti patri ) *dignatio Juliâ genitam Atiam conciliâsset uxorem*. Existimat Vossius, hæc intelligenda esse de umbra Protesilai ab inferis evocata. Cum enim Laodamia precibus a Plutone impetravisset veniam semel videndi mariti post ejus mortem, in ipsius amplexu animam efflavit. Sed hæc profecto non sunt hujus loci.

v. 131. *Aut nihil, a. p. q. t. c. d.* ] Eo tandem redit poeta unde digressus fuerat. Puellam enim a Manlio sibi concessam, & formæ præstantia, & amoris ardore erga ipsum insignem fuisse significat; quæ propterea Laodamiæ vel par omnino, vel certe vix inferior haberi mereretur.

ibid. *Concedere* ] Cedere. compositum pro simplici. Ovidius Epistola Leandri v. 72.

*Concedunt flammis sidera cuncta tuis.*

Idem lib. 1. Fastorum v. 222.

*- - Concedit prisca moneta novæ.*

v. 133. *Circumcursans* ] Fingit, Cupidinem volitare solitum circum puellam formosam, & Veneris muneribus potentem. Sic & Horatius de ipsa Venere Ode 2. lib. 1.

*Quam Jocus circum volat, & Cupido.*

Sed hoc jam alii observârunt. *Circumsilire* dixit superius poeta noster Carm. 3. de passere Lesbiæ:

*Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,*
*Ad solam dominam usque pipilabat.*

v. 134. *Fulgebat c. candidus in tunica* ] Fulgorem tribuit Cupidini, vel quod tunica crocei coloris amictus esset;

nam

Quæ tamenetsi uno non est contenta Catullo,
Rara verecundæ furta feremus heræ:
Ne nimium simus stultorum more molesti.

Sæ-

nam croceus & luteus color aurum imitatur; quo pacto superius v. 71. dixit *fulgentem plantam*, ob luteum vel aureum soccum: sive quod cutis candorem crocea tunica magis augeret; non enim omni formæ color omnis vestimentorum aptus est. verum, ut ait Ovidius lib. 3. Artis, v. 189. *Pulla decent niveas, alba decent fuscas:* sive quod imberbis Cupido fingatur, nitidisque genis ac lævibus. Tibullus Elegia 9. lib. 1.

*Carior est auro juvenis, cui lævia fulgent*
*Ora, neque amplexus aspera barba terit.*

ibid. *Crocina* ] Crocea. Hinc unguentum crocinum, quod croci odorem spirabat. Propertius lib. 3. Elegia 8.

*Et crocino nares murrheus ungat onyx.*

ibid. *Crocina in tunica* ] Quam veteres alio nomine, ut videtur, *epicrocum* vocabant. Nævius apud Varronem lib. 6. de Lingua Latina: *Diabathra in pedibus habebat, & erat amictus epicroco.*

ibid. *In tunica* ] *Esse in veste, toga, tunica*, usurpant Latini scriptores pro vestem, togam, tunicam gerere. Propertius Elegia 22. lib. 2. E. B.

*Obstupui: non illa mihi formosior umquam*
*Visa, neque ostrina quum fuit in tunica.*

Juvenalis Sat. 10. v. 36.

*Quid, si vidisset prætorem curribus altis*
*Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi*
*In tunica Jovis? - - - -*

Ovidius lib. 2. Artis Amat. v. 297.

*Sive erit in Tyriis; Tyrios laudabis amictus:*
*Sive erit in Cois; Coa decere puta.*

Hoc loquendi genus & Græcis usitatum. Plutarchus in Sertorio: *Πατέρες ἥδοντο θαυμαςῶς, τοὺς παῖδας ἐν περιπορφύροις ὁρῶντες. Patres mirifica voluptate afficiebantur, filios in togis prætextis cum viderent.*

v. 135. *Tamenetsi* ] Conjunctim scribendum, pro *tametsi*. Hac particula usus & Cicero aliquoties. Legitur & in Epitaphio M. Pacuvii apud A. Gellium lib. 1. cap. 24.

*Adolescens, tamenetsi properas, hoc te saxum rogat,*
*Uti ad se adspicias - - - -*

v. 136. *Rara verecundæ furta f. heræ* ] Quod enim raro peccatur, id pudenter quodammodo ac timide peccari videtur. Mirifice in hanc rem Terentius Hecyra Ac. 4. Sc. 1. v. 35. verbis Phidippi filium amatorem excusantis:

*Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret*
*Exeuntem, aut introeuntem ad amicam. quid tum postea,*
*Si modeste ac raro hoc fecit? nonne ea dissimulare nos*
*Magis humanum est, quam dare operam id scire, qui nos oderit?*

Virgilius in Catalectis:

*- - Et tamen meas chartas*
*Revisitote, sed pudenter & raro.*

v. 137. *Ne nimium s. s. m. m.* ] Homines nimium molestos Catullus hoc loco appellat, qui ab amica fidem incorruptam severe exigentes, ei custodes ponunt, ejusque omnia dicta factaque curiose ac importune exquirunt, nec rivalem ullo modo ferre possunt. id autem genus hominum stultitia laborare, affirmat. stulti enim sunt qui ea cupiunt & affectant quæ fieri vix queunt, aut ne vix quidem. Ovidius Tristium lib. 3. Elegia 8.

Sæpe etiam Juno maxima cælicolûm
Conjugis in culpa flagravit cottidiana,
Noſcens omnivoli plurima furta Jovis.
Atqui nec divis homines componier æquum eſt.
Ingratum tremuli tolle parentis onus.

Nec

*Stulte, quid hæc fruſtra votis puerilibus optas*
*Quæ non ulla tibi fertque feretque dies?*

v. 138. *Sæpe etiam Juno* ] Exemplo Junonis, quæ Jovis mariti ſui plurima & pæne quotidiana adulteria perpeti coacta ſit, ſe quoque amicæ peccatis iraſci non oportere, ſignificat. Veteres enim illi, ſuperſtitione ac libidinibus obcœcati, ut alacrius flagitia ipſi ſuſciperent, & in aliis fortius ferrent, deos hoc nomine prorſus indignos ad imitandum ſibi proponebant. Huc pertinet inſignis locus Terentii Eunucho Ac. 3. Sc. 5. a verſu 35. quem ut vulgatum prætermitto.

ibid. *Cælicolûm* ] Συγκοπὴ pro *cælicolarum*, qua voce uſus Juvenalis Sat. 13. v. 42.

*Nulla ſuper nubes convivia cælicolarum.*

v. 139. *C. in culpa flagravit cottidiana* ] Non tam ira excanduit, quam infamia laboravit. Cicero procemio 1. Actionis in C. Verrem: *Cum e provincia recens eſſet, invidiaque & infamia non recenti, ſed vetere ac diuturna flagraret.*

v. 140. *Omnivoli Jovis* ] Διὸς παντοπέπτου, qui formoſarum omnium concubitum appeteret. Anacreon Ode 10. Cupidinem ipſum hoc epitheto inſignivit: Ἀλλ' οὐ θέλω, inquit, συνοικεῖν Ἔρωτι παντορέκτᾳ. *Sed nolo una habitare cum Cupidine omnivolo*. i. e. qui omnia appetit. Ceterum, de Jove notum illud diſtichon vetuſti poetæ:

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι' ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

*Juppiter cycnus, taurus, Satyrus, aurum* factus eſt, *ob amorem*
*Ledæ, Europæ, Antiopes, Danaes.*

v. 141. *Atqui n. divis homines c. æquum eſt* ] Verum, quid exemplis deorum abutor, ait poeta, qui homuncio ſim? Porro, ſi Juno cæleſtium regina, ſcortatorem Jovem & adulterum, quamquam invita, tolerat tamen; ego infra Junonis majeſtatem longiſſime poſitus, mulierculæ me identidem fallenti ſuccenſebo? Hunc verſum, quem viri doctiſſimi plerique ſe minus intelligere cauſſati ſunt, Alexander Guarinus omnium interpretum optime explicavit.

ibid. *Componier* ] Παραγωγὴ pro *componi*. Propertius Elegia 4. lib. 3.

*Me quoque conſimili impoſitum torquerier igni*
*Jurabo - - -*

Perſius Sat. 1. v. 28.

*At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier, Hic eſt.*

Porro *componere* eſt *comparare, conferre.* Virgilius Ecloga 1. v. 24.

*- - Sic parvis componere magna ſolebam.*

v. 142. *Ingratum tremuli tolle parentis onus* ] Etiam hic verſiculus interpretes male torſit. Eum tamen Guarinus, ut & præcedentem, egregie ac mirifice declaravit. Catullus porro id ſibi vult: Apage a me, atque ab amore meo triſte ac ſuperciliosum ſervandæ puellæ officium: apage paternam cuſtodiam & vigilantiam. Nolim ego ita in amicam inquirere, ut ſenex ac tremulus pater in filiæ virgi-

nis

Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
Fragrantem Assyrio venit odore domum:

Sed

nis vitam ac mores inquirit. Hoc profecto esset onus amatori ac eleganti homini haudquaquam ferendum: & patrem potius decet; qui ex Lege XII. Tabb. nuptam etiam filiam, si in adulterio deprehendisset, solus impune occidere poterat. Abominatur igitur Catullus tam molestam sollicitudinem. *tolle* enim respuentis & aspernantis est. Auctor liberi Carminis Epigr. 11. ad vetulam turpissimam:

*Tolle, inquam, procul, & jube latére*
*Scissa sub tunica stolaque rufa,*
*Ut semper soles, & timere lucem, &c.*

nempe γυναικεῖον αἰδοῖον. quod Caspar Scioppius, oppido ridicnle atque inepte, tamquam de caduco dente dictum accepit.

ibid. *Tremuli* ] Amat hoc ἐπίθετον Catullus, cum de patre sene sermo est. Superius enim Carm. 17. v. 13.

*- - Tremula patris dormientis in ulna.*

& Carm. 60. v. 51.

*Te suis tremulus parens Invocat.*

v. 143. *N. tamen illa mihi d. d. p.* ] Caussam aliam probabilem affert poeta, cur puellam suam diligenter adeo servare non debeat; quod scilicet ea uxor ipsi non sit, sed concubina tantum.

ibid. *Dextrâ deducta paternâ* ] *Vestâ* mavult Vossius; nempe *ἐκ τῆς πατρῴας Ἑστίας, ex focis & Laribus paternis*. quia *non a patribus deducebantur sponsæ* ad mariti domum, *sed a parochis seu paranymphis*. Lectio tamen vulgata non est loco movenda. Quid enim vetat, intelligi, novam nuptam deductam fuisse, quemadmodum a Vesta, ita etiam a dextra paterna? ut scilicet *deducere*, non sit *comitari*, sed *abducere*. Ceterum, *deducere, adducere, perducere, introducere*, nonnumquam verba erant lenonia. mulieres enim adulteræ, scorta minus vulgata, virgines pecunia corruptæ, denique impudici adolescentes a lenis & lenonibus ad amatores clam perduci solebant. Cornelius Nepos in Dione cap. 4. *Puero prius quam pubes esset, scorta adducebantur.* Tibullus Eleg. 7. lib. 1.

*Hac mihi te adducit tenebris, multoque timore*
*Conjungit nostras clam taciturna manus.*

Ad quem locum vide Adnotationes viri elegantissimi Jani Broukhusii: cui tamen placet legere: *Hac me deducit tenebris*. Ita sane Ovidius locntus lib. 10. Metamorph. v. 462. ut idem vir doctus animadvertit:

*Cunctantem longæva manu deducit: & alto*
*Admotam lecto cum traderet, Accipe, dixit;*
*Ista tua est, Cinyra: devotaque corpora junxit.*

Horatius autem Satyra 5. lib. 2. v. 76

*- - - - - Putásne*
*Perduci poterit tam frugi tamque pudica,*
*Quam nequiere proci recto depellere cursu?*

Huc pertinet Plauti jocus Mostellaria Ac. 2. Sc. 2. v. 160.

SI. *Quid id est?* TH. *errabo potius, quam perductet quispiam.*
SI. *Ædes dico.* TH. *ergo intro eo sine perductore.*

Quibus addendus M. Tullius Epist. 16. lib. 1. ad Atticum: *Etiam nocties certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt.*

v. 144. *Fragrantem A. v. odore domum* ] Nuptiarum enim die in domo mariti, odores incendebantur, qui vel ad sacrificia pertinebant, vel ad

ipsam

Sed furtiva dedit mira munuscula nocte,
  Ipsius ex ipso demta viri gremio.
Quare illud satis est, si nobis is datur unis,
  Quem lapide illa diem candidiore notat.
Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
  Pro multis aliis redditur officiis:

Ne

ipsam domum & convivas exhilarandos. ibid. *Assyrio odore* ] Tibullus Elegia 3. lib. 1.

*Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores.*

Huc pertinent verba Solini cap. 48. Polyhistoris. *Assyriorum*, inquit, *initium Adiabene facit, in cujus parte Arbelitis regio est, quem locum victoria Alexandri Magni non sinit præteriri. Nam ibi copias Darii fudit, ipsumque subegit, expugnatisque ejus castris, in reliquo apparatu regis scrinium unguentis refertum reperit, unde primum Romana luxuria fecit ingressum ad odores peregrinos.* Propertius Elegia 22. lib. 2. E. B. odores Arabiæ tribuit:

*Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores.*

v. 145. *Furtiva munuscula* ] Concubitum illegitimum. stupra enim & adulteria furta dicebantur, quod contra leges fierent.

ibid. *Mira nocte* ] I. e. deliciis omnibus affluente: quæ beatum efficere posset. Propertius Elegia 12. lib. 2. E. B.

*Nocte una quivis vel deus esse potest.* *Mirum amorem* pro notho & inusitato dixit Horatius Epodo 16.

*Novâque monstra junxerit libidine*
*Mirus amor; juvet ut tigres subsidere cervis,*
*Adulteretur & columba miluo.*

v. 146. *Ipsius ex i. demta viri gremio* ] Significat, non sine viri consensu puellam ad se venisse: quem scilicet Manlius vel auctoritate permoverit, vel pecunia & donis corruperit, ut ejus bona cum venia ipse & Catullus communi amica fruerentur. Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 237. juvenem prodigum ita loquentem inducit:

*Sume; tibi decies: tibi tantumdem, tibi triplex,*
*Unde uxor media currit de nocte vocata.*

Vel maritus nequam uxoris adhuc intactæ virginitatem pretio vendiderat. Nisi dicamus, demtam fuisse conjugem a latere viri nescientis & dormientis. quod tamen minus placet.

v. 147. *Quare illud satis est, s. n. i. d. n. Q. l. i. d. c. n.* ] Hoc, inquit Catullus, debemus esse contenti ego & Manlius, si quo die illa ad nos venit, eum diem felicem appellat, alboque lapillo notandum censet. Nobiscum igitur libenter est, cum viro invita. Ceterum, Theodorus Marcilius hoc distichon ita legebat:

*Quare illud satis est, si nobis id datur unis,*
*Quum lapide illa dies candidiore notat.*

v. 149. *Quod potui* ] Virgilius pariter Ecloga 3. v. 70.

*Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta*
*Aurea mala decem misi, cras altera mittam.*

v. 150. *Pro multis aliis r. o.* ] Quæ nimirum tibi debeo, nec præ virium mearum tenuitate præstare possum.

v. 151.

Ne vostrum scabra tangat robigine nomen
  Hæc atque illa dies, atque alia, atque alia.
Huc addent divi quamplurima, quæ Themis olim
  Antiquis solita est munera ferre piis.
Sitis felices & tu simul, & tua vita,
  Et domus, ipse in qua lusimus & domina:

Et qui

v. 151. *Vostrum nomen* ] *Vostrum* dixit ἀρχαϊκῶς, pro *tuum*; quia *Manlius* nomen est gentile, & ad plures pertinet ex eadem gente.

ibid. *Scabra robigine* ] Virgilius pariter Georg. lib. 1. v. 495.

*Exesa inveniet scabra robigine pila.*

Ovidius quoque lib. 1. Fast. v. 687.

*Interea crescat scabræ robiginis expers,*
*Nec vitio cœli palleat ægra seges.*

*Robiginem* porro Catullus hic usurpavit pro damnis vetustatis, quæ nomina ac titulos illustrium virorum paullatim obliterat, atque oblivione consumit.

v. 152. *Hæc atque illa dies, a. a. a. a.* ] Ita Cicero in Verrem Orat. de Signis cap. 29. *Rex primo nihil metuere, nihil suspicari. dies unus, alter, plures: non referri*. Catullum, ut videtur, imitatus est Areostus Cantu 45. Rolandi Furentis Strophe 61.

*E tanto e un giorno, e un altro, e un altro andaro,*
*Che in Francia, ed a Parigi si trovaro.*

Eamdem verborum figuram observare est apud Plautum Captivis Ac. 3. Sc. 1. v. 28. quamquam in re dissimili:

*Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios: una res.*

Neque illud Horatii dissimile Epist. 1. lib. 2. v. 45.

*Utor permisso, caudæque pilos ut equinæ*
*Paullatim vello; & demo unum, demo & item unum;*
*Dum cadat elusus ratione ruentis acervi.*

Quem Persius imitatur Satyra 6. v. 57.

*- - Quare ex me, quis mihi quartus*
*Sit pater, haud promte, dicam tamen: adde etiam unum,*
*Unum etiam, terræ est jam filius. - -*

v. 153. *Huc addent divi quamplurima* ] Deorum scilicet beneficentiâ ea cumulate in te conferentur quæ ipse præstare nullo modo possum.

ibid. *Themis* ] Quam Orpheus in Hymnis appellat οὐρανόπαιδα: Cæli enim ac Terræ filia fuit, ut fabulæ docent. Eam veteres, tamquam benefactis præmia, sceleribus pœnas æqua lance dispensantem, venerabantur. De præmiis Catullus hoc loco: de pœnis Ovidius lib. 7. Metam. v. 762.

*Scilicet alma Themis non talia linquit inulta.*
*Protinus Aoniis immittitur altera Thebis*
*Pestis; & exitio multi pecorumque suoque*
*Rurigenæ pavere feram - - -*

v. 154. *Antiquis piis* ] Τὸ *piis* οὐσιωδῶς accipiendum, ut adjectivum regat. Eodem pacto Juvenalis Sat. 2. v. 8.

*- - Quis enim non vicus abundat*
*Tristibus obscœnis? - - -*

v. 155. *Sitis felices* ] Tibullus pariter Elegia 6. lib. 3.

*Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neæra,*
*Sis felix, & sint candida fata tua.*

Ὄλβιε κῶρε γένοιο, *Beatus, puer, sis*, dixit Theocritus Idyllio 17. v. 66.

ibid. *Tua vita* ] Puella, quam vitam & animam appellas, ut solent amatores. Propertius Elegia 2. lib. 1.

*Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?*

v. 157.

Et qui principio nobis terram dedit, auctore
A quo sunt primo omnia nata bona:
Et longe ante omnes, mihi quæ me carior ipso est,
Lux mea: qua viva vivere dulce mihi est.

## LXVIII.

Noli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe, velit tenerum suppofuisse femur:

Non

v. 157. *Et qui principio* ] Noster superius Carm. 65. v. 49.

*Et qui principio sub terra quærere venas*
*Institit, & ferri fingere duritiem.*

ibid. *Terram dedit* ] Vossii lectionem exhibeo; quam is eruit ex vestigiis antiquæ scripturæ. Ait porro, *terram dare* idem esse *ac campum patefacere*, quod antea dixit Catullus; & ad Manlium pertinere. Sed latet ulcus. Vulgatæ editiones habent, *te tradidit*.

ibid. *Auctore* ] Versus hypermeter, nempe unâ syllabâ redundans, quæ absorbetur a proxima vocali sequentis versus.

v. 158. *A quo s. primo omnia n. b.* ] In hoc pentametro, post duos spondæos & cæsuram, hiatus relinquitur synalœphe neglectâ: quod Catullo non infrequens.

v. 159. *Et longe a. omnes* ] Eodem pacto Tibullus Elegia 4. lib. 3.

*Sed longe ante alias omnes mitissima mater.*

v. 160. *L. m. qua viva vivere dulce m. e.* ] Huc pertinent illa suavissima Francisci Petrarchæ (*nella Canzone* 45.)

*Mai questa mortal vita a me non piacque*
*(Sassel' Amor, con cui spesso ne parlo)*
*Se non per lei, che fu 'l suo lume, e 'l mio.*

Argum. Carm. LXVIII. ] Miranti Rufo cur ipsum puellæ fugerent, trago, sive axillarum gravi odore, quo laboret, id effici scribit.

v. 1. *Noli admirari* ] Sua quemque vitia fallunt, & nemo sibi videtur fastidiendus. Hue pertinent illa Horatii amarissima Epodo 8. in vetulam prurientem:

*Rogare longo putidam te sæculo,*
*Vires quid enervet meas?*
*Cum sit tibi dens ater, & rugis vetus*
*Frontem senectus exaret?* &c.

ibid. *Noli admirari* ] Ne admireris. Cicero F. Epist. 21. lib. 16. *Hoc loco me tibi gratulari noli mirari*. Ita Carm. 23. v. 24.

*Hæc tu commoda tam beata, Furi,*
*Noli spernere - - - .*

& Carm. 63. v. 199.

*Vos nolite pati nostrum vanescere luctum.*

Horatius pariter Epist. 16. lib. 1. v. 69.

*Vendere cum possis captivum, occidere noli.*

v. 2. *Rufe* ] Opinatur Achilles Statius, hunc esse M. Cœlium Rufum, insignem iis temporibus oratorem, eodem die natum quo C. Licinius Calvus, teste Plinio Hist. Nat. cap. 49. dissolutum hominem, amicum prius, & postea rivalem Catulli nostri. Cui sententiæ temere subscribendum non est. Cœlius enim Rufus homo formo-

sus

Non si illam raræ labefactes munere vestis,

Aut

sus & elegans fuit: quod vel ex M. Tullii Oratione pro illo satis constat. Ceterum a veteribus *Rufi* appellabantur quorum capillus ita flavus erat, ut ad ruborem declinaret.

v. 3. *Non si* ] Has particulas conjungunt Latini scriptores præcipue quoties obstinatum animum, & qui nullis conditionibus a proposito dimoveatur, significare volunt. Catullus Carmine quod proxime sequitur: *Non si se Juppiter ipse petat*. Idem superius Carm. 48.

*Non si densior aridis aristis*
*Sit nostra seges osculationis*.

Terentius Eunucho Ac. 1. Sc. 1. v. 4.

*Exclusit: revocat: redeam? non si me obsecret*.

Lucretius lib. 3. v. 844.

*Non si terra mari miscebitur, & mare cælo*.

Idem lib. 6. v. 1072.

*Purpureusque colos conchyli mergitur una*
*Corpore cum lana, dirimi qui non queat umquam,*
*Non si Neptuni fluctu renovare operam des,*
*Non mare si totum velit eluere omnibus undis*.

Horatius Ode 14. lib. 2.

*Non si tricenis, quotquot eunt dies,*
*Amice, places illacrimabilem*
*Plutona tauris - -*

& alibi non semel. Tibullus Elegia 10. lib. 1.

*Non tibi si pretium Campania terra daretur,*
*Non tibi si Bacchi cura Falernus ager*.

Livius lib. 7. Histor. *Injussu tuo, inquit, imperator, extra ordinem numquam pugnaverim, non si certam victoriam videam*. Seneca denique Epist. 59. *Sapiens autem, ad omnem incursum munitus & intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet*. Hoc porro nostri poetæ loco A. Guarinus & Gryphiana editio A. 1542. legunt:

*Non ullam raræ labefactes munere vestis*.

quæ lectio fortasse anteponenda. nam *labefactare* est *corrumpere, depravare, vitiare*. Vossius legit, *Non illam*, τοῦ *si* deleto.

ibid. *Raræ l. munere vestis* ] Raram vestem dicit aut quæ a summatibus tantum feminis geratur, quippe magno pretio parata: vel tenuissimam & pellucentem, cujusmodi erant vestes Coæ. Certe Propertius Elegia 5. lib. 4.

*Qui versus, Coæ dederit nec munera vestis,*
*Illius tibi sit surda sine arte lyra*.

quod jam ab aliis observatum. Hæ porro vestes meretricibus relinquebantur; nullam enim partem corporis videndam non exhibebant. Horatius Satyra 2. lib. 1. v. 101.

- - - *Cois pæne videre est*
*Ut nudam; ne crure malo, ne sit pede turpi:*
*Metiri possis oculo latus* - - -

Talem tunicam tribuit Ovidius Corinnæ, Amorum lib. 1. Elegia 5. his versibus:

*Deripui tunicam; nec multum rara nocebat:*
*Pugnabat tunica sed tamen illa tegi*.

ibid. *Labefactes* ] Ex pudica impudicam efficere coneris; ut *labefactare*, hoc loco sit *aggredi, tentare*. Cicero tamen pro A. Cluentio: *Quos appellârit, quibus pecuniam promiserit, quorum fidem pretio labefactare conata sit, tenemus*. Ubi *labefactare* a vulgata significatione non discedit. Petrus Victorius lib 3. Var. Lect. cap. 22. hunc poetæ nostri locum explicans, animadvertit, eodem prope pacto dictum ab Herodoto lib. 8. Histor. παλιγνώτες (?) δῶροισι, id est vul-

Aut pelluciduli deliciis lapidis.
Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes: neque mirum; nam mala valde est
Bestia, nec quîcum bella puella cubet.
Quare aut crudelem nasorum interfice pestem;
Aut admirari desine, cur fugiunt.

LXIX.

*vulneratique muneribus*. Alio pertinet illud Terentii Phormione Ac. 1. Sc. 1. v. 12. quamquam simile videatur:

- - - - *Porro autem Geta*
*Ferietur alio munere ubi hera pepererit*.

videlicet, ad munus mittendum adigetur, dando munere multabitur.

v. 4. *Pelluciduli d. lapidis* ] Pro *lapilli pellucidi*. Adjectivum diminuit loco substantivi. Vide quæ adnotavimus ad v. 12. Carm. 2. *Lapidem* porro *pellucidum* unionem interpretatur Muretus, nempe insignem baccam, seu margaritam præstantissimam. Recte omnino. Plinius enim lib. 9. Nat. Hist. cap. 35. ita de hac gemma: *Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere, haud promtis rebus, in tantum ut nulli duo reperiantur indiscreti: unde nomen unionum Romanæ scilicet imposuere DELICIÆ. Nam id apud Græcos non est, ne apud barbaros quidem inventores ejus aliud quam margarita*.

v. 5. *Lædit te q. mala fabula* ] Rumor sinister de te ubique diffusus, tibi nocet. Euripides pariter in Hippolyto Coronato: Δάκνει σε μῦθος, inquit: *mordet te fabula*. quod observavit Achilles Statius.

v. 6. *Valle sub alarum* ] Sic *vallem femorum* Ausonius memorat Epigram. 128. & *lutea Symplegadis antrum* αὐτὶ τοῦ πρωκτοῦ Epigram. 108.

ibid. *Alarum* ] Axillarum. Vocatur *axilla* cava pars corporis inter thoracem & brachium, ex qua maribus & feminis ineunte adolescentia pili succrescunt, & sudor quidam olidus effluit, vel etiam odor malus absque sudore, cum ibi cutis rarior sit. Hinc *sub ala* portare. Horatius Epist. 13. lib. 1.

- - - - *Ne forte sub ala*
*Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum*.

ibid. *Caper* ] Quid hoc rei sit, explicat Censorinus de Die Natali cap. 13. his verbis: *Ait enim* ( Solon in Elegia ) - - - - - - *secunda hebdomade* ( annorum scilicet ), *vel incipiente tertia, vocem crassiorem & inæquabilem fieri. quod Aristoteles appellat* τραγίζειν, *antiqui nostri hirquitallire, & inde ipsos putant hirquitallos appellari, quod tum corpus hircum olere incipiat*. Hunc igitur axillarum fœtorem, *hircum* seu *caprum* Latini, τράγον Græci appellabant, quod vel ex Martiale notum est.

v. 7. *Hunc metuunt omnes* ] Puellæ nimirum.

ibid. *Mala v. e. Bestia* ] Κακὸν θηρίον. Epimenides apud D. Paulum Epist. ad Titum cap. 1. v. 12.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί.

*Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*.

v. 8. *Quîcum* ] ἀρχαϊκῶς, pro *eum quo*.

ibid. *Bella puella* ] Elegans, munda. Tibullus Elegia 4. lib. 3.

*Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,*
*Quantum nec cupido bella puella viro*.

v. 9. *Crudelem pestem* ] Proprium hoc pe-

## LXIX.

NULLI se dicit mulier mea nubere malle,
Quam mihi: non si se Juppiter ipse petat.
Di-

pestis epithetum. Noster superius Carm. 63. v. 76.

*Nam perhibent olim crudeli peste coactam*
*Androgeoneæ pœnas exsolvere cædis*
*Cecropiam* - - - -

ibid. *Nasorum pestem* ] Ita ῥινόφθορον ὀσμὴν ἢ αὔραν, *halitum nares perdentem*, veteres Græcos dixisse de tætro quovis odore, præcipue tamen de crepitu ventris, docet Vossius in Commentario. Ovidius lib. 1. Artis Amat. v. 521.

*Nec male odorati sit tristis anhelitus oris:*
*Nec lædat nares virque paterque gregis.*

Contra Horatius flores, plantasque beneolentes, *narium copiam* vocavit Ode 15. lib. 2.

- - - *Tum violaria, &*
*Myrtus, & omnis copia narium*
*Spargent olivetis odorem*
*Fertilibus domino priori.*

Vide ibi Lambini Commentarium. Porro, illud Herodoti non dissimile in Terpsichore cap. 18. allatum & reprehensum a Longino Sect. 4. ἀεὶ ὄψυς: Καλὰς γυναῖκας ἀλγηδόνας (εἶναι) ὀφθαλμῶν. *Pulchras mulieres dolores esse oculorum.*

ibid. *Interfice* ] Ut solent malæ bestiæ passim interfici. Persistit in translatione.

ARGUM. CARM. LXIX. ] Amicæ, unaque feminarum omnium, levitatem suggillat.

v. 1. *Dicit* ] *Dicere*, interdum est promittere, ac juramento affirmare: *dicta* vero sunt promissa. Noster infra Carm. 71.

*Dicebas quondam, solum te nosse Catullum,*
*Lesbia, nec præ me velle tenere Jovem.*

Ovidius Fastorum lib. 3. v. 365.

*Atque ita, Tempus adest promissi muneris, inquit;*
*Pollicitam dictis, Juppiter, adde fidem.*

Nonnumquam eadem significatione usurpârunt & *loqui*. Virgilius Ecloga 3. ver. 72.

*O quoties, & quæ nobis Galatea locuta est!*
*Partem aliquam, venti, divûm referatis ad aures.*

ibid. *Mulier mea* ] A *muliere* derivata Italica vox *mogliera*, & κατ' ἐξοχὴν, *moglie*, significatione tamen diversa: Italis enim *moglie* idem est ac Latinis *uxor*. Galli pariter uxorem appellant *femme*; quod a *femina* originem ducit.

ibid. *Nubere* ] Non quidem legitimis nuptiis, at furtivo concubitu. Dabat enim Catullo amica, seque daturam in posterum ei soli pollicebatur, & præterea nulli; non tamen conjugium promittebat. Nam fortasse poeta conjugem hujusmodi deprecatus fuisset; cum pauci omnino inveniantur qui quas amicas libenter habent, ab earum conjugio non abhorreant. *Quotidianas nuptias* memorat alicubi Auctor Rhetoricorum ad Herennium; vagam videlicet ac desultoriam Venerem.

v. 2. *Se* ] Pro *eam*, vel *ipsam*. Plautus pariter Milite Glorioso Ac. 2. Se. 2. v. 32.

 Si-

Dicit: Sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida scribere oportet aqua.

LXX.

*Siquidem centies hic visa sit, tamen inficias eat.*

- - - - - - - - -

*Qui arguet se, eum contra vincat jurejurando suo.*

Vide Gerardum Joannem Vossium libro de Constructione cap. 26. & sequu.

ibid. *Juppiter ipse* ] Ovidius lib. 7. Metam. v. 801.

*Nec Jovis illa meo thalamos praeferret amori.*

Plautus quoque Casina Ac. 2. Sc. 5. v. 13.

- - - - OLYMP. *Orat, obsecrat,*
*Ne Casinam uxorem ducam.* ST. *quid tu postea?*
OLYMP. *Negavi enim ipsi me concessurum Jovi,*
*Si is mecum oraret* - - - -

ibid. *Petat* ] Muretus jampridem observavit, *petere*, nonnumquam esse *procari*, i. e. matrimonium alicujus affectare. Verum & de lascivis amoribus id usurpabant. Horatius Ode 33. lib. 1.

*Ipsum me melior cum peteret Venus,*
*Grata detinuit compede Myrtale.*

v. 3. *Dicit: Sed* ] Elegans διαφορά. Hanc porro videtur Catullus e Græcorum myrotheciis depromsisse. Menander enim ita locutus, quod Achilles Statius observavit:

Λέγεις, ἃ δὲ λέγεις, εἵνεκα τοῦ λαβεῖν λέγεις.

*Dicis: quæ autem dicis, accipiendi caussa dicis.*

Callimachus vero Epigrammate 26. eumdem figuræ leporem adhibuit:

Ὤμοσε Καλλίγνωτος Ἰωνίδι, μήποτ' ἐκείνης
Ἕξειν μήτε φίλον κρέσσονα, μήτε φίλην.
Ὤμοσεν· ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα, τοὺς ἐν ἔρωτι
Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων.

*Juravit Callignotus Ionidi, numquam illa*
Se *habiturum neque amicum potiorem, neque amicam.*
*Juravit: sed verus* est sermo quem *dicunt: amatoria*
*Juramenta non ingredi in aures immortalium.*

ibid. *Sed mulier &c.* ] Muliebre genus, apud poetas (qui sexui suo plerumque adulantur) malis rumoribus passim flagrat; nec tamen semper injuria: quippe mulieres

*Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt,*

ut os sibi frigefactent, & amatori sublinant. Sed hæc omnia jam vulgata.

v. 4. *In vento, & r. s. o. a.* ] Versus παροιμιώδης ad mulierum fluxam fidem significandam.

ibid. *In vento scribere* ] Ita Franciscus Petrarcha (*nel Sonetto* 177.)

*Solco onde, e 'n rena fondo, e scrivo in vento.*

Quod a Catullo manifeste sumtum videtur. quamquam enim Petrarchæ temporibus Catulli carmina in paucissimorum manibus versarentur, ex illis paucissimis Petrarcham fuisse, credibile admodum est: scimus enim, quantus veterum librorum θηρατὴς atque scrutator vir ille exstiterit.

ibid. *Et rapida scribere o. aqua* ] Græci pariter in re simili dicebant καθ' ὕδατος vel εἰς ὕδωρ γράφειν. Lucianus in Cataplo: Παίζεις, ὦ Χάρων, ἢ καθ' ὕδατός φασιν ἤδη γράφεις, παρὰ Μικύλλου ἤδη τινὰ ὀβολὸν προσδοκῶν. i. e. *Ludis, o Charon, vel* potius *in aqua, ut ajunt, scribis, qui a Micillo jam obolum ullum exspectes.* Philostratus pariter Imaginum lib. 2. cap. 8. Ἀλλ' οὐκ ὄναρ ταῦτα, ὦ Κριθηΐς, οὐδ' εἰς ὕδωρ τὸν ἔρωτα τοῦτον γράφεις. *Verum hæc non sunt insomnium, o Critheis, neque*

que

# L X X.

SI quoi, Virro, bono ſacer alarum obſtitit hircus,
Aut ſi quem merito tarda podagra ſecat:

Æmu-

*que in aqua hunc amorem ſcribis*. Denique Porphyrius in libris ἐκλογίων φιλοσοφίας, cujus verba Latine recitat D. Auguſtinus lib. 19. de Civ. Dei cap. 23. vel potius Apollinis Oraculum apud Porphyrium: *Forte magis poteris in aqua impreſſis litteris ſcribere, aut adinflans pennas leves per aera ut avis volare, quam polluta revoces impiæ uxoris ſenſum*. Quod autem Catullus dixit, *in aqua rapida*, inſtabilem feminarum animum, & fallacia juramenta non cuilibet aquæ, ſtagno puta aut lacui, ſed flumini velocius currenti comparare voluit, in quo nimirum omne veſtigium puncto temporis obliteratur. Ceterum de maris aqua, bovis qui Europam avexit pedibus diſciſſa, καταγράφειν, *inſcribere*, uſurpavit Nonnus Dionyſiacon lib. 3. v. 267.

*Ἰονίης ἁλὸς οἶδμα κατέγραφε φοιτάδι χηλῇ.*
*Jonii ſalis tumorem inſcripſit vagâ ungulâ.*

& lib. 2. v. 13. dixerat de nauta prætereunte, κῦμα χαράσσων, *fluctum inſcribens*, nempe *arans*: quemadmodum Virgilius Æneid. 1. v. 478.

*- - - Verſa pulvis inſcribitur haſta.*

ARGUM. CARM. LXX.] Virronem quemdam, rivali ſuo iratum & offenſum, jocoſe admodum conſolatur. ait enim, amicæ quidem infideli, hircum axillarum quo æmulus Virronis laboret; ipſi vero æmulo podagram ex immodico Veneris uſu contractam, pœnam paratam eſſe.

v. 1. *Si quoi*] Voſſius mavult *Si qua*, nempe *Si aliqua ratione*, *Si aliquo modo*. verum vulgata lectio minus obſcura. id enim ſibi velle videtur Catullus: Si ullo umquam tempore cuiquam jure nocuit alarum δυσωδία, nunc ſane jure optimo, æmulo iſti tuo nocet.

ibid. *Virro*] Exiſtimat Voſſius, etiam Virronem hirci odore fœdum hominem fuiſſe. Hoc porro nomen derivatum cenſet a Græco βειρὸς, βιῤῥὸς, & βιῤῥὸς, quæ omnia δασὺ ſeu *piloſum* Heſychio ſignificant. Verum abſque hujuſmodi explicatione ſuus tamen Epigrammati lepos conſtat.

ibid. *Bono*] Hæc vox adverbii locum hic obtinet. ponitur autem pro *commode & apte*. Cornelius Celſus lib. 2. Medicinæ cap. 8. diverſa omnino ſignificatione *bono eſſe* uſurpavit. *Lienoſis*, inquit, *bono tormina ſunt:* nimirum *proſunt*.

ibid. *Sacer*] Exſecrabilis, abominandus, piacularis. Noſter ſupra Carm. 14. v. 12.

*Dii magni, horribilem & ſacrum libellum!*

Horatius vero Sat. 3. lib. 2. v. 180.

*- - - - Uter ædilis, fueritve*
*Veſtrûm prætor, is inteſtabilis & ſacer eſto.*

ibid. *Obſtitit*] Impedimento fuit, quominus optata perficeret vel aſſequeretur.

v. 2. *Tarda podagra*] Horatius Sat. 9. lib. 1. v. 32.

*Nec laterum dolor, aut tuſſis, nec tarda podagra.*

Qui enim hoc morbo laborant, vel nullo modo incedere poſſunt, vel repunt potius quam ambulant. Hinc *podagra* dicitur, quaſi ποδῶν ἄγρα, *pedum captura*.

ibid. *Secat*] Torquet, lancinat, ſævis cruciatibus afficit. Vim tæterrimi

hu-

Æmulus iste tuus, qui vostrum exercet amorem,
Mirifice est, ac tu, nactus utrumque malum.
Nam quoties futuit, toties ulciscitur ambos,
Illam affligit odore, ipse perit podagra.

LXXI.

hujus morbi pulchre describit Lucianus in Tragopodagra, his versibus:

*Τότε δὴ μελέων ἔσω βέλος πέπηγε μύσαις,*
*Ἀφανὲς, κρύφιον, δεδυκὸς ὑπὸ μυχοῖσι γυίων.*
*Πόδα, γόνυ, κοτύλην, ἀστραγάλους, ἰσχία, μηρούς,*
*Χέρας, ὠμοπλάτας, βραχίονας, κόρωνα, καρπούς,*
*Ἐσθίει, νέμεται, φλέγει, κρατεῖ, πυροῖ, μαλάσσει.*
*Sagitta mystis tunc acuta figitur,*
*Subitque clanculum artuum penetralia:*
*Pedem, genu, cavosque nodos ossium,*
*Talosque, coxas, crura, scapulas, & manus,*
*Brachiaque, carposque, artuum & cavernulas,*
*Depascitur, vorat, urit, inflammat, tenet, Mollitque - -*

Podagricus vero apud eumdem ita conqueritur:

*Μὴ κάρχαρον πορθεῖ με δῆγμα Κερβέρου;*
*An asperos sustineo morsus Cerberi?*

v. 3. *Vostrum amorem* ] Nempe amorem quo tu, o Virro, & puella tua inter vos amatis.

ibidem. *Exercet amorem* ] Superius Carm. 67. v. 69. dixit:

*Ad quam communes exerceremus amores.*

nisi τὸ *exercet* hoc loco sit *agitat*, *vexat*, *disturbat*, *sollicitum habet*. Virgilius lib. 4. Georg. v. 453.

*Non te nullius exercent numinis iræ.*

v. 4. *Mirifice* ] Perbelle, opportune, ut nihil supra: maximo commodo tuo.

ibid. *Ac tu* ] Ita legit Vossius. Aliis placet *a te*; nempe ob vota & preces tuas. quod tamen aliquantulum friget:

v. 5. *Nam q. f.* ] Doleudum profecto est, Veronensem poetam obscœnitate verborum adeo delectari, ut eum pudicæ aures ferre non possint. Hoc tamen veteres illi nequitiæ dediti vocabant *Latine loqui*, id est simpliciter, aperte, sine ullis ambagibus. Martialis lib. 1. Epigram. Epistola ad Lectorem: *Lascivam verborum veritatem, id est, Epigrammaton linguam excusarem, si meum esset exemplum. Sic scribit Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Getulicus, sic quicumque perlegitur. Si quis tamen tam ambitiose tristis est, ut apud illum in nulla pagina Latine loqui fas sit, potest Epistola, vel potius titulo contentus esse.* Idem Epigram. 20. lib. 11. cum sex lascivos Augusti versiculos recitâsset de Antonio & Glaphyre sive Cleopatra, hæc demum subjungit:

*Absolvis lepidos nimirum, Auguste, libellos,*
*Qui scis Romana simplicitate loqui.*

Scriptor Carminis in Priapum Epigr. 2.

*Simplicius multo est, Da pedicare, Latine*
*Dicere - - - - -*

ibid. *Ulciscitur ambos* ] Ἑαυτοντιμωρούμενος est: nam punit quodammodo seipsum, & præterea puellam tuam infidelem.

v. 6. *Illam affligit odore* ] Qui enim graveolentia laborat, vitium ipse suum vix animadvertit, proximis tamen, quibuscum versatur, molestiam creat. Quamobrem hircosus ille Rufus, de quo poeta noster superius Carm. 68., admirabatur cur se cane pejus & angue mulieres fugerent, morbi sui videli-

## LXXI.

Dicebas quondam, solum te nosse Catullum,
Lesbia: nec, præ me, velle tenere Jovem.

Di-

delicet nescius. Idem observat Plinius de pretiosis unguentis lib. 13. Nat. Hist. cap. 3. Ejus verba sunt: *Summa commendatio eorum, ut transeunte femina odor invitet etiam aliud agentes. Exceduntque quadragenos denarios libra. Tanti emitur voluptas aliena! Etenim odorem qui gerit, ipse non sentit.* Vis autem diuturnæ consuetudinis id efficit, qua sensus hebetiores fieri videntur. Ovidius lib. 2. Art. Amat. v. 653.

*Eximit ipsa dies omnes e corpore mendas:*
*Quodque fuit vitium, desinit esse mora.*
*Ferre nova nares taurorum terga recusant:*
*Assiduo domitas tempore fallit odor.*

Quid tamen deterius halat hircinis pellibus recentibus? Iccirco Plautus Casina, spectatores domum dimittens, optat ei *qui manibus clare non plauserit, hircum nautea unctum pro scorto supponi.* nautea vero est aqua coriariorum. Porro tæter odor axillarum ac totius corporis, in ipso concubitu, sudori conjunctus ingravescit. Horatius Epodo 12. v. 7.

*Qui sudor vietis, & quam malus undique membris*
*Crescit odor! cum pene soluto*
*Indomitam properat rabiem sedare--*

ibid. *Perit podagra* ] Nam Venus immoderata, præter alios morbos quos efficit, podagram etiam sæpius inducit; flore videlicet sanguinis dissipato & consumto, relictaque crassiori parte, ac fæce glutinosa, quæ in articulis manuum ac pedum paullatim desidens, in lapillos obdurescit, carnemque ac nervos circumstantes, vere præsertim adveniente, cum corporis partes omnes, humoresque intumescunt, acerbissimo cum dolore, vellicat atque distendit. Enimvero neque eunuchos, neque pueros ante Veneris usum, podagra laborare, docet Hippocrates Aphorismo 28. & 30. Sect. 6.

ibid. *Podagra* ] Media syllaba hujus vocis apud poetas communis est.

Argum. Carm. LXXI. ] Ait, se Lesbiæ, quamdiu ipsam fidelem fuisque amantem crediderit, singularem benevolentiam vel potius pietatem præstitisse: nunc vero, postquam illius perfidiam non uno argumento exploratam habeat, minus quidem ejus caussa velle, amorem tamen suum & cupiditatem, ab objectis impedimentis acriorem in dies & vehementiorem fieri.

v. 1. *Solum te nosse Catullum* ] Unius Catulli rationem habere, ipsum permagno æstimare: ceteros contemnere ac posthabere. Cicero pro Archia poeta: *Omnes qui aliquid de ingeniis poterant judicare, cognitione atque hospitio dignum existimârant.* Contra, *ignorare* dicebant pro parvipendere. Propertius lib. 2. Elegia 2. E. B.

*Cur hæc in terris facies humana moratur?*
*Juppiter, ignoro pristina furta tua.*

v. 2. *Præ me* ] Mihi comparatum. Italice, *in confronto di me*. Cicero de Claris Oratoribus: *Hegesias vero illos Atticos præ se pæne agrestes putat.*

ibid. *Tenere* ] Amplecti, fovere, ut amatos juvenes puellæ solent. Tibullus pariter Elegia 7. lib. 1.

*Te tenet, absentis alios suspirat amores.*

Et Elegia 1. ejusdem libri:

*Te teneam moriens deficiente manu.*

Car-

Dilexi tum te, non tantum ut vulgus amicam;
  Sed pater ut gnatos diligit & generos.
Nunc te cognovi. quare, etsi impensius uror,
  Multo mî tamen es vilior & levior.
Quî potis est? inquis. Quod amantem injuria talis
  Cogit amare magis, sed bene velle minus.

## LXXII.

DESINE de quoquam quicquam bene velle mereri,
  Aut aliquem fieri posse putare pium.

Omnia

Carmen liberum Epigr. 5.

*Prendam te tamen, & tenebo prensam.*

Interdum τὸ *complexu* addebant. Virgilius Æneid. 8. v. 581.

*Dum te, care puer, mea sola & sera voluptas,*
*Complexu teneo - - - - - - -*

v. 3. *Ut vulgus amicam* ] Non vulgari tantum amore te prosequebar, voluptatis nimirum caussa quam ex tuo concubitu perciperem, sed etiam caritate & amicitia gratuita, qualem ostendunt liberis patresfamilias, & soceri generis, quos ex animo diligunt, & liberorum loco habent, quorumque commoda suis anteponere consueverunt.

v. 5. *Nunc te cognovi* ] Nempe mores tuos & infidelitatem expertus.

ibid. *Impensius uror* ] Nihil enim adeo amantis cupiditatem exacuit, quam si senserit, a puella rivalem sibi præferri. vetita enim & in arduo posita magis concupiscimus, quam promta & parabilia.

v. 6. *Mî es vilior* ] Minus a me æstimaris, minoris apud me pretii es. Propertius Elegia 2. lib. 1.

*Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis.*

v. 7. *Quî potis est? inquis* ] Tu ex me sciscitaris, quomodo fieri possit, ut aliquis puellam despiciat, & despectam vehementius amet.

ibid. *Injuria talis* ] Fides violata. Propertius Elegia 6. lib. 3.

*Non est certa fides quam non injuria versat.*

Et Ovidius lib. 3. Artis Amat. v. 597.

*Quamlibet exstinctos injuria suscitat ignes.*
*En ego (confiteor) non nisi læsus amo.*

v. 8. *Cogit amare m. s. bene velle m.* ] Amorem a benevolentia distinguit Catullus hoc loco; quamquam nihil interesse putet Cicero lib. 2. de Finibus. *Quid autem est amare*, inquit, *ex quo nomen amicitiæ ductum est, nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiam si ad se ex iis nihil redeat?* Idem docet Aristoteles lib. 8. Ethic. ad Nicomachum his verbis: Οἱ φιλοῦντες ἀλλήλους, βούλονται τἀγαθὰ ἀλλήλοις: *Qui amant inter se, alii aliis bene volunt.* Sed poeta noster vulgi amorem significat, feram scilicet atque effrenatam libidinem; quæ dissoluti corruptique animi perturbatio ab amicitiæ sanctitate distat quam longissime.

ARGUM. CARM. LXXII. ] De ingrati animi vitio graviter queritur.

v. 1. *Desine de quoquam* ] Seipsum alloquitur, & a beneficiis in homines

in-

Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est:
Immo etiam tædet, statque magisque magis.

Væ ingratos conferendis dehortatur, ne illa sine fructu projiciat.

ibidem. *Quicquam bene velle mereri* ] Quicquam; idest, vel tantillum quidem.

v. 2. *Pium* ] Accepti beneficii memorem: cui genus pietatis est gratias habere.

v. 3. *Omnia sunt ingrata* ] Nullus jam superest qui bene de se merito parem voluntatem tribuat. Vel potius hoc ita explicandum est: *Omnia quæ ad hanc diem in amicum contulisti, ea perierunt*. Ingratum enim eleganter dicebant optimi Latinitatis auctores id cui par gratia non refertur, quod Græcis est ἄχαρι. Plautus Amphitruone Ac. 1. Sc. 1. v. 29.

*Bene quæ in me fecerunt, ingrata ea habui atque irrita.*

Idem Asinaria Act. 1. Sc. 2. v. 10.

*Ingrata atque irrita esse omnia intellego*
*Quæ dedi, & quod benefeci - - - -*

Cicero Epist. 5. lib. 5. ad C. Antonium: *Quæ ego si non profundere ac perdere videbor, omnibus meis viribus sustinebo. sin autem ingrata esse sentiam, non committam ut tibi ipse insanire videar*. Quibus addendus Lucretius lib. 3. v. 954.

*- - - Cur amplius addere quæris*
*Rursum quod pereat male, & ingratum occidat omne?*

Ut autem hoc loco poeta noster, *Omnia sunt ingrata*, ita Carm. 63. v. 187. eodem flexu dixit: *Omnia sunt deserta*.

ibid. *Nihil fecisse benigne est* ] Pro nihilo est, bene fecisse, largum & liberalem se præbuisse. Nam benigne facere, est largiri, opitulari. Propterea qui munusculum ab aliquo oblatum recusabant, ac tamen offerenti gratum animum ostendere volebant, illud usurpabant: *Benigne*. nempe, bene ac liberaliter facis, agnosco beneficium. Hoc Itali dicimus, *gran mercè*. Horatius Epist. 7. lib. 1. v. 14.

*Non, quo more pyris vesci Calaber jubet hospes,*
*Tu me fecisti locupletem. Vescere sodes.*
*Jam satis est. At tu quantumvis tolle. Benigne.*

& inferius v. 60. - - - - - - *Dic*

*Ad cœnam veniat. non sane credere Mena:*
*Mirari secum tacitus. quid multa? Benigne,*
*Respondet. Negat ille mihi? Negat improbus, & te*
*Negligit, aut horret - - -*

Vel ita Catullus explicandus: Non possunt homines amplius benefacere, ingrato accipientium animo a largiendo deterriti; ut τὸ *fecisse est* significet, *fieri potest*.

v. 4. *Tædet, statque magisque magis* ] Achilles Statius & Muretus legunt: *tædet, tædet obestque magis*. Qui tamen vulgatam lectionem præferre velit, his eam veterum exemplis firmare atque illustrare poterit. Cicero Epist. 2. lib. 9. *Sed hæc tu melius: modo nobis stet illud, una vivere in studiis nostris*. Terentius Eunucho Ac. 2. Sc. 1. v. 17.

*Tandem non ego illa caream, si sit opus, vel totum triduum?* PAR. *hui.*
*Universum triduum? vide quid agas.*
PH. *stat sententia.*

Cornelius Nepos in vita Attici: *Mihi stat, alere morbum desinere*. Virgilius lib. 2. Æneid. v. 750.

*Stat casus renovare omnes, omnemque reverti*
*Per Trojam, & rursus caput objectare periclis.*

Ovidius Epist. Phyllidis v. 53.

*Stat nece matura tenerum pensare pudorem.*

Dicebant & *insidere in animo*. Cicero Epist.

Væ mihi, quem nemo gravius nec acerbius urget,
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

## L X X I I I.

GELLIUS audierat, patruum objurgare solere,
Si quis delicias diceret, aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam
Uxorem, & patruum reddidit Harpocratem.

Quod

Epist. 11. lib. 1. ad Atticum: *Habet quiddam profecto, quod magis in animo ejus insederit*. Ait igitur poeta noster, certum sibi & decretum esse, abstinere a benefaciendo. *magisque magis* dixit, pro *magis magisque*; id quod Vossius animadvertit.

v. 5. *Urget* ] Premit, male habet. Horatius Ode 15. lib. 1.

*Urgent impavidi te Salaminius*
*Teucerque, & Sthenelus, sciens*
*Pugna* - - - - -

v. 6. *Unum atque unicum* ] Ita Plautus Truculento Ac. 1. Sc. 2. v. 91.

DIN. *Ain' tu me amare?* AST. *immo unice unum*.

Argum. Carm. LXXIII. ] In Gellium equitem Romanum, impuris & perditis moribus hominem, qui patrui sui, frugi & antiqua severitate viri, conjugem constupraverat. Si quis porro hunc Gellium, qualis fuerit, penitus cognoscere studet, is Orationem Ciceronis pro P. Sextio evolvere ne gravetur, in qua illum graphice delineatum, suisque coloribus depictum inveniet.

v. 1. *Patruum* ] Recte animadvertit Muretus, patruos minus indulgere fratrum filiis, quam parentes liberis, eorumqne vitia & peccata severius plerúmque castigare.

v. 2. *Delicias diceret* ] Verbis obscœnis, turpibusque jocis in sermone uteretur. Id Propertio Elegia 6. lib. 2. est *gaudia dicere*.

- - - - - *Et quæ*
*Gaudia sub tacita dicere veste licet*.

ibid. *Delicias faceret* ] Libidini operam daret. Noster supra Carm. 45.

*Uno in Septimio fidelis Acme*
*Facit delicias libidinesque*.

Vel præter modum dicax & urbanus videri vellet. Plautus Menæchmis Ac. 2. Sc. 3. v. 30. *Eja, delicias facis*. i. e. ludis, irrides, cavillaris, ut solent otiosi homines, neque rem ullam seriam cogitantes. quod Muretus vidit.

v. 3. *Hoc ne ipsi accideret* ] Ne objurgaretur a patruo. Sciebat enim Gellius, si uxorem patrui attigisset, eum flagitia domestica celaturum silentio, ne opprobria familiæ suæ in ora hominum pervenirent.

ibid. *Perdepsuit* ] Compressit, subegit: nam *depsere* est molere, & *κατ' ἀναλογίαν*, concubitu subigere. Cicero ad Papirium Pœtum lib. 9. Epist. 22. *Batuit, inquis, impudenter: depsit, multo impudentius*. Horat. Sat. 2. lib. 1. v. 33.

*Nam simul ac venas inflavit tetra libido,*
*Huc juvenes æquum est descendere, non alienas*
*Permolere uxores* - - - -

v. 4. *Harpocratem* ] Quem, tamquam silen-

Quod voluit, fecit: nam, quamvis irrumet ipſum
Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

## L X X I V.

NULLA poteſt mulier tantum ſe dicere amatam
Vere, quantum a me, Lesbia, amata, mea, es.



ſilentii deum, ſumma religione in templis Iſidis & Serapidis olim Ægyptii colebant. Cauſſam tradit D. Auguſtinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 5. *Et quoniam*, inquit, *fere in omnibus templis ubi colebantur Iſis & Serapis, erat etiam ſimulacrum quod digito labiis impreſſo admonere videretur, ut ſilentium fieret, hoc ſignificare, idem Varro exiſtimat, ut homines eos fuiſſe, taceretur*. Imaguncułam hujus dei, e Mutinenſibus ruinis effoſſam, ſe vidiſſe teſtatur Lilius Gregorius Gyraldus Hiſtoriæ Deorum Syntagmate 1. quam ita deſcribit: *Puer erat imberbis, nudus, qui dextra indice digito os obſignabat, ſiniſtra vero deorſum exteuta ſuſtinebat cornu Copiæ, ſurſum ad aurem pertingens, frugibus refertum, inter quas eminebat nux pinea. Dei vero caput mitra Ægyptiaca redimiri videbatur, quæ aliquantulum in altum erecta, deſinebat in duas quaſi volucres*. Gellius igitur patruum ſuum reddidit Harpocratem, ideſt ei ſilentium indixit.

v. 5. *Quod voluit, fecit* ] Aſſecutus eſt quod maxime optaverat, nempe ut patrui objurgationem effugeret.

ibid. *Nam quamvis &c.* ] Jocus παρὰ προσδοκίαν.

ibid. *Irrumet* ] Etiamſi patruum deſpicatui ac ludibrio penitus habeat. id enim interdum ſignificat *irrumare*. Vide quæ adnotavimus ad Carmen 28. ver. 9.

v. 6. *Verbum non faciet* ] Non objurgabit Gellium fratris filium, ſuæ uxoris adulterum, ne familiæ dedecus foras prodat. Jocatur vero Catullus ἐν διλογίᾳ: nam & qui irrumatur, verbum facere nequit, opere obſcœno impeditus. Quo fortaſſe Juvenalis reſpexit Satyra 2. v. 14. nonnullos ita perſtringens philoſophiam ementitos, ac flagitiis omnibus inquinatos:

*Rarus ſermo illis, & magna libido tacendi.*

Novum ſane Pythagoræorum genus.

ARGUM. CARM. LXXIV. ] Hoc Epigramma e duobus antea disjunctis, a Joſepho Scaligero ſartum & ferruminatum eſt, quod ſententia ipſa poſtulare videbatur. Primi quatuor verſus in antiquis codicibus poſt illud Carmen collocabantur quod incipit, *Quintia formoſa eſt multis*; & ſane eo loco frigebant, & mutilum quiddam præ ſe ferebant. Nunc quatuor poſtremis adjuncti, mirifice cum ipſis cohærent, ut exiſtimari facile poſſit, vel eos a Catullo ita compoſitos fuiſſe, vel certe poetam, ſi ab inferis excitetur, hanc induſtriam Scaligeri non deprecaturum. Quamquam igitur, vetuſtis codicibus non addicentibus, nihil tranſponendum aut immutandum ſit in ſcriptis bonorum auctorum, hic viro doctiſſimo non adverſari ſtatui, cum præſertim videam, Iſaacum Voſſium, Criticum emunctæ naris, eam rem religioni non habuiſſe. Hoc porro Carmen ejuſdem fere argumenti eſt ac LXXI. propterea quæ ad id illuſtrandum faciunt, inde repetenda.

Nulla fides ullo fuit umquam fœdere tanta,
  Quanta in amore tuo ex parte reperta mea eſt.
Nunc eſt mens adducta tua mea, Lesbia, culpa,
  Atque ita ſe officio perdidit ipſa pio:
Ut jam nec bene velle queam tibi, ſi optima fias;
  Nec deſiſtere amare, omnia ſi facias.

## LXXV.

SI qua recordanti benefacta priora voluptas
  Eſt homini, quum ſe cogitat eſſe pium:

Nec

v. 3. *Ullo fœdere* ] Et conjugia legitima, & furtivi amantium congreſſus *fœdera* vocantur. Horatius Ode 24. lib. 1. *Metuens alterius viri Certo fœdere caſtitas*. Tibullus Elegia 10. lib. 1.

*Quid mihi, ſi fueras miſeros læſurus amores,*
*Fœdera per divos clam violanda dabas?*

Propertius item Elegia 7. lib. 4.

*Fœderis heu taciti! cujus fallacia verba*
*Non audituri diripuere Noti.*

v. 4. *In amore tuo* ] Pro *tui*. in amore ſcilicet quo Catullus amabat Leſbiam, non quo Leſbia Catullum. Alter enim bona fide agebat, altera dolo malo.

v. 5. *Adducta* ] Ita legunt Scaliger & Voſſius. *deducta*, eſt in libris vulgatis. quod minus placet.

ibid. *Mea* ] Id eſt, *mea mens:* non, *mea Leſbia*; jam enim ea Catulli non erat, ſed meretricium quæſtum occœperat.

v. 6. *Officio pio* ] Amabat enim antea Leſbiam Catullus pro meritis; quod eam ſibi fidelem ſperaret. Ex eo igitur ſuſceptam amandi conſuetudinem tenere ac ſervare coactum ſe dicit, non tamen ut bene velit puellæ nequiſſimæ, verum ut in eam vehementius & acriori appetitione feratur.

v. 7. *Bene velle* ] Vide quæ ſuperius adnotavimus ad Carm. LXXI.

v. 8. *Deſiſtere amare* ] Tibullus Elegia 9. lib. 1.

*Deſiſtas lacrimare, puer - - - -*

ibid. *Omnia ſi facias* ] Etiamſi operam des, ut amorem tui omnem ex animo meo deleas atque abſtergeas, novis injuriis imponendis. *Omnia facere*, eſt nullum non lapidem movere. Vide Carmen quod proxime ſequitur, v. 8.

Argum. Carm. LXXV. ] Ex amore ac fide qua Leſbiam ſuam diu proſecutus fuerit, plurima incommoda eaque graviſſima, ob puellæ infidelitatem, ſibi eveniſſe, conqueritur: utque veterem animi morbum, & longa conſuetudine corroboratum, ſuperare tandem ac deponere poſſit, deorum opem ſerio admodum implorat.

v. 1. *Benefacta* ] Quæ quis, officio ſuo functus, recte, ſancte, ex virtutis denique præceptis feciſſet, ea vocabant Latini benefacta, & peccatis opponebant. Cicero Paradoxo 3. *Benefacta recte facta ſunt*. Propertius Elegia 1. lib. 2.

*Cimbrorumque minas, & benefacta Mari.*

Hæc Græci dicunt τὰ καθήκοντα.

ibid. *Priora* ] Præteritorum annorum.

ibid.

Nec sanctam violasse fidem, nec fœdere in ullo
Divûm ad fallendos numine abusum homines:
Multa parata manent in longa ætate, Catulle,
Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.

Nam

ibid. *Voluptas* ] Ut non ultimum delictorum supplicium est ipsorum memoria, & mens sibi conscia, sic jucundissimum est homini cogitare animoque repetere, quid boni, quid honesti olim gesserit in vita; quomodo fidem, religionem, justitiam, amicitiam coluerit, & ut puras manus ab omni scelere servaverit. Testatur id, præter ceteros, Antiphanes apud Stobæum Florilegii tit. 24. his verbis: *Τὸ μὴ συνειδέναι γὰρ αὐτῷ τῷ βίῳ Ἀδίκημα μηδὲν, ἡδονὴν πολλὴν ἔχει. Nullum enim maleficium in vita sibi conscire, multam continet voluptatem.* Iccirco Martialis Epigram. 23. lib. 10. ait, virum bonum vivendi spatium sibi duplicare, & ex præteritis etiam annis gaudium & fructum percipere:

*Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: hoc est*
*Vivere bis, vita posse priore frui.*

A qua sententia neque ipsi Epicurei, homines voluptarii ac delicati, valde abhorrebant. Cicero lib. 1. de Finib. *Et quod*, ait, *quæritur sæpe, cur tam multi sint Epicurei, sunt alia quoque caussa: sed multitudinem hoc maxime allicit, quod ita dici putat ab illo*, ( Epicuro scilicet sectæ principe ) *recta & honesta quæ sint, ea facere ipsa per se lætitiam, idest voluptatem.* Sed præstat audire Joannis Climaci, viri sanctissimi, cohortationem in Scala Paradisi Gradu 1. Δεῦρο, inquit, *κόποις νεότητός σου προθύμως Χριστῷ, καὶ χαρίσῃ ἐν γήρᾳ ἐπὶ πλούτῳ ἀγαθωσύνης· τὰ ἐν νεότητι συναγόμενα ἐν τῷ γήρᾳ τοὺς ἐξατονήσαντας τρέφουσι, καὶ παραμυθοῦνται.* Quod ita eleganter vertit Matthæus Raderus: *Propera Christo florem ætatis ad labores offerre, & ingentem olim senex de recte factorum conscientia voluptatem capies. Sementis in juventute facta, senectam ætatem debilitatam & fractam alit & solatur.*

v. 3. *Fœdere in ullo* ] Pacto nempe, conventu, stipulatione, contractu, in quibus alter alterius fidem sequi solet.

v. 4. *Divûm ad f. numine abusum h.* ] Perjuriis alios decepisse. Vossius ex antiquis codd. reponit *nomine* pro *numine*. cui lectioni suffragantur verba Q. Curtii lib. 10. cap. 9. *Cum ejus nomine quem ipse fecerat regem, in perniciem suam abutentes videret inimicos.* Cicero tamen pro Domo sua: *Ementiri, fallere, abuti deorum immortalium numine ad hominum timorem, quid voluisti?* Sed sive *numine*, sive *nomine* legatur, eodem sententia recidit.

v. 5. *In longa ætate* ] Etiamsi Nestoris vel Sibyllæ ætatem superfueris.

v. 6. *Ex hoc ingrato amore* ] Cui scilicet amori par & debita gratia numquam reddita est. Vide quæ diximus ad Carmen 72. v. 3.

ibid. *Gaudia amore* ] Similis vocalium concursus & synalœphe apud Tibullum Elegia 7. lib. 1.

*- - - Nos, Delia, amoris*
*Exemplum cana simus uterque coma.*

Lucretius pariter lib. 4. v. 1041.

*Idque petit corpus mens unde est saucia amore.*

Et Ovidius lib. 3. Artis Amat. v. 720.

*Et quia amans semper, quod timet, esse putat.*

Noster superius Carm. 67. v. 33.

*Nam quod scriptorum non magna est copia apud me.*

v. 7.

Nam quæcumque homines bene quoiquam aut dicere possunt,
  Aut facere: hæc a te dictaque factaque sunt.
Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.
  Quare jam te cur amplius excrucies?
Quin tu animum offirmas, atque istinc usque reducis,
  Et, diis invitis, desinis esse miser?

Diffi-

v. 7. *Bene quoiquam dicere* ] *Bene dicere alicui*, sæpius occurrit apud auctores: illud Tibulli singulare cum quarto casu, Elegia 1. lib. 2.

*Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat.*

v. 9. *Ingratæ p. credita menti* ] Quemadmodum agris semina, ita beneficia creduntur animis accipientium. Sunt qui fructum reddant cum fœnore, ut probos facere par est: sunt qui saltem parem: sunt postremo qui nullum. apud hos quæ ponuntur beneficia, ea periisse dicimus.

v. 11. *Quin tu animum offirmas, a. i. u. r.* ] Ita hunc versum, misere ab interpretibus vexatum, &, ut videtur, fœde corruptum, ex conjectura legit Achilles Statius; quem sequor. Isaacus Vossius mavult: *Quin tu animum offirmas, atque istinc te reducis?* ut hexameter sit spondaicus: prima enim syllaba τȣ̃ *reducit* ambigua est. Scaliger olim legebat: *Quin tu animu' offirmas itaque, instructoque reducis?* Theodorus vero Marcilius: *Quin tu animum obfirmas itaque, in gyrumque reducis?* nempe in gyrum rationis, unde exorbitaveras. Jano Meleagro placebat: *Quin tu animum obfirmans instructum atque atque reducis?* i. e. celerrime retrahis; quemadmodum Ennius dixit:

*Atque atque ascendit muros Romana juventus.*

In editione Guarini est: *Quin te animo affirmas, teque instinctuque reducis?* cui consentit Gryphiana anni 1542. E tanta igitur lectionum varietate licuit mihi, credo, eam seligere quæ cum faciliorem ac magis commodam sententiam continet, tum a scriptura veterum librorum minimum discedit. Cur non, inquit poeta, animum obduras? quin amoris veternum excutis? quin cogitationem curamque libero homine dignam suscipis? quin reducis tandem ac removes te, *usque*, idest in perpetuum, a mulieris levissimæ familiaritate ac servitute? Porro *animum* vel *se ipsum obfirmare*, est munire, durare, constantem & pervicacem efficere. Plautus Amphitr. Ac. 2. Sc. 2. v. 14. *Feram & perferam usque Abitum ejus animo forti atque obfirmato.* Idem prologo Mercatoris v. 81.

*Amens, amansque, utut animum offirmo meum.*

Terentius pariter Eunucho Ac. 2. Sc. 1. v. 11. - - *Censen' posse me obfirmare, Et perpeti, ne redeam interea?* Denique Ovidius lib. 9. Metamor. v. 744.

*Quin animum firmas, teque ipsa recolligis, Iphi:*

*Consiliique inopes & stultos excutis ignes?*

quæ sane a Catullo videntur derivata. *In iracundia offirmatior*, dixit Cicero Epist. 11. lib. 1. ad Atticum.

v. 12. *Et, diis invitis, desinis esse miser?* ] Nempe Venere & Amore invitis; nam qui horum deorum præsidio ac favore destituti amare pergerent, hos miseros ac *δυσέρωτας* esse oportere existimabant. Se ipse igitur Catullus ab amando deterret, quod ni-

nimirum amet diis invitis, ac propterea miser sit. Vel ita explicabis: Quin desinis, o Catulle, ipse tibi miseriæ caussa esse? non est enim cur deos accuses, qui nollent quidem te miserum esse, sinunt tamen te libidini tuæ obtemperare, qua solâ fit ut mala patiaris. Vel potius ( id quod verissimum existimo ) hortatur seipsum ad amissam libertatem recipiendam, etiamsi dii nolint, ejusque proposito adversentur. Is enim fuit error & impietas antiquorum, ut putarent, hominem sine ulla deorum opera, virtutem adipisci & recte agere posse, atque adeo bene ac beate vivere. Hinc illa solennis loquendi formula: *Diis hominibusque invitis*. Cicero lib. 1. Act. 2. in C. Verrem: *Nam quis hoc non intelligit, istum absolutum, diis hominibusque invitis, tamen ex manibus populi Romani eripi nullo modo posse?* Idem in Vatinium: *Hæc omnia contemnis & despicis, quod ita tibi persuaseris, ut palam dictitas, te, diis hominibusque invitis, amore in te incredibili quodam C. Cæsaris, omnia quæ velis consecuturum*. Seneca Thebaide v. 204.

*Et hoc magis te, genitor, insontem voco,*
*Quod innocens es diis quoque invitis - -*

Hanc tamen hominum superbiam ita perstringit Manilius lib. 1. Astronomic. v. 28.

*Quis foret humano conatus pectore tantum,*
*Invitis ut diis cuperet deus ipse videri?*

Hujus porro tam stultæ persuasionis pleni sunt veterum libri. Pauca de plurimis testimonia seligere juvat. Isocrates ad Demonicum: Ἡγοῦ κράτιστον εἶναι παρὰ μὲν θεῶν εὐτυχίαν, παρὰ δ' ἡμῶν αὐτῶν εὐβουλίαν. *Existima, nihil tribui melius a diis quidem prospera fortuna, a nobis ipsis autem, sapienti consilio*. Cicero lib. 3. de Nat. Deorum: *Judicium hoc omnium mortalium est, fortunam a Deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam*. Livius lib. 32. Hist. ab U. C. Africani verbis: *Romani, ex iis quæ in deorum potestate erant, ea habemus; animos, qui nostræ spontis sunt, eosdem in omni fortuna gessimus gerimusque. neque eos secundæ res extulerunt, neque adversæ minuerunt*. Horatius Epist. 18. lib. 1. v. 111.

*Sed satis est orare Jovem quæ ponit & aufert:*
*Det vitam, det opes: æquum mî animum ipse parabo . .*

Ovidius Epist. 1. lib. 2. ex Ponto, ad Germanicum Cæsarem:

*Dii tibi dent annos; a te nam cetera sumes.*
*Sint modo virtuti tempora longa tuæ.*

Juvenalis Satyra 10. v. 363.

*Monstro quod ipse tibi possis dare. Semita certe*
*Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.*

Quod vulgo jactatum, Stoici philosophi, tamquam proprium & peculiare decretum, sibi adsciverunt. Audi M. Antoninum Imperatorem lib. 2. Eorum quæ ad se ipsum num. 11. Ἀλλὰ, inquit, καὶ εἰσὶ (οἱ θεοὶ) καὶ μέλει αὐτοῖς τῶν ἀνθρωπείων· καὶ τοῖς μὲν κατ' ἀλήθειαν κακοῖς, ἵνα μὴ περιπίπτῃ ὁ ἄνθρωπος, ἐπ' αὐτῷ τὸ πᾶν ἔθεντο. i. e. *Ceterum & sunt* ( dii ) *& res humanas curant: & ne in ea quæ vere mala sunt* ( nempe vitia & peccata ) *incidat quisquam, in ipsius arbitrio prorsus posuere*. Idem tamen postea lib. 9. num. 40. libenter fatetur, deorum opem non solum ad externa, sed etiam ad virtutem & probitatem parandam conducere. sunt autem hæc ejus verba: Τίς δέ σοι εἶπεν, ὅτι οὐχὶ καὶ εἰς τὰ ἐφ' ἡμῖν οἱ θεοὶ συλλαμβάνουσιν; ἄρξαι γοῦν περὶ τούτων εὔχεσθαι, καὶ ὄψει. οὗτος εὔχεται, πῶς κοιμηθῶ μετ' ἐκείνης; σύ, πῶς μὴ ἐπιθυμήσω τοῦ κοιμηθῆναι μετ' ἐκείνης; ἄλλος, πῶς στερηθῶ ἐκείνου; σύ, πῶς μὴ χρήζω τοῦ στερηθῆναι; i. e. *Quamquam quis dixerit, deos nobis opem non conferre ad ea etiam quæ in no-*

Difficile est, longum subito deponere amorem.
Difficile est: verum hoc qualubet, efficias.
Una salus hæc est, hoc est tibi pervincendum.
Hoc facito sive id non pote, sive pote.
O dii, si vostrum est misereri, aut si quibus umquam
Extrema jam ipsa in morte tulistis opem:

Me

*nobis sita sunt? ista ergo deos prece poscere incipias; & videbis. Orat hic, Quomodo fiet ut muliercula illius concubitum obtineam? tu ora, Quomodo fiet ut illius concubitum ne concupiscam? Alius, Quomodo illius imperium abjiciam? tu, Quomodo ut ne abjicere opus habeam?* Similia tradit Seneca Epistola 41. quam jure ac merito pulchram & altam appellat Justus Lipsius. *Bonus vir*, inquit, *sine Deo nullus est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exsurgere? ille dat consilia magnifica & erecta. In unoquoque virorum bonorum (quis Deus, incertum est) habitat Deus.* Sed longe ante Senecam Theognis v. 165

Οὐδεὶς ἀνθρώπων οὔτ᾽ ὄλβιος, οὔτε πενιχρὸς
Οὔτε κακὸς, νόσφιν δαίμονος, οὔτ᾽ ἀγαθός.
*Nemo hominum neque dives, neque pauper,*
*Neque malus sine numine, neque bonus est.*

v. 13. *Difficile est l. s. d. a.*] Catullo concinit Lucretius lib. 4. v. 1139.

*Nam vitare, plagas in amoris ne laciamur,*
*Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis*
*Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.*

Neque hoc de amore tantummodo verum est, sed etiam de quacumque inveterata opinione atque animi affectu. M. Tullius ad Q. Fratrem Epist. 1. lib. 1. §. 13. *Neque ego nunc hoc contendo, quod fortasse cum in omni natura, tum jam in nostra ætate difficile est, mutare animum, & si quid est penitus insitum moribus, id subito evellere.* Idem Epist. 8. lib. 1. ad Famil. *Sed te non præterit, quam sit difficile sensum in republica præsertim rectum & confirmatum deponere.*

v. 14. *Difficile est: v. h. q. e.*] Simile Platonis illud lib. 10. de Republica: Οἱ ποτέ του ἐρασθέντες, ἐὰν ἡγήσωνται μὴ ὠφέλιμον εἶναι τὸν ἔρωτα, βίᾳ μὲν ὅμως δὲ ἀπέχονται. i. e. ut Serranus interpretatur: *Qui amoris vinculis aliquando fuerunt irretiti, si deinde censeant, amorem illum sibi esse inutilem, ægre quidem, revera tamen ab illis amoris laqueis se expediunt.*

ibid. *Qualubet*] Subaudi, arte, ratione, via.

v. 15. *Una salus hæc est*] Nisi enim amorem hunc deposueris, ac puellæ infideli vale dixeris, salvus omnino esse non potes.

ibid. *Pervincendum*] Omni contentione obtinendum. *Pervincere*, est voti compotem fieri, adversario vel impedimento superato.

v. 16. *Sive id non pote, sive pote*] Sive id fieri non potest, sive potest. Vel, sive id facere non potes, sive potes. Nam *pote* utraque significatione usurpârunt veteres.

v. 17. *Si vestrum est misereri*] Qui enim Epicuri sectæ nomen dederant, ii deos immortales neque ira, neque gratia, neque misericordia, neque ullo affectu humanorum simili tangi aut moveri credebant; ea omnia infirmitatis indicia esse dicentes.

v. 18. *Extrema j. i. in morte*] Mors enim

Me miserum aspicite: &, si vitam puriter egi,
  Eripite hanc pestem perniciemque mihi:
Quæ mihi subrepens imos, ut torpor, in artus,
  Expulit ex omni pectore lætitias.
Non jam illud quæro, contra ut me diligat illa,
  Aut, quod non potis est, esse pudica velit:

Ipse

enim *ultima linea rerum est*, ut ait Horatius Epist. 16. lib. 1. v. 79.

v. 19. *Aspicite* ] Dii dicuntur illos aspicere quibus opitulari volunt. Iccirco a videndo & aspiciendo dictum *providere* pro *consulere*, & *providentia*. Dido irata apud Maronem Æneid. 4. v. 372.

*Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.*

ibid. *Puriter* ] Pro *pure*, ἀρχαϊκῶς. Sosipater Charisius lib. 1. Instit. Grammaticæ: *Dixerunt veteres naviter, & duriter, & humaniter: quæ nos nave, dure, humane.* Terentius Andria Ac. 1. Sc. 1. v. 47.

*Primum hæc pudice vitam, parce, ac duriter*
*Agebat, lana ac tela victum quæritans.*

Plautus Asinaria Ac. 1. Sc. 3. v. 69.

*Bene salutando consuescunt, compellando blanditer.*

Ita, *rebus præclariter gestis* dixerat Claudius Quadrigarius lib. 4. Annalium apud Nonium: & lib. 22. Annalium apud eumdem, *avariter*. Ita etiam Valerius Antias apud Arnobium initio lib. 5. adversus Gentes, *aviditer*. Porro, *vitam pure agere*, est nullo scelere contaminari: quemadmodum *puræ manus*, sunt nullo pravo facinore imbutæ.

v. 20. *Pestem perniciemque* ] Hæc duo a bonis auctoribus conjungi solent. Cicero Oratione 1. in L. Catilinam: *Cum tua peste ac pernicie proficiscere.* Et pro Rabirio: *Pestis ac pernicies civitatis.*

v. 21. *Subrepens, ut torpor* ] Ita Epigrammate quod proxime sequitur:

*Siccine subrepsti mî, atque intestina perurens*
*Mî misero, eripuisti omnia nostra bona?*

Sopor, veternum, venenum, quæ sensim atque sensim propagantur, subrepere dicuntur. Id Propertius Elegia 9. lib. 3. κατὰ περίφρασιν explicavit, de Cleopatra morsu aspidis interfecta:

*Brachia spectavi sacris admorsa colubris,*
*Et trahere occultum membra soporis iter.*

ibid. *Imos in artus* ] In ossium medullas interiores.

v. 22. *Expulit ex omni p. l.* ] *Omni*, pro *toto*; ut apud Virgilium, *cælum tonat omne*. Non displicet Passeratii conjectura, qui suspicatur legendum *exsomni*, i. e. *vigili*, affertque verba Cassii Parmensis in Orpheo: *Nocturno exsomnis olivo immoritur.*

ibid. *Lætitias* ] Ita Comicus quidam vetus (ut puto, Cæcilius) apud Ciceronem Epist. 9. lib. 2. *Repente vero incessi omnibus lætitiis.* Ipse vero Cicero lib. 2. de Finibus: *Ille Cæcilianus, qui se se omnibus lætitiis lætum esse narrat.* Et ad Atticum lib. 1. Epist. 17. *Vidi enim, vidi, penitusque perspexi in meis variis temporibus & sollicitudines & lætitias tuas.* Quapropter conjiciebat Achilles Statius legendum esse hoc versu Catulli:

*Expulit ex omnis pectore lætitias.*

i. e. *Expulit omnes lætitias e pectore.* Eodem pacto *sævitiis* dixit Sallustius lib. 1. Hist. pro *sævitia*. *Quibus sævitiis & maxume fænoris onere oppressa plebes ...*

Ipse valere opto, & tætrum hunc deponere morbum.
O dii, reddite mî hoc pro pietate mea.

## L X X V I.

Rufe, mihi frustra ac nequicquam credite amice,
( Frustra? immo magno cum pretio atque malo )
Ne

....*armata, montem sacrum, atque Aventinum insedit.*

v. 23. *Non jam illud quæro, c. n. me d. i.* ] Oppositam sententiam huic Catullianæ ita expressit Franciscus Petrarcha ( *nel Son. 50. della 1. parte* )

*Non prego già, nè puote aver più loco,*
*Che misuratamente il mio cor' arda;*
*Ma che sua parte abbia costei del foco.*

ibid. *Contra ut me diligat* ] Redamet, redhostiat, mutuam benevolentiam præstet. Plautus Amphitr. Ac. 2. Sc. 2. v. 23. *Qua me amat: quam contra amo.* *Contra* hîc est *ἀμοιβαίως*. Itali dicunt, *corrispondere in amore, riamare.*

v. 25. *Tætrum h. deponere morbum* ] Horatius Epist. 1. lib. 1. v. 33.

*Fervet avaritia, miseroque cupidine pectus?*
*Sunt verba & voces quibus hunc lenire dolorem*
*Possis, & magnam morbi deponere partem.*

v. 26. *Reddite mî h. p. p. m.* ] Persolvite, tamquam mercedem pietati debitam. vel *reddite ἁπλῶς*, pro *date*. Noster supra Carm. 63. v. 217.

*Reddite in extrema nuper mihi fine senecta.*

i. e. concesse, date. Ceterum, de Catulli pietate male admodum sentit Gerardus Jo. Vossius cap. 4. libelli de Imitatione §. 7.

Argum. Carm. LXXVI. ] Expostulat cum Rufo gravissime, quod is amicitiæ jure violato, cum Lesbia consuevisset.

v. 1. *Rufe* ] Suspicatur Achilles Statius, hunc esse M. Cœlium Rufum, ea ætate non postremum Oratorem; in quem fortasse scripsit Catullus etiam Carmen L X V I I I. ubi ejus *δυσωδίαν* puellis invisam traducit.

ibid. *Nequicquam* ] *ματαίως*, nullo cum fructu. Horatius Ode 15. lib. 1.

*Nequicquam Veneris præsidio ferox*
*Pectes cæsariem - - - - -*
*Nequicquam thalamo graves*
*Hastas, & calami spicula Cnossii*
*Vitabis - - - - - -*

ibid. *Credite amice* ] Sunt qui legant *cognite*; quæ tamen lectio posthabenda. Editio Aldina anni 1515. præfert, *cognite amico*.

v. 2. *Frustra? immo m. c. p. a. m.* ] Hanc orationis figuram *ἐπανόρθωσιν* seu correctionem appellant Rhetores. M. Tullius pariter pro Sextio, Gellium perditum ac dissolutum hominem describens: *Cui benedixit umquam bono? Benedixit? immo quem fortem & bonum civem non petulantissime est insectatus?*

ibid. *Magno cum pretio a. m.* ] *Μισθῷ μεγάλῳ*, *magna mercede*, ut ait Callimachus *εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος*, cujus duo versus huc pertinentes allati sunt a Mureto. Hanc porro Græcorum locutionem Latini avide arripuerunt. Cicero Epist. 9. lib. 1. ad Lentulum: *Te autem etsi mallem in meis rebus expertum, quam etiam in tuis, tamen in molestia gaudeo, eam fidem cognôsse hominum, non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognôram.* Gratius,
do-

Siccine ſubrepſti mî, atque inteſtina perurens
Mî miſero, eripuiſti omnia noſtra bona?
Eripuiſti. heu heu noſtræ crudele venenum
Vitæ, heu heu noſtræ peſtis amicitiæ.

LXXVII.

doctus & elegans poeta, in Cynegetico v. 61.

*Nonne vides, veterum quos prodit fabula reenm,*
*Semideos? illi aggeribus tentare ſuperbis*
*Ire freta, & matees auſi teactare deorum,*
*Quam magna mercede meo ſine muneee ſilvas*
*Impuleeint? flet adhuc & porro flebit Adonin*
*Victa Venus* - - - - - -

In quorum verſuum primo ( nt id obiter moneam ) pro *fabula rerum*, *fabula avorum* legendum fortaſſe eſt. niſi τὸ *rerum* ſit, rerumpublicarum & civitatum: quomodo *res Romana* eſt reſpublica Romanorum. Plura ſane corrupta occurrunt in aureolo illo Gratii Ὑποταγματίῳ. Silius Italicus lib. 7. v. 145.

- - - - *Magna meeeede piabunt*
*Erroris rabiem, & noſtram violâſſe parentem.*

Seneca de Tranquillitate Animi cap. 11. *Quandocumque antem reddere jubebitnr, non queretur cum fortuna; ſed dicet: Gratias ago pro eo qnod poſſedi, habuique. Magna quidem ees tuas mereede colui: ſed quia imperas, eedo gratus libenſque.* Propertius Elegia 9. lib. 4. dixit *Magno* tantum, ſubaudito *pretio:*

*Magno Tireſias aſpexit Pallada vatet.*

ut quidem Lipſius certiſſima conjectura emendavit, cum antea frigide admodum legeretur *Magnam*. Itali dicimus: *Caro mi coſta la tua amicizia*.

v. 3. *Subrêpſti mî* ] Syncope, pro *ſubrepſiſti*. Hic Rufus autem, ut videtur, enm ad Lesbiæ formam oculos adjeciſſet, ejuſque domum a Catullo frequentari cognoviſſet, in familiaritatem poetæ ſe callide inſinuaverat, ut per amicitiæ cauſſam facilius optatæ mulieris concubitum aſſequeretur. Id vitium in adoleſcentium ſodalitio hoc pacto notavit Ovidius Artis Amat. lib. 1. v. 739.

*Conquerar, an moneam, mixtum fas omne nefaſque?*
*Nomen amicitia eſt, nomen inane fides.*
*Hei mihi! non tutum eſt; quod amet, laudare ſodali.*
*Cum tibi laudanti credidit, ipſe ſubit.*

ibid. *Inteſtina perurens* ] Uruntur enim, & acerbiſſimos cruciatus perferunt qui amant, cum rivalem ab amica ſibi præferri ſenſerint, aut, quod graviſſimum eſt, amores ſuos omnino ſibi eripi viderint. Horatius Ode 13. l. 1.

*Uror, ſeu tibi candidos*
*Turpârunt humeros immodicæ mero*
*Rixa, ſive puer furens*
*Impreſſit memorem dente labris notam.*

v. 4. *Eripuiſti omnia noſtra bona* ] Puellam ſcilicet amatam, quæ mihi τὰ πάντα erat. Propertius Eleg. 11. lib 1.

*Tu mihi ſola domus, tu, Cynthia, ſola parentes,*
*Omnia tu noſtea tempora lætitiæ.*

ibid. *Eripuiſti* ] Repetitio doloris plena. Voſſius totum hunc locum ita conſtituit:

*Siccine ſubrêpſti; meque, inteſtina perurens,*
*Mî miſero eripuiſti? omnia noſtra bona*
*Eeipuiſti?* - - - - -

Quæ lectio ſi cui arriſerit, hoc Horatii verſu poterit fulciri ex Ode 13. lib. 4.

*Quæ me ſurpuerat mihi.*

v. 6. *Noſtra peſtis amicitia* ] Teſtatur Voſſius, in pleriſque antiquis codicibus legi: *noſtræ pectus amicitiæ*. hanc vero loquendi formam ipſe poeta-

## LXXVII.

Gallus habet fratres, quorum eſt lepidiſſima conjux
Alterius, lepidus filius alterius.
Gallus homo eſt bellus: nam dulces jungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homo eſt ſtultus, nec ſe videt eſſe maritum,
Qui patruus patrui monſtret adulterium.
Sed nunc id doleo, quod puræ impura puellæ
Suavia conjunxit ſpurca ſaliva tua.

Ve-

tarum teſtimoniis illuſtrat. Sic olim legerat Antonius Parthenius: & id ſane compâret in vetuſto codice Eccleſiæ Patavinæ, quo nunc utor.

Argum. Carm. LXXVII. ] Attrectaverat Gallus, quicumque tandem is fuerit, Catulli amicam (quod ex pænultimo hujus Epigrammatis verſu facile colligi poteſt) eique ore impuro ſuavium obtulerat. Poeta iccirco, ut injuriam ſibi illatam probe ulciſcatur, obſcœnum hominem pipulo differt, peſſimique lenocinii crimine apud vulgus traducit, quod nimirum inceſtarum libidinum inter ſuos conciliator & adminiſter eſſet. Poſtremo veram potiſſimamque cauſſam aperit quamobrem ei ſit iratus.

v. 3. *Homo eſt bellus* ] Elegantiarum pater, concinnus, plenus urbanitatis, qui amantium paria egregie componere ſciat. Belli hominis διαγραφὴν luculentam dabit Martialis Epigr. 63. lib. 3.

ibid. *Jungit amores* ] Tibullus Elegia 1. lib. 1.

*Interea, dum fata ſinunt, jungamus amores.*

v. 5. *Nec ſe videt e. maritum* ] Neque illnd cogitat, ſe quoque ſimili dedecore affici aliquando poſſe, & ſecum ſuo jure agi: nam & ipſe conjugem habet, quæ a fratris filio conſtuprari commode poſſit, cum is a Gallo ſemel edoctus fuerit patruorum lectos geniales adulterio contaminare. *Videre* pro *conſiderare* uſurpavit Cicero ad Atticum lib. 8. Epiſt. 19. *Sed diligentius nobis eſt videndum, ne diſtracti pares adverſariis eſſe non poſſimus.* & alibi ſæpius.

v. 6. *Patrui monſtret adulterium* ] I. e. doceat fratris filium, quomodo cum uxore patrui ſui adulterium faciat.

v. 7. *Sed nunc id doleo* ] Male Scaliger hunc verſum ac tres qui ſequuntur, ab hoc Epigrammate ἀπέκοψε, & cum ſuperiore conjunxit, libris omnibus invitis: quod eos diſſimilis argumenti eſſe exiſtimaret. Omnia tamen apta erant, atque inter ſe mirifice cohærebant. τὸ enim *Sed* inſervit tranſitioni, atque id ſibi vult poeta: Sed hæc miſſa faciamus, quæ tametſi flagitioſa & impura ſint, minus tamen ad me pertinent. id quod me coquit, o Galle, & mea maxime intereſt, tua illa eſt ſingularis impudentia, qua factum eſt, ut neque ab amoribus meis labia & manum abſtinere potueris.

v. 8. *Conjunxit* ] Scaliger malcbat

*com-*

Verum id non impune feres: nam te omnia fæcla
Nofcent; &, qui fis, fama loquetur anus.

## LXXVIII.

LESBIUS eft pulcher: quidni? quem Lesbia malit,
Quam te cum tota gente, Catulle, tua?
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
Si tria notorum fuavia reppererit.

LXXIX.

*comminxit*, i. e. quafi lotio perfudit atque inquinavit. Sed nulla opus eft mutatione: neque enim vulgata lectio quicquam fententiæ nocet.

ibid. *Spurca faliva t.* ] Tacite objicit Gallo στοματομολυσίαν, nempe impudicum oris officium, quo ille infamis erat.

v. 9. *Non impune feres* ] Graviffimam quidem Catullus rivali fuo minatur ultionem: vulnera enim quæ a bonis poetis calamo infliguntur, ad cicatricem vix umquam perveniunt. Propertius Eleg. 4. lib. 2. E. B.

*Scribam igitur quod non umquam tua deleat atas:*

*Cynthia forma potens, Cynthia verba levis.*

v. 10. *Fama loquetur anus.* ] Ita fuperius Carm. 67. v. 46. *chartam anum* appellavit. Martialis Epig. 106. lib. 1.

*Et, quicquid voluit, tefta vocatur anus.*

ARGUM. CARM. LXXVIII. ] Infectatur Lesbium, hominem oris impuri, qui fe in amore a Lesbia poetæ noftro ob formam præferri, magnifice atque infolenter jactabat.

v. 1. *Lesbius eft pulcher* ] Ita MSS. pæne omnes. Aliis tamen *Gellius* placet legere. Non abs re fufpicatur Muretus, quemadmodum Catullus ficto Lesbiæ nomine Clodiam, feminam patriciam, fed impudicam, quam deperibat, obtegere folitus fuerit; eodem pacto P. Clodium, facie & cognomine Pulchrum, acerrimum illum Ciceronis inimicum, ejus mulieris fratrem, omnibus turpitudinis notis infignem, qui cum forore fua infandum ftuprum, fi Tullio credimus, non femel commiferat, Lesbium a poeta hoc loco appellari. Sane *verfus obfcœniffimos in Clodium & Clodiam* vulgatos memorat Cicero Epift. 3. lib. 2. ad Q. Fratrem. Idem Epift. 16. lib. 1. ad Atticum, eum *pulchellum puerum* appellat. Vide tamen quæ diximus de Lesbia, ejufque familia ad Carm. 58.

ibid. *Quid ni?* ] Subaudi, *fit pulcher*. Italice, *eh perchè nò?* Utitur & Cicero aliquoties hac particula.

v. 2. *Cum tota gente tua* ] Nempe Valeria gente, e qua fuit poeta nofter, ut præter alios teftatur Suetonius in Julio cap. 73. non urbana illa tamen, fed municipali. Similem contemtum præferunt verba lenæ apud Ovidium Elegia 8. lib. 1. Amorum:

*Tolle tuos tecum, pauper amator, avos.*

Hîc autem Catullus, quafi aliud agens, indicat nobilitatem fuam: vel potius elevat εἰρωνικῶς, comparatam fcilicet nobilitati gentis Clodiæ feu Claudiæ, fuperbia & odio in Romanam plebem celeberrimæ.

v. 3. *Vendat c. g. C.* ] Non recufo quin me cum tota familia mea fub hafta in auctione publica venum exponat, dummodo tres tantum invenerit qui amicitiæ ofculo ipfum excipiant. τὸ *vendat*, permittentis effe videtur.

v. 4. *Notorum* ] Familiarium, κἀ γνω-

# LXXIX.

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora nive
Mane domo quum exis & quum te octava quiete
E molli longo suscitat hora die?

Ne-

γνωρίμων. Terentius Eunucho Ac. 2. Sc. 2. v. 7. *Omnes noti me, atque amici deserunt*. Horatius Sat. 1. lib. 1. v. 84.

*Non uxor salvum te vult, non filius: omnes*
*Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ*.

Vossius legit *natorum*, explicatque, honoratorum. qui nempe honores seu magistratus gessissent, ii *nati* & aliqui esse dicebantur. Consule, si lubet, ejus Adnotationes.

ibid. *Suavia* ] Tacite objicit Lesbio impudicitiam labiorum, a quibus attingendis omnes abhorrebant. Martialis pariter Epigr. 21. lib. 2.

*Basia das aliis, aliis das, Postume, dextram:*
*Quaeris utrum malim, Postume? malo manum*.

Argum. Carm. LXXIX. ] In Gellium, portentum hominis, cujus ne spiritus quidem purus erat. Porro ex hujusmodi obscœnis Epigrammatis, verborum tantummodo & locutionum proprietatem lector probus in suos usus convertet: argumenta ipsa, & perditissimos profanarum gentium mores his versibus a poeta descriptos, tamquam Sirenios scopulos horrebit, sapienterque declinabit; ut pios omnes & Christianos decet.

v. 1. *Rosea ista labella* ] Quæ rosæ colorem imitantur, fuco seu purpurisso fortasse illita.

v. 2. *Hiberna fiant candidiora nive* ] Propter τὴν τῦ σπέρματ☉ λευκότητα. Nonnulli, hoc a Catullo dictum existimant, quod pallesceret Gellius, timore perculsus ob divulgatum flagitium. Sed prior explicatio vera est.

v. 3. *Mane d. q. e. & q. te octava* &c. ] Significat, Gellium & nocturnis & meridianis horis, quoties homines cubitum eunt, rei spurcissimæ operam dare.

ibid. *Octava hora* ] Sub meridiem ipsam. De hac hora Martialis Epigr. 8. lib. 4.

*Sufficit in nonam nitidis octava palaestris*.

ea enim, qui paullo post cœnaturi erant, exercebantur, lavabant, corpus fricabant atque ungebant, sudorem ciebant. Fortasse vero Gellium notat ut nimio somno indulgentem, qui scilicet octava demum diei hora expergisceretur, & lectum relinqueret.

v. 4. *Longo die* ] Æstivo. Antiqui porro æstivis diebus meridiari solebant. Vide Carmen 32. nostri poetæ, ibique Adnotationes nostras. Iccirco Tibullus Elegia 6. lib. 3.

*Quam vellem tecum longas requiescere noctes,*
*Et tecum longos pervigilare dies!*

Optat cum puella concumbere hibernis noctibus, horisque meridianis dierum æstivorum. Nam *pervigilare*, interdum est *libidini vacare*. Noster infra Carm. 86.

*Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore*
*Prurit, & abjectis pervigilat tunicis?*

v. 5.

Nescio quid certe est. An vere fama susurrat,
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certe: clamant Victoris rupta miselli
Ilia, & emulso labra notata sero.

## LXXX.

NEMÓNE in tanto potuit populo esse, Juventi,

Bel-

v. 5. *Nescio quid certe est*] Quænam sit caussa candoris tam inusitati quo labra tua nitent, equidem ignoro. at certe magnum aliquid esse oportet. Virgilius Pharmaceutria v. 105.

*Aspice: corripuit tremulis altaria flammis*
*Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. bonum sit.*
*Nescio quid certe est: & Hylax in limine latrat.*

v. 6. *Grandia tenta*] Plautus Casina Ac. 5. Sc. 3. v. 33. de re turpicula:

- - - *Non fuit quicquam olerum:*
*Nisi, quicquid erat, calamitas profecto attigerat numquam.*
*Ita, quicquid erat, grande erat* - - -

ibid. *Medii viri*] *Media puella*, *medius puer*, *medius vir*, in Priapejis, & apud Martialem obscœna significatione usurpantur, ut hoc loco apud nostrum. Est tamen ubi hujusmodi locutiones honestum habeant usum. Terentius Adelphis Ac. 3. Sc. 2. v. 18.

*Sublimem medium arriperem, & capite primum in terram statuerem,*
*Ut cerebro dispergat viam* - - - -

Idem Andriæ Ac. 1. Sc. 1. v. 102.

- - - - - - *Interea hac soror,*
*Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius*
*Satis cum periclo. ibi tum exanimatus Pamphilus*
*Bene dissimulatum amorem & celatum indicat:*
*Accurrit: mediam mulierem complectitur:*
*Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?*

v. 7. *Sic certe*] Supra Carm. 61. v. 8.
*Sic certe. viden' ut perniciter exsiluere?*

ibid. *Clamant*] Apertissime testantur.

ibid. *Victoris miselli*] Victor, nomen proprium viri: quem ideo vocat *misellum*, quod eum Gellius tam importune mulgeret. Sunt qui legant *Virronis*. At fortasse scripserat Catullus *Varronis Viselli*, ut Scaliger olim suspicatus.

ibid. *Rupta Ilia*] Exsuctæ medullæ. Noster superius Carm. 11.

-- *Et identidem omnium Ilia rumpens.*

v. 8. *Emulso l. n. sero*] Lucretius pariter lib. 4. v. 1202.

- - - - - *Semen si forte virile*
*Femina commulsit subita vi, corripuitque.*

quod alii ante me viderunt.

ibid. *Sero*] Eodem fere pacto Plinius lib. 8. N. H. cap. 43. *urinam genitalem* dixit ἀντὶ τοῦ σπέρματος. *Incontinens*, inquit, *asina uterus genitalem urinam reddit, ni cogatur in cursum verberibus a coitu.*

ARGUM. CARM. LXXX.] Juventium formosum puerum irridet atque objurgat, quod ipso posthabito, fœdum quemdam hominem Pisaurensem elegisset quem amore prosequeretur. Vide superius Carmen 24.

v. 1.

Bellus homo, quem tu diligere inciperes,
Præterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri
Hospes, inaurata pallidior statua,

Qui

v. 1. *Nemo homo* ] Ita Plautus Persa Ac. 2. Sc. 2. v. 29.

*Nemo homo umquam ita arbitratus est* - -

Terentius item Eunucho Ac. 3. Sc. 5. ver. 1.

- - *Num quis hinc me sequitur? nemo homo 'st.*

ibid. *In tanto populo* ] Erant enim Romæ plerique abundantes otio, & libidinibus dediti, qui operam in eo collocabant ut probos & ingenuos adolescentes obsequio aut pecunia corrumperent, sive hi cives forent, seu peregrini. De peregrinis ita Juvenalis in calce Satyræ 2. v. 162.

*Sed quæ nunc populi fiunt victoris in urbe,*
*Non faciunt illi quos vicimus. & tamen unus*
*Armenius Zalates cunctis narratur ephebis*
*Mollior ardenti sese indulsisse tribuno.*
*Aspice quid faciant commercia. venerat obses.*
*Hic fiunt homines. nam si mora longior urbem*
*Indulsit pueris, non umquam deerit amator.*

Ceterum in Urbe, populi frequentia semper maxima fuit; quam tamen subinde clades ab hostibus acceptæ, & bella civilia multum imminuebant. Propterea Horatius Ode 2. lib. 1. hæc cecinit:

*Audiet cives acuisse ferrum,*
*Quo graves Persæ melius perirent:*
*Audiet pugnas vitio parentum*
*Rara juventus.*

Quod Lucanus non urbi Romæ tantum, sed etiam Italiæ universæ suo tempore contigisse dolet lib. 1. Pharsaliæ v. 24.

*At nunc semirutis pendent quod mœnia tectis*
*Urbibus Italiæ, lapsisque ingentia muris*
*Saxa jacent, nulloque domus custode tenentur,*
*Rarus & antiquis habitator in urbibus errat:*
- - *Alta sedent civilis vulnera dextra.*

Noverunt eruditi superbum illud & impium votum Claudiæ, Appii Cæci filiæ, P. Clodii Pulchri sororis, qui contemtis auspiciis cum Pœnorum classe male pugnaverat. Hæc enim, teste Valerio Maximo Memorabilium lib. 8. cap. 1. *cum a ludis domum rediens turba elideretur, optaverat, ut frater suus maritimarum virium nostrarum præcipua jactura revivisceret: sæpiusque consul factus, infelici ductu nimis magnam urbis frequentiam minueret.* Ob quod petulans dictum, *novo more judicium majestatis apud populum mulier subiit*, ut narrat Suetonius in Tiberio cap. 2. Vide & Epitomen lib. 19. Histor. T. Livii, & A. Gellium lib. 10. cap. 6.

v. 2. *Diligere inciperes* ] Pro *diligeres*. quod Scaliger animadvertit. Eodem pacto Propertius Elegia 15. lib. 2. E. B.

*Incipiam captare feras, & reddere pinu Cornua* - - -

v. 3. *Iste tuus* ] Vossius: *ille tuus*. At vulgata lectio proba est. τὸ enim *iste* contemtum significat. Hunc autem Juventii fœdum amatorem nonnulli interpretes Furium Catulli sodalem, hominem egentissimum, e Carmine 24. nostri poetæ, fuisse colligunt.

ibid. *Moribunda a sede Pisauri* ] Fortasse quod Pisaurenses aerem pestilentem ducerent, ejusque vitio misere pallerent. Hic autem color morti proximos invadere atque occupare solet.

Vir-

Qui tibi nunc cordi est, quem tu præponere nobis
Audes? Ah nescis, quod facinus facias.

## LXXXI.

QUINTI, si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, si quid carius est oculis;

Virgilius lib. 4. Æneid. ver. 644.

*- - - Maculisque trementes*
*Interfusa genas, & pallida morte futura.*

Lucanus lib. 7. v. 129.

*- - - Multorum pallor in ore*
*Mortis ventura est, faciesque simillima fato.*

*moribundam* vero *sedem* dixit Catullus, pro *mortiferam*, θανατηφόρον, φθαρτικόν. Virgilio lib. 6. Æneid. v. 732. *moribunda membra*, sunt corpora mortalia, quæ in dies corrumpuntur & fatiscunt. En verba divini poetæ:

*Igneus est ollis vigor, & cælestis origo*
*Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,*
*Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.*

Optima sunt quæ in hunc Catulli locum attulit Isaacus Vossius. illum videsis.

v. 4. *Hospes* ] Qui Romæ hospitio tuo utitur, & ad quem Pisauri tu divertere soles. Porro jura hospitii sanctissima erant, & in heredes transibant.

ibid. *Inaurata p. statua* ] Χλωρότερος κεχρυσωμένου ἀγάλματος. M. Tullius Oratione 4. in C. Verrem: *Non inaurata statua decorari, sed aurea. Inaurare* est *auro linere, auri bractea obtegere*. Propertius Elegia 16. lib. 1.

*Cujus inaurati celebrârunt limina currus.*

Horatius Epist. 12. lib. 1. v. 9.

*- - - Sic vives protenus, ut te*
*Confestim liquidus fortunæ rivus inauret.*

Pallorem auro eleganter a scriptoribus tribui, memini me ostendere ad v. 100. Carm. 63.

v. 5. *Qui tibi nunc cordi est* ] Quem eximium habes, cui potissimum studes. Ita locutus Carm. 44.

*-- Quibus non est Cordi Catullum lædere.*

Lucretius pariter lib. 5. v. 1389.

*Hæc animos olim mulcebant, atque juvabant*
*Cum satiate cibi: nam tum sunt omnia cordi.*

Tibullus contra Elegia 1. lib. 3.

*Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,*
*An minor, an toto pectore deciderim.*

i. e. ab amica oblivioni omnino datus fuerim.

ibid. *Nobis* ] Mihi, multo digniori quem tu ames: vel Romanis universis, aut saltem amicis meis omnibus.

v. 6. *Q. facinus facias* ] Cicero de Finibus B. & M. lib. 2. *Vide ne facinus facias, cum mori suadeas.*

ARGUMEN. CARM. LXXXI. ] Quintium sodalem suum orat obtestaturque, ut a suis amoribus manum abstineat.

v. 1. *Quinti* ] Fortasse hic Quintius, lectissimus adolescens ille est Veronensis, cui Carmine 97. Cœlium in rebus amatoriis præponit. Quod magis verisimile videbitur consideranti, Aufilenam quamdam Quintii simul & Catulli delicias fuisse. propterea in hoc Epigrammate non Lesbiam, sed Aufilenam a poeta significari, crediderim.

v. 2. *Aut aliud, si q. c. e. o.* ] Vitam puta atque animam.

Eripere ei noli, multo quod carius illi
Eſt oculis, ſi quid carius eſt oculis.

## LXXXII.

LESBIA mî præſente viro mala plurima dicit.
Hoc illi fatuo maxima lætitia eſt.
Mule, nihil ſentis. ſi noſtri oblita taceret,
Sana eſſet. quod nunc gannit, & obloquitur,

Non

v. 3. *Ei* ] Monoſyllabum per ſynæreſin.

ibid. *Multo quod carius illi Eſt oculis* ] Quæ impenſius diligimus, ea eum oculorum earitate comparamus, oculiſque haud ſemel præferimus. Pars corporis nobiliſſima eſt oculus, eademque tactus atque injuriæ maxime impatiens: propterea ſingulari eura eam cuſtodire ſolemus. Digna ſunt quæ hic legantur verba Salviani Maſſilienſis ex lib. 8. de Gubernatione Dei eap. 3. *Beniгniſſimus ſcilicet*, ait, *ac piiſſimus Dominus communem ſibi cum ſervis ſuis & honorem ſimul & contumeliam facit - - - - - - - - teſtante id ſuis Deo affectu indulgentiſſimo in hunc modum:* Quoniam qui vos tangit, quaſi qui tangit pupillam oculi mei. *Ad exprimendam teneritudinem pietatis ſuæ, teneerrimam partem humani corporis nominavit; ut apertiſſime intelligeremus, Deum tam parva ſanctorum ſuorum contumelia lædi, quam parvi verberis tactu humani viſus acies læderetur.*

v. 4. *Si quid c. e. o.* ] Ita legit Voſſius, quem ſequor. Aliis placet, *ſeu quid carius eſt oculis*. Græcorum elegantiam Catullus expreſſit. Sic enim fere locutus Plato in Lyſide: Ἀλλὰ, inquit, καὶ ὁ πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ, καὶ εἴτι τούτων οἰκειότερόν ἐστι. *Sed & pater, & mater, & ſi quid his cognatius eſt.*

ARGUM. CARM. LXXXII. ] Lesbia coram viro ſuo magnum Catullo convicium facere ſolebat. Maritus id audiens, quo erat ſtupore cordis, ac tarditate ingenii, ſummam ex eo lætitiam capiebat; quod ſperaret ſcilicet, nullam deinceps inter illos amicitiam fore. Hominem, ſeu potius pecudem, Catullus deridet: ait enim, iratam ſibi Lesbiam eſſe, non amantis oblitam: amorem porro non ira, ſed oblivione ſola deleri penitus atque exſtingui poſſe.

v. 1. *Mi mala plurima dicit* ] Me inſequitur & lacerat contumeliis: vel etiam mihi mala a diis immortalibus precatur. Tibullus Elegia 5. lib. 2.

*Ingeret hic potus juvenis maledicta puellæ,*
*Poſtmodo quæ votis irrita facta velit.*

v. 2. *Illi fatuo* ] Qui amantium dolos ignorat, qui ex verbis ipſorum animum æſtimat.

v. 3. *Mule* ] Bipedum omnium ſtolidiſſime, jumentum verius quam homo. Codex Ecelefiæ Patavinæ, a me nuper, & olim ab Achille Statio conſultus, præfert *Nulle*. puta nihili homo, nullo numero habende, larva, titivilitium. Plautus Caſina Ac. 3. Sc. 5. v. 1.

*Nulla ſum, nulla ſum! tota tota occidi.*

Terentius Andria Ac. 3. Sc. 4. v. 20.

- - Nul-

Non solum meminit: sed, quæ multo acrior est res,
Irata est: hoc est uritur, & loquitur.

## LXXXIII.

CHOMMODA dicebat, si quando commoda vellet
Diec-

- - - - *Nullus sum.*
*Quid caussæ est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?*
Et alibi sæpius. Ita locutus & Euripides Oreste v. 717.
*Ὦ πλὴν γυναικὸς ὕνεκα στρατηλατεῖν,*
*Τἄλλ' οὐδέν.* - -
*O, præterquamquod militâsti uxoris caussa,*
*In aliis nullius pretii.* - -

ibid. *Nihil sentis* ] Plautus pariter Bacchid. Ac. 4. Sc. 7. v. 22.
*Terra odium ambulat. jam nihil sapit,*
*Nec sentit. tanti est, quanti est fungus putridus.*
Noster supra Carm. 17. v. 21.
*Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.*
*Ipse quis sit, utrum sit, an non sit, id quoque nescit.*

v. 4. *Sana esset* ] Amore liberata. amor enim animi morbus est. Ovidius propterea lib. 10. Metam. v. 397. verbis nutricis ad Myrrham infando patris amore correptam:
*Seu furor est; habeo quæ carmine sanet, & herbis.*

ibid. *Gannit* ] Querulo murmure vocem catulorum imitatur, cum sibi male esse significant. Terentius Adelphis Ac. 4. Sc. 2. v. 17.
*Quid ille gannit? quid vult?* - - -

ibid. *Obloquitur* ] Maledicit, *ἀντιλέγει, βλασφημεῖ.*

v. 6. *Irata est* ] Etenim qui amant, cum irascuntur maxime, tunc amore ardent maxime. Verissima est Terentii *γνώμη* Andriæ Ac. 3. Sc. 3. v. 20.
*Amantium iræ, amoris integratio est.*
Et quod idem ait Eunuchi Ac. 1. Sc. 1. v. 14.
*In amore hæc omnia insunt vitia: injuria,*
*Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,*
*Bellum, pax rursum* - - -

ibid. *Uritur, & loquitur* ] Interpres optimus Propertius Elegia 6. lib. 3. ubi de Cynthia irata:
*Nimirum veri dantur mihi signa caloris;*
*Nam sine amore gravi femina nulla dolet.*
Lege reliqua, unice huc pertinentia. Idem censet Ovidius de adolescentibus cum amica expostulantibus, Remediorum Amoris v. 697.
*Qui silet, est firmus: qui dicit multa puellæ*
*Probra, satisfieri postulat ille sibi.*
Justus Lipsius apud Janum Douzam filium hoc poetæ nostri loco legebat *coquitur* pro *loquitur*.

ARGUM. CARM. LXXXIII. ] Arrium quemdam urbane perstringit, quod inter pronuntiandum temere adspiratione uteretur; hoc est *h* litteram inepte inculcaret ac loco non suo.

v. 1. *Chommoda* ] P. Nigidius apud A. Gellium lib. 13. N. A. cap. 6. *Rusticus fit sermo*, inquit, *si adspires perperam*. Videtur tamen Arrius ab antiquiorum consuetudine discedere noluisse; ut enim testatur A. Gellius modo memoratus, lib. 2. cap. 3. *H litteram, sive illam spiritum magis quam litteram dici oportet, inserebant veteres*

 no-

Dicere, & hinsidias Arrius insidias.
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Quum quantum poterat, dixerat hinsidias.
Credo sic mater, sic liber avunculus ejus,
Sic maternus avus dixerit, atque avia.

Hoc

*nostri plerisque vocibus verborum firmandis roborandisque, ut sonus earum esset viridior vegetiorque; atque id videntur fecisse studio & exemplo linguæ Atticæ. Satis enim notum est, Atticos ἰχθὺν, ἵππον, multa itidem alia, citra morem gentium Græciæ ceterarum inspirantis prima littera dixisse. Sic lachrymas, sic sepulchrum, sic ahenum, sic vehemens, sic inchoare, sic hellnari, sic hallucinari, sic honera, sic honustum dixerunt. In his enim verbis omnibus litteræ seu spiritus istius nulla ratio visa est nisi ut firmitas & vigor vocis, quasi quibusdam nervis additis, intenderetur.* Erant autem qui libenter vetustam & obsoletam pronuntiationem revocarent, ut eruditiores vulgo haberentur: quod & hodie nonnulli faciunt. Ita & Lucilius in Satyris, citatus a Pompejo Festo in *Redarguisse*, P. Scipionem Africanum, Æmilii Paulli F. suggillat:

*Quo facetior videare, & scire plus quam ceteri,*
*Pertisum hominem, non pertæsum dicere ferunt.*

Sed profecto docti & cordati viri, *usum loquendi*, ut ait Cicero, *populo concedunt, scientiam sibi reservant*.

v. 2. *Arrius* ] Fortasse hic Arrius, Q. ille Arrius prætor fuerit qui cum L. Gellio a Spartaco acie victus est, ut suspicatur Achilles Statius ex Asconii Pediani argumento in Ciceronis Divinationem. Hujus filiorum meminit Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 243.

*Quinti progenies Arrî, par nobile fratrũ,*
*Nequitia & nugis pravorum & amore gemellum.*

Vereor tamen ut ea quæ hic sequuntur apud Catullum, viro principi & honoribus functo satis accommodari possint. Q. Arrii nescio cujus meminit & Cicero in Verrem Oratione de Signis capite 20. his verbis: *Postea vero quam intellexerunt, isti virum fortem, quem summe provincia exspectabat, Q. Arrium, non succedere, statuerunt* &c. Catulli jocus magis convenire videri possit in C. quemdam Arrium, cujus in Epistolis Tullianis ad Atticum crebra mentio. De hoc, tamquam de molesto homine, Epist. 15. lib. 2. ita Romanus Orator: *Cum hæc maxime scriberem, ecce tibi Sebosus. nondum plane ingemueram; Salve, inquit Arrius. hoc est Roma decedere? quos ego homines effugi, cum in hos incidi?*

v. 3. *Sperabat se esse locutum* ] Verbum *spero* sæpius quidem jungitur futuro aliorum verborum: sed nonnumquam præsenti etiam ac præterito. Noster supra Carm. 66. v. 44.

- - - - *Utpote quæ mî*
*Speret nec linguam esse, nec auriculam.*

Cicero de Fato: *Oratorias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti*. Idem lib. 1. ad Atticum Epist. 1. *Spero tibi me caussam probâsse, cupio quidem certe*. In his tamen & similibus exemplis vis futuri temporis latet. idem est enim ac si diceres: *Spero cognitum iri, te reliquisse, me probâsse*.

v. 4. *Quantum poterat* ] Ea majore contentione qua poterat, omni collecto spiritu & erogato.

v. 5. *Credo sic mater* ] Janus Meleager jubet, hoc distichon ita scribi:

*Cre-*

Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter, & leviter.

Nec

*Credo sic mather, sic Liber havunculus eii est,*
*Sic mathernus, havus dixerit, atque havia.*

ut videlicet Arrius eodem pacto pronuntiaverit has voces, *mather*, *havunculus*, *mathernus*, *havus*, atque *havia*, sicuti *chommoda*, & *hinsidias*. Hanc porro Meleagri lectionem probatam a Scioppio Isaacus Vossius jure exsibilat. Hoc enim sibi vult Catullus, vitium istud adspirandi litteras tenues a materna gente in Arrium derivatum fuisse. Cui explicationi favet locus M. Tullii e lib. 3. de Oratore, ubi de Lælia Crassi oratoris socru: *Sono ipso vocis ita recto & simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur: ex quo SIC locutum esse EJUS PATREM judico, SIC MAJORES; non aspere, ut ille quem dixi, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, & æquabiliter, & leniter.*

ibid. *Credo sic mater*] Fortasse, quod patre mortuo, educatus fuisset Arrius apud matrem viduam, matrisque consanguineos. Passeratius existimat, *Liberum* hic non esse nomen viri proprium, quod alii putaverunt, sed appellativum & ἐλεύθερον: tacite autem Catullum innuere velle, Arrium non ex justis nuptiis procreatum fuisse, utpote qui neque patrem, neque patruum habuerit liberos, sed matrem & avunculum tantum, eorumque parentes. Contra Tibullus libertatem paternam jactat, id est a patre acceptam, Elegia 4. lib. 2.

*Hic mihi servitium video dominamque paratam:*
*Jam mihi libertas illa paterna vale.*

v. 6. *Dixerit*] Potentiale est, ut loquuntur Grammatici. Supra Carm. 66. v. 37.

*Dixerit hic aliquis: Quî tu isthac, Jauua, nôsti?*

v. 7. *Misso in Syriam*] Profectus fuerat in Syriam Arrius, ut videtur, vel ipse magistratus, vel saltem prætoris aut proconsulis comes legatusve.

ibid. *Requierant omnibus aures*] *Quarum sensus fastidiosissimus, & judicium superbissimum*, ut ajunt Cicero & Auctor Rhetor. ad Herennium: & quæ propterea inusitata asperaque pronuntiatione facile offenduntur.

v. 8. *Audibant*] Pro *audiebant*. Ita noster supra Carm. 67. v. 84.

*Quod scibant Parca non longo tempore abesse.*

Idem Carm. 63. v. 319.

*Vellera virgati custodibant calathisci.*

Virgilius Æneid. lib. 8. v. 160.

*Tum mihi prima genas vestibat flore juventas.*

Propertius Elegia 3. lib. 1.

*Omnia quæ ingrato largibar munera somno.*

pro *sciebant*, *custodiebant*, *vestiebat*, *largiebar*.

ibid. *A. eadem hæc leniter & leviter*] Populus enim Romanus longe aberat a tam inepta consuetudine, & nemo tenues litteras, præter unum Arrium, adspirabat. Postquam igitur ille ab urbe discessisset, *commoda*, & *insidiæ*, & pleraque alia vocabula ab Arrio depravata, jam pronuntiabantur ab omnibus *leniter & leviter*, id est sine adspirationis molestia, ideoque aures omnium, duro sonitu & fragoso diu concussæ, tandem requieverant. Nam, quod vir doctus ait, *hunc sonum quantumvis asperum, lenem tamen & levem visum fuisse omnibus propter longam consuetudinem*, a Catulli mente abhorret quam longissime, cum statim sequatur:

*Nec sibi postilla metuebant talia verba.*

non

Nec sibi postilla metuebant talia verba;
  Quum subito adfertur nuntius horribilis:
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
  Jam non Ionios esse, sed Hionios.

## LXXXIV.

Odi, & amo. quare id faciam, fortasse requiris.
  Nescio: sed fieri sentio, & excrucior.

## LXXXV.

non metuebant scilicet, quod Arrius in Syriam missus fuisset: ceterum verba ipsa per se metuenda erant, & idcirco lenia & levia videri non poterant. Adde *nuntium horribilem*; cur autem horribilis, nisi quia ingratus & asper audientibus? quamquam hoc a poeta dicatur εἰρωνικῶς καὶ σκωπτικῶς. Porro, ut Catullus *audire leviter*, ita Terentius *audire graviter* dixit Heautontim. Ac. 1. Sc. 1. v. 62.

- - - *Adolescentulus*
*Saepe eadem & graviter audiendo victus est.*

v. 9. *Postilla* ] Hoc est *postea*. ἀρχαϊσμός. Cato in libris Originum apud Gellium lib. 3. cap. 7. *Saepeque postilla operam reipublicae fortem atque strenuam perhibuit*. Ennius apud Ciceronem lib. 1. de Divinatione:

*Postilla, germana soror, errare videbar.*

Adde Plautum Menaechmis Ac. 4. Sc. 3. v. 11. & Terentium Andria Ac. 5. Sc. 4. v. 33. item Eunucho Ac. 1. Sc. 2. v. 47. Subaudiendum vero *tempora*, quod manifestum ex versibus antiqui poetae a Cicerone allatis memorato libro:

*Ibi ex oraculo voce divina edidit*
*Apollo, puerum primus Priamo qui foret*
*Post illa natus tempora &c.*

v. 11. *Postquam illuc Arrius isset* ] Hinc nonnulli conjiciunt, Arrium naufragium fecisse, & in itinere mari absorptum: propterea fluctus Ionios dictos *Hionios* ab hiatu seu voragine. Vide, quo deveniant nimis acuti homines. Lector sanus τὸ *illuc* tamquam de Syria dictum accipiet. quod autem poeta hoc loco, maris Ionii mentionem fecerit, id non de nihilo est: etenim qui ad provincias illas Asiaticas administrandas mittebantur, a Brundusio Calabriae oppido, quod maris Hadriatici atque Ionii fines attingit, navem solvebant, ac deinceps Ionium navigabant; ut vel e Ciceronis Epistolis abunde cognosci potest. Non igitur Hionii fluctus ab hiatu dicti (frigidum sane commentum) sed ita corrupte appellati ab Arrio ipso; cujus novae appellationis rumor in Urbem pervenerat. Verum hujus loci explicationem subodorati fuerunt olim Parthenius, Fuscus, & Guarinus, quorum laudabili diligentiae ab iis qui porro secuti sunt interpretibus non parem honorem tribui, valde indignum est.

Argum. Carm. LXXXIV. ] Se amare atque odisse uno & eodem tempore, profitetur: caussam vero harum contrariarum perturbationum ignorare: ac tantum intimo quodam sensu earum sibi conscium esse. Hoc distichon in editione Alexandri Guarini, & in Aldina posteriore hic praetermissum est. adjungunt Carmini 71.

v. 1.

v. 1. *Odi & amo* ] Subaudi, *puellam eamdem*. Si enim, verbi caussa, Lesbiam Catullus amavisset, rivales suos odisset, id profecto neque singulare neque mirum, sed usitatum ac tralatitium fuisset. Porro infelicibus amatoribus hæc παθῶν ἐναντιότης haud raro usuvenire solet. Confer Ovidium Elegia 11. lib. 3. Amorum. qui poeta Remed. Amoris v. 655. feri & scelerati hominis esse arbitratur, puellam olim dilectam, subito mutata voluntate, aversari deinceps atque odisse. Ejus verba sunt:

*Sed modo dilectam scelus est odisse puellam.*
*Exitus ingeniis convenit iste feris.*
*Non curare sat est. Odio qui finit amorem,*
*Aut amat, aut ægre desinet esse miser.*

Ceterum huic poetæ nostri loco similia sunt illa Senecæ Epist. 112. *Sed dicit* ( amicus quidam Lucilii ) *se offendi vita sua. Non negaverim. quis enim non offenditur? Homines vitam suam & amant simul & oderunt*. Idem tamen scriptor lib. 6. de Beneficiis cap. 6. id ἀδύνατον καὶ παρὰ φύσιν existimat. *Jubes me*, inquit, *eodem tempore amare & odisse, queri & gratias agere: quod natura non recipit*. Elegantissime Plutarchus apud Stobæum Serm. 62. Amorem cum Sphinge comparare instituit: eo tamen differre animadvertit, quod Amor, ut Sphinx, ænigmata solvenda non proponat, verum ipse potius obscurissimum ænigma sit. Εἰ βούλοιτό τις ἐρωτῶν, τί μισεῖ καὶ φιλεῖ· τί φεύγει καὶ διώκει· τί ἀπειλεῖ καὶ ἱκετεύει· τί ὀργίζεται καὶ ἐλεεῖ, βούλεται παύσασθαι καὶ οὐ βούλεται· τί χαίρει τῷ αὐτῷ μάλιστα καὶ ἀνιᾶται· ἔτι λῦσαι καὶ θεραπεῦσαι. i. e. *Quomodo si quis hujusmodi ænigma proponat: Quid sit quod oderit simul & amet, fugiat & persequatur, minetur & supplicet, irascatur & misereatur, desinere velit ac nolit, eadem re maxime tum gaudeat tum tristetur. Hic sane nodus ægre solvi & conciliari possit.*

v. 2. *Nescio, sed fieri sentio* ] Cicero pariter in Bruto: *Et Brutus, Qui est*, inquit, *iste tandem urbanitatis color? Nescio, inquam: tantum esse quemdam scio*. Ocypus apud Lucianum in Dramate cognomine:

Πῶς ἂν φράσαιμι σοι τοῦ πάθους τὴν συμφοράν;
Πάσχω γὰρ, οὐδὲν οἶδα, πλὴν πονῶ μόνον.
*Sed quomodo morbi tibi caussam eloquar?*
*Nam doleo; verum quod doleo, tantum scio.*

Quiddam simile profitebantur de sensuum perceptionibus Cyrenei & Pyrrhonii philosophi. De illis ita M. Tullius in Lucullo seu lib. 2. Academic. Quæst. *Quid Cyrenei videntur*, inquit, *minime contemti philosophi? qui negant esse quicquam quod percipi possit extrinsecus: ea se sola percipere quæ tactu intimo sentiant, ut dolorem, & voluptatem: neque se, quo quid colore, aut quo sono sit, scire, sed tantum sentire, affici se quodammodo*. De his vero Sextus Empiricus Pyrrhon. hypotypos. lib. 1. cap. 7. sic scribit: Τὸ ἑαυτῷ φαινόμενον λέγει ( Scepticus philosophus ) καὶ τὸ πάθος ἀπαγγέλλει τὸ ἑαυτοῦ ἀδοξάστως, μηδὲν περὶ τῶν ἔξωθεν ὑποκειμένων διαβεβαιούμενος. i. e. *Quid sibi videatur, dicit, & affectionem quam sentit, annuntiat, sine ulla prorsus opinatione; nihil de iis quæ extra sunt rebus affirmans.*



LXXXV.

## L X X X V.

Quintia formosa est multis: mihi candida, longa,
Recta est. hoc ego: sic singula confiteor.
Totum illud, FORMOSA, nego. nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Le-

Argum. Carm. LXXXV. ] Quintiæ, mulieri notissimæ, quam vulgo formosam perhibebant, laudem formæ denegat: contra Lesbiæ tribuit, quæ pulchritudine simul ac venustate præcelleret.

v. 1. *Quintia* ] Meretricem hoc nomine memorat Auctor liberi Carminis Epigr. 26.

*Deliciæ populi, toto notissima Circo*
*Quintia - - - -*

ibid. *Est multis* ] Nempe judicio multorum. Ita Ennius Annali 12. apud Ciceronem pro Corn. Balbo, verbis Hannibalis milites ad pugnam cohortantis:

*Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis,*
*Quisquis erit - - -*

nempe, habebo eum Carthaginiensium numero, etiamsi peregrinus fuerit. Lucretius vero lib. 4. v. 1153.

*Nigra, μελίχροος est: immunda & fœtida, ἄκοσμος.*

nempe amatori, vitia puellæ suæ dissimulanti, vel extenuanti. denique Virgilius Ecloga 7. v. ult.

*Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.*

ibid. *Candida* ] Qui color maxime ad pulchritudinem facere existimatur. Horatius Epist. 2. lib. 2. v. 2.

*Si quis forte velit puerum tibi vendere natum*
*Tibure vel Gabiis, & tecum sic agat: Hic &*
*Candidus, & talos a vertice pulcher ad imos.*

ibid. *Longa* ] Qualem Græci poetæ describunt Andromachen Hectoris uxorem, aut qualem Cynthiam suam Propertius Elegia 2. lib. 2.

*Fulva coma est, longæque manus, & maxima toto*
*Corpore, & incedit vel Jove digna soror.*

Ovidius corporis proceritatem heroinis omnibus peræque tribuere non dubitavit Elegia 4. lib. 2. Amorum:

*Tu, quia tam longa es, veteres heroïdas æquas.*

Mulierem hujusmodi Etrusci appellant: *un donnone*.

v. 2. *Recta* ] Cujus in corpore nihil pravum, nihil enorme aut inconcinnum. Hic vero status in feminis aliquando superbiam & pervicaciam arguit. Propertius Elegia ultima lib. 2.

*Despicit & magnos recta puella deos.*

quod Achilles Statius pridem animadvertit.

ibid. *Hoc ego* ] Subaudi *ajo, censeo statuo*. Hoc decretum meum est de Quintiæ pulchritudine.

ibid. *Singula* ] Nonnulla enim habet Quintia quæ ad formam pertineant; non tamen omnia. siquidem sale ac venustate penitus caret.

v. 3. *Totum illud, Formosa, nego* ] Formosus proprie a Latinis vocatur qui & pulcher est & venustus. *Candidus* igitur, *longus*, *rectus*, nomina sunt partium pulchritudinis: *formosus* nomen est τῦ ὅλυ. Propterea Catullus ait, *Totum illud, Formosa:* hanc vero laudem

Lesbia formosa est: quæ cum pulcherrima tota est,
Tum omnibus una omnes surripuit Veneres.

dem ait se Quintiæ tribuere non posse. *Formosi* & *formosæ* paucissimi omni tempore fuerunt. Audi Ciceronem lib. 1. de Nat. Deorum: *Quotus enim quisque formosus est? Athenis cum essem, e gregibus epheborum vix singuli reperiebantur*. A Cicerone, ut videtur, Ovidius lib. 3. Art. Amat. v. 103.

*Forma Dei munus: formâ quota quaeque superbit?*

ibid. *Venustas*] Id quod Itali dicimus, *leggiadria*, *grazia*, *gentilezza*, *brio*, *buon garbo*, *vezzo*.

v. 4. *Nulla in t. m. e. corpore mica salis*] Antiqui salem usurpaverunt pro lepóre, argutia, morum elegantia, urbanitate; quæ, ut eiborum sal, ita pulchritudinis, insulsæ alioquin futuræ, ac præterea convictus humani & societatis condimenta sunt. Eum porro non personis tantum, sed & locis tribuebant. Cicero Epist. 16. lib. 9. *De villa Seliciana & curâsti diligenter, & scripsisti facetissime. itaque puto me prætermissurum. salis enim satis est, sanniorum parum*. Corn. Nepos in Attico: cap. 13. *Ipsum enim tectum, antiquitus constitutum, plus salis quam sumtus habebat*. quæ verba corrupta esse, immerito suspicatur Boeclerus. Vel poeta noster Quintiam reprehendit, quod ἄχαρις esset, ut de puella quadam loquitur Sappho apud Plutarchum in libello de Amore, nempe *Gratiarum expers*, & amatoriæ suavitatis prorsus ignara. Huc spectant illa Plauti Casina Act. 2. Sc. 3. v. 6.

*Neque salsum, neque suave esse potest quicquam ubi amor non admiscetur.*
*Fel quod amarum est, id mel faciet, hominem ex tristi lepidum & lenem.*

Ulcus fortasse non habebat Quintia de quo ita Martialis Epigram. 60. lib. 11.

LXXXVI.

*Sit Phlogis*], *an Chione Veneri magis apta, requiris?*
*Pulchrior est Chione, sed Phlogis ulcus habet.*

nimirum pruriginem, & Veneris urticas. Postremo, vitia ipsa puerorum & puellarum quas amarent, salsa & venusta insani amatores ducebant. Cicero testis lib. 1. de Nat. Deorum: *At erat* (Roscius), inquit, *sicut hodie est, perversissimis oculis. Quid refert, si hoc ipsum salsum illi* (Q. Catulo) *& venustum videbatur?* Plura in hanc rem suppeditabunt lectoribus Adnotationes nostræ ad Carmen 54. Consulendus etiam Petrus Victorius Variarum Lectionum lib. 12. cap. 13. Quemadmodum vero *salsi* jucundi habebantur, ita *insulsi* molesti. Noster supra Carm. 10.

*At tu insulsa male & molesta vivis.*

v. 6. *Omnibus una omnes surripuit Veneres*] Tamquam simulacrum illud Helenæ a Zeuxide apud Crotoniatas depictum, quod egregius ille artifex e quinque virginum lectissimarum corporibus pulcherrimis in unam perfectam speciem expresserat. Juvat porro verba ipsa Ciceronis ad hanc rem pertinentia e lib. 2. de Inventione recitare. *Tunc Crotoniatæ*, inquit, *publico de consilio virgines unum in locum conduxerunt, & pictori quas vellet eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit, quarum nomina multi poetæ memoriæ tradiderunt, quod ejus essent judicio probatæ qui verissimum pulchritudinis habere judicium debuisset. Neque enim putavit, omnia quæ quæreret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse; ideo quod nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit. Itaque tamquam ceteris non sit habitura quod largiatur si uni cuncta concesserit*,

## LXXXVI.

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
Prurit, & abjectis pervigilat tunicis?
Quid facit is patruum qui non sinit esse maritum?
Ecquid scis quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Thetys,
Non genitor Nympharum abluit Oceanus.

Jam

*aliud alii commodi aliquo adjuncto incommodo muneratur.*

Argum. Carm. LXXXVI. ] Gellio, bipedum nequissimo, ne a matris quidem, sororis, & reliquarum mulierum ipsi affinium concubitu abstinenti, tantorum scelerum ac flagitiorum immanitatem vehementer exprobrat.

v. 1. *Quid facit is* ] Interrogat Gellium, ac si non ille, verum alius quispiam in his nefariis libidinibus se exerceret.

ibid. *Prurit* ] Lascivit, turpiter ludit.

ibid. *Abjectis tunicis* ] Ne scilicet impedimento sint liberioribus amplexibus. Lucilius apud Varronem lib. 5. de L. L.

- - - - *Sponte ipsa suapte*
*Adducta ut tunicam & cetera rejiceret.*

*Tunicam ponere* dixit Propertius Elegia 2. lib. 2. de Junone, Pallade, ac Venere apud judicem Paridem super formæ præstantia certantibus: quod Italis est, *trarsi la camicia*:

*Cedite jam, divæ quas pastor viderat olim*
*Idais tunicam ponere verticibus.*

Eas enim Paris nudas omnino contemplari voluit. Cum tunicis autem & pudor plerumque deponitur. Ovidius iccirco Elegia 14. lib. 3. Amorum:

*Indue cum tunicis metuentem crimina vultum.*
*Et pudor obscœnum diffiteatur opus.*

Tunica duplex erat, exterior & interior, quam etiam *subuculam* vel *indusium* appellabant. Horatius Epist. 1. lib. 1. v. 95.

- - - - - *Si forte subucula pexæ*
*Trita subest tunicæ* - -

vide & Varronem lib. 4. de Lingua Latina.

ibid. *Pervigilat* ] Noctu & meridie; ut superius explicavimus ad Carm. 79. Alias *dormire* usurpatur pro *concumbere*, εὐνᾶσθαι.

v. 3. *Patruum q. n. sinit esse maritum* ] Qui nimirum incubat uxori patrui, atque ipsum quodammodo a sua possessione depellit. Vel qui patruum venenis enervavit, ne virili officio amplius fungi possit.

v. 4. *Ecquid scis* ] An aliquid, vel aliqua ex parte novisti? Terentius Phormione Act. 3. Sc. 1. v. 10.

*Ecquid spei porro est?* - -

ibid. *Quantum s. sceleris?* ] Cicero pariter lib. 9. ad Atticum Epist. 10. *Spes quædam me sustentabat, fore ut aliquid conveniret potius, quam aut hic tantum sceleris, aut ille tantum flagitii admitteret.*

v. 5. *Ultima Thetys* ] Mare extremum, seu novissimum, ut ait supra Carm. 4. v. 23.

v. 6. *Non genitor N. abluit Oceanus* ] Ita Sophocles in Oedipo Tyranno v. 1251.

Οἶμαι

*Οἴμαι γὰρ οὔτ' ἂν Ἴστρον οὔτε Φᾶσιν ἂν*
*Νίψαι καθαρμῷ τήνδε στέγην, ὅσα*
*Κεύθει. - - - -*
*Existimo enim neque Istrum neque Phasin*
*Abluere ac purgare posse hanc domum ab iis qua*
*Occultat. - - - -*

Catullum porro Seneca imitatur Hippolyto v. 712.

*Quis eluet me Tanais? aut qua barbaris*
*Maotis undis Pontico incumbens mari?*
*Non ipse toto magnus Oceano pater*
*Tantum expiârit sceleris - - - -*

Et Hercule Furente v. 1323.

*Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persica*
*Violentus unda Tigris, aut Rhenus ferox,*
*Tagusve Hibera turbidus gaza fluens*
*Abluere dextram poterit? Arctoum licet*
*Maotis in me gelida transfundat mare,*
*Et tota Thetys per meas currat manus,*
*Harebit altum facinus - - - -*

Ea nempe veterum mentibus falsa & inepta persuasio insederat, ut putarent, adulteria, stupra, nefarias libidines, hominum cædes, atque id genus pessima delicta marinis vel fluvialibus aquis tolli posse. Propterea cum ad aras accessuri erant, corpus diligenter lavabant: quo facto, omnem ex animo vitiorum squallorem ac rubiginem simul detersam opinabantur. Et apud Virgilium Æneas lib. 2. divini Operis v. 717. sic Anchisen parentem alloquitur:

*Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.*
*Me, bello e tanto digressum & cade recenti,*
*Attrectare nefas; donec me flumine vivo*
*Abluero. - - - -*

Hunc vulgi errorem graviter objurgat Ovidius lib. 2. Fastorum v. 45. ubi de purgaminibus:

*Ah nimium faciles, qui tristia crimina cadis*
*Fluminea tolli posse putatis aqua.*

Sed vehementius Lactantius Firmianus, religionis veræ acerrimus propugnator, miseram hanc profanarum gentium superstitionem insectatur Divin. Instit. lib. 5. cap. 19. *At illi infelices*, inquit, *nec ex sceleribus suis intelligunt, quam malum sit quod colunt; quandoquidem vitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum: & se pie sacrificâsse opinantur, si cutem laverint, tamquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent. Quanto satius est mentem potius eluere, qua malis cupiditatibus sordidatur; & uno virtutis ac fidei lavacro universa vitia depellere!* Idem porro ejusdem Operis lib. 6. cap. 23. docet, quomodo impuræ libidines delendæ atque expiandæ sint. *Corpus quidem*, ait, *cito ablui potest, mens autem contagione impudici corporis inquinata, non potest nisi & longo tempore & multis bonis operibus ab ea qua inhaserit colluvione purgari.* Ceterum καθαρτικὴν hanc δύναμιν præcipue salsis maris aquis tribuebant. Iccirco M. Tullius in Oratione pro Sex. Roscio Amerino loquens de supplicio parricidarum: *Noluerunt*, ait, . . . . . . . . *sic nudos in flumen dejicere, ne, quum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera qua violata sunt, expiari putantur.* Huc etiam spectat illud παροιμιῶδες apud Suidam, ἁγνότερος πηδαλίου. i. e. *clavo seu gubernaculo purior*; navis enim clavus aqua maris perpetuo abluitur. Sed & sordes eorum qui lustrabantur, in mare antiqui projiciebant. Vide Homerum Iliad. 1. v. 313. Non sunt autem hoc loco prætermittenda verba D. Gaudentii Brixiæ Episcopi e Sermone IX. ubi morem ac persuasionem Judæorum sui temporis de criminum purgatione ita reprehendit: *Non possum parcere transiens purificationi Judaorum immunda: lavant polluta corpora, abluta statim polluunt:*

Jam nihil eſt quicquam ſceleris quo prodeat ultra:
Non ſi demiſſo ſe ipſe voret capite.

## LXXXVII.

Gellius eſt tenuis. quidni? cui tam bona mater,
Tamque valens vivat, tamque venuſta ſoror,

Tam-

*luunt: ſemper lavant, ſemper impuri ſunt, &, ut dici ſolet, laterem lavant.*

ibid. *Genitor Nympharum Oceanus* ] Nereidas Nymphas, Nerei ac Doridos filias, vel centum vel ſaltem quinquaginta fuiſſe, tradunt mythographi & poetæ. Oceanitidas vero, id eſt Oceano genitore, matre Thety, ξιχιλίας, nempe *tria millia* fuiſſe narrat Apollodorus lib. 1. Bibliothecæ. Vide & Hyginum Fabula 182.

ibid. *Abluit* ] Pro *abluat*, vel *abluerit*. ἀρχαϊκῶς. Ita Scaliger & Voſſius cum libris melioribus.

v. 7. *Nihil quicquam* ] Τὸ *quicquam* hoc loco παρέλκει.

ibid. *Quo prodeat ultra* ] Quo ſceleſtior fieri poſſit. Horatius ita locutus Epiſt. 1. lib. 1. v. 32.

*Eſt quadam prodire tenus, ſi non datur ultra.*

v. 8. *Non ſi d. ſe i. v. c.* ] Jocus obſcœnus περὶ ἀφροδισίας. nam id fortaſſe præter ceteras libidines Gellius admittere tentabat. *Vorare* autem *ſe capite demiſſo*, eſt ſe ipſum ( honos ſit auribus ) fellare. ſi tamen id ullo modo fieri poteſt.

Argum. Carm. LXXXVII. ] Gellium acerbe irridet, qui e ſtupris aſſiduis cum matre, ſorore, aliiſque cognatis mulieribus, corporis tenuitatem contraxerat.

v. 1. *Tenuis* ] Vix oſſibus hærens, macie confectus, monogrammus. Propertius Elegia 18. lib. 2. E. B.

*Sed, tibi ſi exiles videor tenuatus in artus,*
*Falleris. haud umquam eſt culta labore Venus.*

ibid. *Quidni?* ] Cur tenuis non ſit? habet enim unde ſit. Eodem pacto ſuperius Carm. 78.

*Leſbius eſt pulcher. quidni? quem Leſbia malit*
*Quam te cum tota gente, Catulle, tua.*

ibid. *Bona* ] Vel pulchra; interdum enim a veteribus, qui pulchri eſſent, *boni* vocabantur. Noſter ſupra Carm. 15.

*Verum a te metuo, tuoque pene,*
*Infeſto pueris bonis maliſque.*

Vel facilis, & filii cupiditatibus adeo indulgens, ut maternæ pietatis arbitretur, ei corporis ſui poteſtatem facere. Propertius eadem ſignificatione Elegia 17. lib. 2. E. B.

*Ah nimium faciles aurem præbere puellæ,*
*Diſcite deſerta non temere eſſe bona.*

v. 2. *Valens* ] Viribus prædita, ſolida & ſucci plena, ἐν ἀκμῇ, quæ frequenti concubitu non delaſſetur. Apud Plautum Caſina conſervi duo de ancilla quadam ita colloquuntur:

ST. *Quid negotii eſt?* OL. *obſecro, ut valentula eſt!*
*Pane expoſivit cubito.* ST. *cubitum ergo ire volt.*

Noſter ſupra in calce Carm. 60. - - - *At, boni Conjuges, bene vivite, Et munere aſſiduo valentem Exercete juventam.* Contra Horatius de puella immatura ſic Ode 5. lib. 2.

Non-

Tamque bonus patruus, tamque omnia plena puellis
Cognatis. quare is desinat esse macer?
Qui ut nihil attingat nisi quod fas tangere non est;
Quantumvis quare sit macer, invenies.

LXXXVIII.

*Nondum subacta ferre jugum valet*
*Cervice, nondum munia comparis*
*Æquare - - - -*

Ovidius autem lib. 3. Amorum Elegia 11.

*Vidi, cum foribus lassus prodiret amator,*
*Invalidum referens emeritumque latus.*

ibid. *Vivat* ] Nempe *sit*; quomodo Horatius sæpenumero.

v. 3. *Bonus patruus* ] Commodus & dissolutus; qui uxorem suam fratris filio attrectandam & subigendam concedat.

ibid. *Omnia plena puellis Cognatis* ] *Omnia plena*, elegans locutio, qua rei alicujus abundantiam & vilitatem significabant. Cicero lib. 1. de Oratore: *Omnia plena consiliorum, inania verborum videmus*. Idem Epist. 24. l. 2. ad Atticum: *Prorsus vita tadet, ita sunt omnia omnium miseriarum plenissima*. Tibullus Elegia 9. lib. 1.

*- - Lacrimis omnia plena madent.*

Ovidius Epistola Hermiones v. 75.

*- - - - - - Omnia luctus,*
*Omnia solliciti plena timoris erant.*

v. 4. *Desinat esse macer* ] Non sit macer. Ita superius Carm. 72.

*Desine de quoquam quicquam bene velle mereri.*

i. e. noli de quoquam benemereri. Sic & Carm. 75.

*Et dis invitis desinis esse miser.*

v. 5. *Ut* ] Quamquam, tametsi.

ibid. *Nihil attingat n. q. fas tangere non est* ] A reliquis feminis omnibus abstineat, & cum cognatis tantummodo rem habeat, cum quibus nefas est rem habere.

v. 6. *Quantumvis* ] Positum pro *abunde*, vel *satis*. Horatius pariter Epist. 7. lib. 1. v. 15.

*- - - - - - - Vescere sodes.*
*Jam satis est. At tu quantumvis tolle. Benigne.*

Eadem significatione poeta noster Carm. 12. *quamvis* usurpavit:

*Quamvis sordida res & invenusta est.*

Ceterum impii ac nefarii homines, qui mulierum συγγενῶν, ὁμοσίπυων ἢ ὁμοκάπνων concubitu delectantur, libidinis materiam nullo non tempore paratam habent. icciro ab antiquis legum latoribus sapienter institutum est, ut fratres & sorores caste sanctèque inter se agerent, cum propter alias caussas gravissimas, tum ne intemperantiæ adderentur faces, & concubitus copia nimis præsto esset sub eodem tecto viventibus. Memorabilia sunt in hanc rem verba Ocelli Lucani philosophi Pythagoræi in libello de Universi Natura cap. 4. Δεῖ δὲ, inquit, καὶ παιδεύειν τὰ τοιαῦτα τῶν νομίμων ἐν ταῖς Ἑλληνικαῖς πόλεσι, τὸ μήτε μητρὶ συγγίνεσθαι, μήτε θυγατρὶ, μήτε ἀδελφῇ, μήτε ἐν ἱεροῖς, μήτε ἐν φανερῷ τόπῳ· καλὸν γάρ ἐστι καὶ πρόσφορον τὸ ὡς πλεῖστα κωλύματα γίνεσθαι τῆς ἐνεργείας ταύτης. i. e. *Quin etiam hujusmodi institutorum disciplina in terra Græcia civitates inducenda est, ne cum matre, filia, sorore, nec in locis sacris, nec in propatulis coeant. Nam præclare & utiliter agetur, si huic actioni plurima adhibeantur impedimenta.*

AR-

## LXXXVIII.

Nascatur Magus ex Gelli matrisque nefando
Conjugio, & discat Persicum haruspicium.
Nam Magus ex matre & gnato gignatur oportet,
( Si vera est Persarum impia religio ) .

Gna-

Argum. Carm. LXXXVIII.] Gellium, qui ne a matre quidem effrenatam libidinem cohibebat, nova quadam ratione insectatur; dicens, ex eo concubitu nefario Magum procreari oportere, si ea vera sint quæ superstitio Persarum tradat.

v. 1. *Nascatur Magus* ] Huc pertinent verba Ciceronis e lib. 1. de Divinatione: *Omnino*, inquit, *apud veteres, qui rerum potiebantur, iidem auguria tenebant. ut enim sapere, sic divinare, regale ducebant, ut testis est nostra civitas, in qua & reges, augures, & postea privati eodem sacerdotio praditi, rempublicam religionum anctoritate rexerunt: eaque divinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta est . . . . . . . . . . . . . . . . . . . Et in Persis augurantur & divinant Magi, qui congregantur in fano commentandi caussa, atque inter se colloquendi: quod etiam idem vos quondam facere Nonis solebatis. nec quisquam rex Persarum potest esse qui non ante Magorum disciplinam scientiamque perceperit*. Apud Ægyptios quoque iidem sacerdotes erant qui reges. Testatur id Plutarchus in libello de Iside & Osiride. Οἱ δὲ *βασιλεῖς*, ait, *μετρητὸν ἔπινον ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων ( ὡς Ἑκαταῖος ἱστόρηκε ) ἱερεῖς ὄντες*. *Reges quoque ex sacrarum præscripto litterarum certa mensura vinum bibebant, ut scribit Hecataus; quia & ipsi essent sacerdotes*.

v. 2. *Persicum haruspicium* ] Disciplinam haruspicum, sive haruspicinam, cujus qui periti erant, victimarum occisarum exta inspiciebant, & ex iis futura conjicere & divinare se posse jactabant. Hanc olim Romani ab Etruscis quasi per manus traditam acceperunt. De hoc superstitionis genere ita Ovidius lib. 15. Metamorph. v. 136.

*Protinus ereptas viventi pectore fibras*
*Inspiciunt, mentesque deûm scrutantur in illis*.

Tibullus autem Elegia 4. lib. 3.

*Divi vera monent: ventura nuntia sortis*
*Vera monent Tuscis exta probata viris*.

v. 3. *Gignatur oportet* ] Τὸ *ut* hoc loco eleganter subticetur. Ita Varro lib. 2. de R. R. cap. 4. *Scropha in sua quaque hara suos alat oportet porcos*.

v. 4. *Si vera est Persarum impia religio* ] Impia religio semper falsa est. cum igitur Catullus Persarum religionem impiam appellet, veram esse non posse, aperte satis ostendit. Religio enim est Dei cultus, quo pietas continetur. Porro apud Persas licitum & valde usitatum fuisse matris cum filio concubitum, docemur a Sex. Empirico lib. 1. Pyrrhon. hypotyposeon cap. 14. pag. 39. postremæ editionis: *Καὶ παρ' ἡμῖν μὲν*, inquit, *ἀπαγορεύεσθαι μητράσι μίγνυσθαι, τοῖς δὲ Πέρσαις ἔθος εἶναι μάλιστα οὕτως γαμεῖν· καὶ παρ' Αἰγυπτίοις δὲ τὰς ἀδελφὰς γαμοῦσιν· ὃ παρ' ἡμῖν ἀπείρηται νόμῳ*. i. e. *Et apud nos vetitum esse cum matre concumbere, Persarum autem moribus vel maxime permitti hoc conjugium. Et apud Ægyptios cum sororibus contrahunt nuptias: quod apud nos*

*lege*

Gnatus ut accepto veneretur carmine divos
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

LXXXIX.

*lege interdictum est*. Idem scriptor eodem capite pag. 40. tradit, Chrysippum docuisse, *ἀδιάφορον εἶναι μητράσι καὶ ἀδελφαῖς μίγνυσθαι. rem mediam esse* ( i. e. neque bonam neque malam ) *cum matribus & sororibus commisceri*. Persæ porro non solum ἀδιάφορον, verum etiam καλὸν καὶ ὅσιον, *honestum & sanctum*, id existimabant. Sextus quidam alius, philosophus (fortasse Cheronæus ille ) in Disputationibus Antisccepticis apud Joannem Albertum Fabricium Bibliothecæ Græcæ volum. 12. pag. 622. ita de hac re: Τοὶ δὲ Πέρσαι, κοσμεῖσθαί τι, ὥσπερ τὰς γυναῖκας καὶ τὼς ἄνδρας, καλὸν νομίζοντι, καὶ τᾷ θυγατρί, καὶ τᾷ ματρί, καὶ τᾷ ἀδελφᾷ συνίμεν· τοὶ δὲ Ἕλλανες, καὶ αἰσχρὰ καὶ παράνομα. i. e. *Persæ viros delicate ornari instar mulierum honestum putant, ut & cum filia, matre ac sorore congredi: at Græci turpia hæc & iniqua*. Cum quo concinit Laertius in Præfatione Βίων τῶν φιλοσόφων, ubi narrat, Magos Persarum sapientes ὅσιον νομίζειν μητρὶ ἢ θυγατρὶ μίγνυσθαι, ὡς ἐν τῷ εἰκοστῷ τρίτῳ φησὶν ὁ Σωτίων; i. e. *fas existimare cum matre aut filia corpus miscere, quemadmodum Sotion ait in XXIII.* Id vero a Zarada nescio quo, antiquissimo, ut videtur, apud Persas legum latore institutum fuisse, memorat Theodoretus Oratione 9. de Legibus adversus Græcos, his verbis: Ἀλλὰ κατὰ τοὺς Ζαράδου πάλαι Πέρσαι πολιτευόμενοι νόμους, καὶ μητράσι καὶ ἀδελφαῖς ( αἰδοῦς γε μέντοι ) καὶ θυγατράσι μιγνύμενοι, καὶ νόμον ἔννομον τὴν παρανομίαν νομίζοντες, ἐπειδὴ τὸ τῶν ἁλιέων νομοθεσίας ὑπήκουσαν, τοὺς μὲν Ζαράδου νόμους ὡς παρανομίαν ἐπάτησαν, τὴν δ' εὐαγγελικὴν δὲ σωφροσύνην ἠγάπησαν. i. e. *Persæ itaque, qui jampridem Zaradæ legibus regebantur, matrum, sororum, filiarum connubiis susque deque commixti, remque justissimam arbitrantes id quod erat facinus injustissimum; audita piscatorum lege atque accepta, Zaradæ leges ut iniquitatem maximam conculcârunt, evangelicamque temperantiam protinus amplexi sunt*. Scelestæ hujus consuetudinis culpam confert Dio Chrysostomus Oratione 20. in mollem ac delicatam Persarum educationem. Illorum enim adolescentes diutius ἐν γυναικείῳ sub matrum custodia detinebantur. Ὅθεν, inquit, ἐγὼ οἶμαι ξυμβῆναι αὐτοῖς, τὸ μητράσι μίγνυσθαι· ὥσπερ οἱ πῶλοι, ἐπειδὰν ἁδρότεροι ὄντες ἀκολουθῶσιν ἔτι τῇ μητράσι, ἐπιβαίνειν ζητοῦσι. i. e. *Unde ego puto accidere illis, ut rem habeant cum matribus: quemadmodum pulli, quando adultiores facti, adhuc sequuntur matres, inire eas conantur*. Ceterum, Magos, impuros fuisse homines ac lucifugas testatur Philostratus lib. 8. de Vita Apollonii Tyanensis cap. 7. num. 2. Γοήτων δὲ ξυνουσίας, inquit, φεύγουσι μὲν ἱερὰ θεῶν, ἐχθρὰ γὰρ τοῖς περὶ τὴν τέχνην· νύκτα δὲ, καὶ πᾶν ὅ, τι ἀφεγγὲς αὐτῶν προβαλλόμενοι, οὐ ξυγχωροῦσι τοῖς ἀνοήτοις οὐδ' ὀφθαλμοὺς ἔχειν, οὐδ' ὦτα. i. e. *Magorum vero collegia deorum sacra fere fugiunt: sunt enim illa ejus artis professoribus infensa. Noctem autem & quicquid obscurum est, sibi induentes, stolidos* ( consultores ) *nec oculos habere neque aures patiuntur*.

v. 5. *Accepto* ] A majoribus nimirum. Cicero lib. 1. de Nat. Deorum: *Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam*. Vel diis immortalibus grato, ut explicat Achilles Statius.

ibid. *Carmine* ] Nimirum ἐπῳδαῖς, *quas Magi virgarum fasciculum tenentes ad ignem incinebant*, ut Scaliger e Strabone, aliisque scriptoribus ostendit.

v. 6. *Omentum pingue* ] Pro parte præcordiorum, omentum a Catullo usurpatum, suspicatur Parthenius,

quam

## LXXXIX.

Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum
In misero hoc nostro hoc perdito amore fore:
Quod te cognossem bene, constantemque putarem,
Aut posse a turpi mentem inhibere probro:

Sed

quam scilicet Magi, sacratam diis, igne consumerent.

ibid. *Liquefaciens* ] Altera syllaba hujus vocis, cum brevis naturâ sit, licenter a poeta producitur.

Argum. Carm. LXXXIX. ] Iterum Gellium alloquitur, & cum eo expostulat, quod legibus amicitiæ violatis, ab attrectanda Lesbia non temperaverit. Ait vero, spem suam ipsum frustratam esse, qua nimirum sibi persuasisset, nullam hoc in genere se a Gellio injuriam accepturum: non sane quod eum probum hominem ac frugi plenumque officii cognovisset ( quis enim eo minus ? ) at contra, quod sciret, eum quotidiana & vulgaria facinora contemnere, ac immanibus tantum, eximiis atque inusitatis delectari, puta concubitu matris sororisque. Cum igitur videret, neque matrem neque germanam sororem Lesbiam Gellio esse, tutam illam ab ejus libidine propterea putavisse. Et quamquam fortunis amicorum insidiari turpe atque impium a bonis habeatur, tamen quod usu id jam tritum sit, non tantam in ea re turpitudinem contineri se arbitratum, quanta ad furiosam Gellii cupiditatem inflammandam satis foret. Sed hominem impurissimum, ne ullam flagitiose ac scelerate agendi occasionem abire fineret, violatæ quoque amicitiæ crimine se libenter contaminâsse, ut reliquas virtutes suas hac quoque egregia laude cumularet. Porro acerbum hoc, præclarum, & singulari artificio elaboratum Epigramma, quod vel trecentis Martialis facile anteponas, vir eloquentissimus Muretus omnium optime interpretatus est.

v. 2. *In misero hoc nostro amore* ] Difficili, ærumnoso, ἀνελπίστῳ. Infra Carm. 97.

*Quam quoniam pœnam misero proponis amori.*

*Miserum* aliquando vocabant veteres fœdum quod esset ac miserabile. Horatius Ode 29. lib. 3. dixit, *ad miseras preces Decurrere*, i. e. indignas viro sapienti, & quæ ægrum animum & abjectum significarent. Hinc adverbium *misere*, eadem potestate. Terentius Andria Ac. 3. Sc. 2. v. 39.

*Scimus, quam misere hanc amârit.* -

Idem Heautontim. Actu 2. Scen. 3. v. 124.

-- *Nam quemdam misere offendi militem*

*Ejus noctem orantem* - - - -

ibid. *Hoc nostro hoc perdito amore* ] *Hoc*, bis inculcatur in optimæ notæ codicibus. atque ita Guarinus, Statius, Vossius hunc versum legunt. Repetitum autem vehementius est ac magis efficax.

v. 3. *Cognôssem bene* ] I. e. mores tuos probavissem, diuturna familiaritate satis mihi spectatos. Noster supra Carm. 60. v. 186.

*Vos bonæ senibus bonis*

*Cognitæ bene feminæ.*

Horatius pariter Epist. 18. lib. 1.

Si

Sed quod nec matrem, nec germanam esse videbam
Hanc tibi, cujus me magnus edebat amor.
Et quamvis tecum multo conjungerer usu,
Non satis id caussæ credideram esse tibi.

Tu

*Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,*
*Scurrantis speciem præbere, professus amicum.*

ibid. *Constantemque putarem* ] Virum constantem veteres appellaverunt, hominem consilii ac sapientiæ plenum, nihil temere suscipientem vel agentem, a cupiditatibus longe remotum, officii memorem, amicitias fide & gravitate sancte colentem; quod nempe sibi constaret, nec turpiter in vita fluctuaret, *modo recta capessens, Interdum pravis obnoxius*, ut ait Horatius Satyra 7. lib. 2. v. 7. Cicero pro Sex. Roscio Amerino: *Pater igitur amens, qui odisset eum sine caussa quem procreârat. At is quidem fuit omnium constantissimus.*

v. 4. *Aut* ] Aliis legere placet:

*Quin te cognôssem bene, constanterque putarem*
*Haud posse a turpi mentem inhibere probro.*

i. e. quod non animi tui pravitatem ac perversitatem cognoscerem, & quod non existimarem (id quod res erat) te obstinata mente vitia & probra persequi, neque ullo modo a scelerum turpitudine illam retrahere ac revocare posse. Quæ sententia & ipsa recta est. Ita Horatius Sat. 7. lib. 2. paullo ante memorata v. 6. dixit:

*Pars hominum vitiis gaudet constanter, & urget*
*Propositum - - - - -*

ibid. *A turpi mentem inhibere probro* ] Translatum videtur a re nautica. Etenim *remiges* dicebantur *inhibere*, cum intermisso impetu pulsuque remorum, navem concitatam, suopte motu & cursu ferri sinebant, eamque ad puppim convertebant; ut ex M. Tullio notissimum.

v. 5. *Sed quod nec matrem, n. g.* ] Sequor Guarini lectionem, ab Achille Statio probatam. In plerisque editionibus hic versus ita scribitur:

*Sed neque quod matrem, nec germanam &c.*

v. 6. *Cujus me m. edebat amor* ] Eodem pacto Horatius Ode 11. lib. 2. *edaces* appellat *curas*, quod animum exedant, & sollicitum habeant. *Dissipat*, inquit, *Evius Curas edaces*. Theocritus vero in Pharmaceutria v. 55. Amorem comparat cum hirudine, quod amantium sanguinem potet. ejus verba sunt:

*Αἰαῖ ἔρως ἀνιαρὲ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα*
*Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;*
*Hei mihi, tristis Amor: quid mihi atrum e corpore sanguinem*
*Veluti palustris hirudo inhærens, omnem exsuxisti?*

quod adolescens ille Plautinus Curculione Act. 1. Sc. 2. v. 64. puellæ tribuit quam perdite amat:

*- - - - Mittite istanc foras,*
*Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem.*

v. 7. *Tecum multo conjungerer usu* ] Et ideo propinquus quodammodo tuus videri possem. Vetus enim atque intima familiaritas ad cognatorum caritatem proxime accedit.

v. 8. *Non satis id caussa c. e. t.* ] Qui scilicet mulieribus consanguineis tantum adhinnire consuevisti.

Nnn v. 9.

Tu satis id duxti. tantum tibi gaudium in omni
Culpa est in quacumque est aliquid sceleris!

## X C.

LESBIA mî dicit semper male, nec tacet umquam
De me: Lesbia me, dispeream, nisi amat.
Quo signo? quasi non totidem mox deprecer illi
Assidue: verum dispeream, nisi amo.

XCI.

v. 9. *Tu satis id dûxti* ] Ita fere loquitur Seneca lib. 2. de Ira cap. 28. in re non dissimili: *Is qui nullius non uxorem concupiscit, & satis justam caussam putat amandi, quod aliena est, idem uxorem suam aspici non vult.*

v. 10. *Culpa est in q. e. a. sceleris* ] *Culpa* nomine gaudent leviora delicta, quæ vel vitio humanæ naturæ, vel negligentia parum caventur: at quæ mala mente, maloque animo ab iniquis hominibus perpetrantur, ea *scelera* solent appellari. Utitur Ovidius hac distinctione sæpenumero, ut iram Cæsaris Augusti procul a se amoliatur. Unum e multis exemplum proferam ex Elegia 3. lib. 1. Tristium:

*Cælestique viro, quis me deceperit error,*
*Dicite: pro culpa ne scelus esse putet,*

ARGUM. CARM. XC. ] Colligit, se amari a Lesbia, quamquam ab ea sibi offensa, probris omnibus assidue maledictisque vexetur; hoc argumento scilicet, quod ipse in illam totidem maledicta conjiciat, & nihilominus eam perdite amet.

v. 1. *Lesbia mî d. s. m.* ] Vide quæ superius adnotavimus ad Carmen 82.

v. 2. *Dispeream* ] Funditus peream, dii deæque malis exemplis me perdant, nisi Lesbia me amat. juramenti genus. Hanc porro hujus verbi significationem esse, indicant illa Plauti Casina Ac. 5. Sc. 3. v. 2.

*- - - Ita disperii.*
*Omnia palam sunt probra. omnibus modis occidi miser.*

Interdum addebant *male*. Idem scriptor in Persa Ac. 5. Sc. ult. v. 71.

*Male disperii. sciunt referre probe inimico gratiam.*

v. 3. *Quo signo?* ] Quo argumento id colligam, requiritis? Propertius Eleg. 6. lib. 3.

*Nimirum veri dantur mihi signa caloris.*

ibid. *Quasi non totidem m. deprecer illi* ] Hoc loco τὸ *quasi* δύναμιν habet εἰρωνικήν. Tullius pariter lib. 1. de Nat. Deorum: *Quasi aer sine ulla forma deus esse possit.* Hanc particulam eadem fere significatione alii scriptores per *tamquam* variaverunt. Virgilius Ecloga 10. v. 60.

*- - Tamquam hæc sit nostri medicina furoris.*

Ovidius Epist. Sapphûs v. 137.

*Antra nemusque peto, tamquam nemus antraque prosint.*

& Epistola Herûs v. 28.

*Impositas tamquam servet arena notas.*

Id autem sibi vult Catullus: Tamquam maledicta illa omnia quæ in me jacit Lesbia, non ego continuo a me rejiciam & in ejus caput convertam: nullo penitus de summa detracto. Hoc autem proprie est *deprecari*, ut recte animadvertit Josephus Scaliger, qui hujus Epigrammatis veram sententiam

uni-

# X C I.

NIL nimium studeo, Cæsar, tibi velle placere,
Nec scire utrum sis albus, an ater homo.

X C I I.

unice assecutus est. Ceterum, ita de Carmine quod interpretamur, A. Gellius lib. 6. Noct. Attic. cap. 16. *Quum esset verbum*, deprecor, *doctiusculi positum in Catulli carmine; quia id ignorabat*, ( rhetor nescio quis ) *frigidissimos versus esse dicebat, omnium quidem meo judicio venustissimos, quos subscripsi:* Lesbia mi dicit semper male *&c.* Deprecor, *hoc in loco vir bonus ita dictum esse putabat, ut plerumque a vulgo dicitur, quod significat valde precor & oro & supplico; in quo*, de, *præpositio ad augendum & cumulandum valet. Quod si ita esset, frigidi sane versus forent. Nunc enim contra omnino est: nam*, de, *præpositio, quoniam est anceps, in uno eodemque verbo diversitatem significationis capit; sic enim*, deprecor, *a Catullo dictum est, quasi detestor, vel exsecror, vel depello, vel abominor.* & inferius prope finem capitis: *Sit igitur Catullus eadem se facere dicit, quæ Lesbiam, quod & malediceret ei palam, respueretque & recusaret detestareturque assidue; & tamen eam penitus deperiret.* Male Vossius ex veteri libro Mediolanensi legebat: *quia sunt totidem mea. deprecor illam Assidue.* quem propterea non immerito castigat Jacobus Gronovius ad eum Gellii locum.

v. 4. *Dispeream, nisi amo* ] Copiosius hoc ipsum expressit poeta noster Carm. 45.

*Ni te perdite amo, atque amare porro*
*Omnes sum assidue paratus annos,*
*Quantum qui pote plurimum perire:*
*Solus in Libya, Indiaque tosta*
*Cæsio veniam obvius leoni.*

ARGUM. CARM. XCI. ] C. Julium Cæsarem, quamquam in Romana republica principem, a se contemni & floccifieri non dissimulat. De hoc disticho ita Quinctilianus Instit. Orat. lib. 11. cap. 1. *Negat se magni facere aliquis poetarum, utrum Cæsar ater an albus homo sit: insania. verte, ut idem Cæsar de illo dixerit, arrogantia est.* In quibus egregii rhetoris verbis animadvertendum est, cum a Catullo aperte nominando abstinuisse: quod non honori poetæ, verum despicatui potius, datum existimo. Quinctilianus enim turpiter Domitiano adulabatur, neque tyrannidem satis oderat, ut ex ejus monumentis manifestum est: propterea Julii Cæsaris contemtorem pari contemtu temunerari voluit. Ceterum, scitum est illud Jasonis in Euripidis Medea v. 457.

*Σὺ δ' ὐκ ἀνίεις μωρίαν, λέγυσ' ἀεὶ*
*Κακῶς τυράννυς - - - -*
*Tu vero non remittis stultitiam, semper dicens*
*Convicia dominis - - - -*

Sed fortasse, ut ait Vossius, Cæsare nondum rerum potito hæc litteris mandavit Catullus: & vestigia quædam morientis libertatis reliqua eo tempore adhuc erant. Hoc distichon male cum sequenti conjungit Scaliger: sunt enim dissimili admodum argumento.

v. 1. *Nil nimium* ] Ita scriptor Carminis in Priapum Epigr. 2.

*Horto carmina digna, non libello,*
*Scripsi non nimium laboriose.*

Et Epigram. 49.

*Non nimium casti carmina plena joci.*

ibid. *Studeo tibi velle placere* ] Tò *velle* hic abundat. πλεονασμός.

v. 2. *Nec scire, u. s. a. an a. h.* ]

# X C I I.

Mentula moechatur: moechatur mentula certe.
Hoc est quod dicunt: Ipsa olera olla legit.

Hunc versum ita legit Vossius ex vestigiis priscæ scripturæ:

*Nescio utrum sis albus, an ater homo.*
ut scilicet post vocem *nescio*, hiatus relinquatur; quales amat Catullus.

ibid. *Utrum sis albus, an ater homo*] Παροιμιώδης locutio, qua suam de homine aliquo ignorationem Latini veteres significabant. Plautus pariter Pseudolo Ac. 4. Sc. 7. v. 98.

*Quem tu Pseudolum, quas tu mihi prædicas fallacias?*
*Quem ego hominem nullius coloris novi.*
Vide Fridericum Taubmannum ad eum locum. Catullum porro imitatur Phædrus Fab. 15. lib. 3.

*Unde illa scivit, niger an albus nasceret?*
Hoc postea ad contemtum indicandum translatum fuit. *Nescio quis*, eamdem propemodum vim habet. Polyphemus Ovidianus lib. 13. Metam. v. 843.

- - *Nam vos narrare soletis*
*Nescio quem regnare Jovem.* - -

Cyclops enim arrogans & confidens, Jovis imperium se ignorare vel certe negligere profitetur. Sunt qui putent, Catullum Cæsari παιδεραστίαν, qua is laboraret, hoc disticho tacite objicere voluisse: quod nempe ad exoletos pertineret, exploratum habere, albane an atra cutis Julio esset. Interdum homo improbus, malignus, pravis moribus, ater seu niger vocatur. Horatius Satyra 4. lib. 1. v. 81. hujusmodi hominem ita describit:

- - - *Absentem qui rodit amicum;*
*Qui non defendit, alio culpante; solutos*
*Qui captat risus hominum, famamque dicacis;*
*Fingere qui non visa potest; commissa tacere*
*Qui nequit: hic niger est: hunc tu, Romane, caveto.*

Eodem pertinere videntur illa ejusdem poetæ Satyra 3. lib. 2. v. 246.

*Quorsum abeant? sanin' creta, an carbone notati?*
ut ex vetustis codicibus legit acutissimus Bentlejus.

Argum. Carm. XCII. ] Nobilem quemdam iis temporibus adulterum flagitia sua excusantem inducit, quod non ipse, verum ea pars qua vir esset, alienis uxoribus vitiandis operam daret. Catullus vero hujusmodi excusationem, tamquam ineptam, irridet: aitque, proverbium illud vulgo tritum in eum optime convenire: *Ipsa olla legit olera.* quod originem duxisse videtur a fure quodam hortensi, qui manifesto in furto deprehensus, culpam a se amoveret, atque in ollam conferret qua olera furtiva excepisset. Hunc locum a viris doctis mire vexatum sic interpretatur Achilles Statius; in cujus explicatione, simplici & minime contorta, libenter acquiesco. Non desunt qui contendant, his versiculis Mamurram, præfectum fabrûm C. Cæsaris, ejusque familiarissimum, insignem illum decoctorem, atque inexplebili hominem libidine, a Catullo perstringi, quem caudæ salacis nomine appellet, uti superius Carm. 29. & infra Carm. 112. & 113. Quod si probaverimus, hujus distichi ea sententia erit: Cæsar negat, se Mamurræ flagitia præstare debere, aitque, illum esse qui matronarum pudicitiam

pe-

# XCIII.

ZMyrna mei Cinnæ nonam post denique messem
Quam

pecunia expugnet. respondet vero Catullus: Quæcumque peccet Mamurra, ea ipsi Cæsari attribuenda. Perditum enim nebulonem Cæsar in intimam familiaritatem receperat, spoliis provinciarum & fortasse proscriptione civium locupletaverat: deinde communes cum eo amores exercebat, atque illi scorta undique conquirebat, quod colligas e Carmine 57. Iccirco Mamurra sinistræ ejus liberalitatis fructum percipiebat, injecta devorabat tamquam olla quædam, & ope Cæsaris nixus, ac fronte perfricta, strenue mœchabatur, & nullius non civis honesti, dummodo ei collibuisset, lectum perambulabat.

v. 1. *Mentula mœchatur* ] Verba sunt adulteri, μιμητικῶς prolata.

ibid. *M. m. certe* ] Catulli responsio est, concedentis id verum esse, at nihil ejus caussam juvare.

v. 2. *Quod dicunt* ] Τὸ λεγόμενον. Propertius eodem pacto Elegia 13. lib. 2. E. B.

*Ah pudeat certe, pudeat, nisi forte, quod ajunt,*
*Turpis Amor surdis auribus esse solet.*

ibid. *Ipsa olera olla legit* ] Vossius: *Ipsa olere olla facit*. qui doctissimus vir nescio quæ turpia hic comminiscitur; at perperam, mea sententia.

Argum. Carm. XCIII. ] C. vel Q. Cornelii Helvii Cinnæ, optimi poetæ, sodalis sui, Zmyrnam, poema doctissimum, pluriumque annorum spatio accuratissime elaboratum, laudibus exornat: contra, Hortensii, mediocris poetæ, nimiam in scribendis carminibus celeritatem & copiam irridet; Volusii quoque Annales brevi admodum interituros prædicit. Postremo, parva sed numeris omnibus absoluta poemata longis, verbosis, & inconditis, qualia olim Antimachi fuerunt, longe anteponit.

v. 1. *Zmyrna* ] Hæc est hujus nominis orthographia, ut ex vetustis codicibus notæ melioris, nummis, inscriptionibus, & præterea Scholiis in Homerum Vossius ostendit. Sic *zmaragdos* quoque, pro *smaragdos*, & alia vocabula Græcæ originis quæ a duabus consonantibus *sm* inciperent, semper a veteribus fuisse scripta, docet Janus Broukhusius ad Propertium Elegia 13. lib. 2. v. 43. e recensione Scaligeri. Porro, argumentum poematis Cinnæ a Catullo memorati, Parthenius existimat fuisse Zmyrnæ cujusdam Amazonis res præclare gestas: rectius tamen alii conjiciunt, eo carmine, Myrrhæ incestum amorem erga Cinyram parentem suum a Cinna descriptum. Et sane lacrimam arboris in quam scelerata illa mulier a diis versa perhibetur, σμύρνην Græci appellant.

ibid. *Mei Cinnæ* ] Quem poetam plurimi faciebat Virgilius cum Bucolica pararet: natu majorem, ut videtur. sic enim de illo Ecloga 11. v. 35.

*Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna*
*Digna, sed argutos inter strepere anser olores,*

De eodem ita Servius Honoratus ad allatum Maronis locum: *Etiam Cinna poeta optimus fuit, qui scripsit Zmyrnam, quem libellum decem annis elimavit*. Obscurum tamen poema fuit Zmyrna, & recondita eruditione plenum; ad cujus propterea sententias eruendas Delio na-

Quam cœpta est, nonamque edita post hiemem,
Millia quum interea quingenta Hortensius uno
* * * * * *
* * cavas barathri penitus mittetur ad undas.
Zmyrnam incana diu sæcula pervoluent.

natatore opus esset, & quod sine interpretis opera a minus doctis vix intelligi posset, si Martialem audimus Epigram. 21. lib. 10. quod hic subjungere non pigebit:

*Scribere te qua vix intelligat ipse Modestus,*
*Et vix Claranus; quid rogo, Sexte, juvat?*
*Non lectore tuis opus est, sed Apolline, libris:*
*Judice te major Cinna Marone fuit.*
*Sic tua laudentur: sane mea carmina, Sexte,*
*Grammaticis placeant, & sine Grammaticis.*

Nam certe *L. Crassitius*, litterator egregius, teste Suetonio de Illustribus Grammaticis cap. 18. *Commentario Zmyrna adeo inclaruit, ut hac de eo scriberentur:*

*Uni Crassitio se credere Zmyrna probavit.*
*Desinite, indocti, conjugio hanc petere.*
*Soli Crassitio se dixit nubere velle,*
*Intima cui soli nota sua exstiterint.*

Edidit præterea Cinna Epigrammata lasciva & procacia, ut ex Ovidio constat lib. 2. Tristium v. 435.

*Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior Anser.*

Ea *illepida* Græci quidam vocant apud A. Gellium lib. 19. cap. 9. jure an injuria, nescias. Ceterum, post hoc distichon in vetustis Catulli exemplaribus a se inspectis lacunam fuisse testatur Muretus. & profecto nonnulla desiderari videntur.

ibid. *Denique* ] Utimur hac particula cum aliquid diutius exspectatum, in lucem produci videmus. Exempla obvia.

v. 2. *Nonamque edita post hiemem* ] Tempestates annorum pro ipsis annis usurpare solent poetæ. Horatius Ode 11. lib. 1.

*Seu plures hiemes, seu tribuit Juppiter ultimam.*

v. 3. *Millia quingenta* ] Αἰαειδμωμ. Numerum finitum pro infinito posuit.

ibid. *Hortensius* ] Q. Hortensium, egregium illum oratorem, carminibus etiam sæpius lusisse, docemur a Plinio Cæcilio Epist. 3. lib. 5. quæ tamen carmina Græci nonnulli apud A. Gellium lib. 19. cap. 9. *invenusta*, Ovidius Tristium lib. 2. v. 441. propter argumentorum lasciviam, *improba* appellat:

*Nec minus Hortensî, nec sunt minus improba Servî*
*Carmina* - -

v. 4. * * * * ] Hoc loco versiculus desideratur. Sed Antonius Parthenius Veronensis, vir alioqui de Catullo præclare meritus, qua erat adversus eximium civem caritate, hunc illi de suo largitus est:

*In pede stans fixo carmina ructat hians.*

Cui, nisi me candor & probitas hominis deterreret, illud Terentii Eunucho Ac. 4. Se. 3. v. 9. libenter occinerem: *Abi hinc quo dignus, cum donis tuis tam illepidis.*

v. 5. * * ] Hujus hexametri ἀκρόστιχον, seu primam vocem, in M S S. deesse monet Vossius. reliqua porro ejusdem versus pertinent non ad Zmyrnam Cinnæ, quam probat Catullus & laudat, verum ad ineptum aliquod alterius poetæ carmen, cujus nomen excidit vetustate corrosum.

ibid.

At Volusî Annales Aduam morientur ad ipsum,
Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.
Parva mei mihi sunt cordi monimenta * *
At populus tumido gaudeat Antimacho.

XCIV.

ibid. *Cavas barathri p. m. ad undas* ] Oblivioni dabitur, Lethea voragine submergetur: vel in terram defodietur, ne Solis luce frui possit. Fortasse totum hunc versiculum ita constituerat poeta:

*Illa cavas barathri penitus mittentur ad undas.*

nimirum carmina Hortensii, de quibus paullo ante. Vulgo legunt *Atacis* pro *barathri*. Atax porro Thessaliæ fluvius est. Ea tamen lectio satis friget.

v. 6. *Incana sæcula* ] I. e. valde cana. siquidem particula *in* aliquando non στερητικὸν est, sed ἐπιτατικόν. Eodem pacto Virgilius lib. 6. Æneid. v. 810. de Numa Pompilio: *Nosco crines incanaque menta Regis Romani*. videlicet barbam canitie venerabilem.

ibid. *Pervoliient* ] Vox tetrasyllaba per diæresin. Ita superius, Elegia de Coma Berenices v. 38.

*Pristina vota novo munere dissoliio.*

v. 7. *Volusî Annales* ] Vide Carmen 36.

ibid. *Aduam morientur ad ipsum* ] Vossii lectionem sequor, quæ concinna & apta mihi videtur. *Adua* Transpadanæ regionis flumen est, quod Polybius Α'δόας, Strabo Α'δούας vocat, eodem Vossio teste. Hoc nomen auctores ævi deterioris duplici *d* scripserunt. Videtur propterea Volusius e Transpadana fuisse regione. Ceterum, Josephus Scaliger malebat: *apuam porgentur ad ipsam*; apua enim pisciculi genus; quos pisciculos muria conditos chartis ineptis amiciebant, uti & hodie fit. Hoc enim fatum est malorum librorum. Jocose Martialis in præfatione Xeniorum, ait se scribere,

*Ne toga cordyllis, ne paenula desit olivis.*

cordyllæ porro minuti erant thynni, qui venibant apud salsamentarios. Alii hoc loco *Paduam* legunt, inepte ac barbare. hoc enim vocabulum pro *Patavio* bonis temporibus inauditum. Non displicet Passeratii conjectura; qui legendum suspicatur - - - *Capuam morientur ad ipsam*. - - - *Fuit enim Seplasia Capuæ*, ait vir doctus, ( nempe forum unguentarium ) *ubi odores & unguenta venibant, quibus involucra præbebant infelices chartæ*. Et sane Horatius Epist. 1. lib. 2. sub finem:

*Cum scriptore meo capsa porrectus aperta*
*Deferar in vicum vendentem tus & odores,*
*Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.*

quamquam ibi Flaccus de Romano aliquo vico, non de Seplasia Capuæ loquatur.

v. 8. *Laxas scombris s. d. tunicas* ] *Laxas* dixit, quod Volusii Annalium volumina prolixa admodum essent, atque ex ingentibus chartis confecta, in quibus nimirum inter πρωτόκολλος atque ἐσχατόκολλον schedæ plurimæ conglutinatæ essent.

ibid. *Scombris dabunt tunicas* ] Martialis pariter Epigram. 87. lib. 4.

*Nec scombris tunicas dabis molestas.*

v. 9. *Parva mei m. s. c. m.* * * ] Si Vossium audimus, deest vox ultima in hoc versu. Nonnulli porro post τὸ *monimenta*, legunt *sodalis*: nonnulli, *laboris*. Videtur Catullus hoc loco parva sed absoluta poemata ingentibus & insulsis anteponere voluisse.

ibid. *Mihi sunt cordi* ] Animo sedent. ut Nonius Marcellus explicat illud C. Lucilii e libro 26. Satyr.

Et

# XCIV.

SI quicquam mutis gratum acceptumve sepulcris
Accidere a nostro, Calve, dolore potest,

Quo

*Et quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet.*

v. 10. *Tumido gaudeat Antimacho* ] Colophonio vel Clario, qui belli Thebani historiam ab ovo, ut ajunt, orsus est, ac pluribus carminum libris complexus. Hujusmodi autem poemata, in quibus λέξεων μὲν πομπὸς, τῷ δὲ σαλαγμὸς, docti homines fastidiunt, imperiti contra plausu & clamoribus prosequuntur. *Antimachum* porro *tumidum* Catullus vocavit, fortasse quod ejus versus cum Homericis comparati, essent *inopes rerum, nugaque canora*. Ejus vitii accusat Horatius Crispinum quemdam, sui temporis malum poetam, sic eum allocutus Satyra 4. lib. 1. v. 19.

*At tu conclusas hircinis follibus auras,*
*Usque laborantes dum ferrum emolliat ignis,*
*Ut mavis, imitare - - - -*

Argum. Carm. XCIV. ] C. Licinius Calvus, orator & poeta egregius, Catulli perfamiliaris, Quintiliam puellam formosam vehementer amaverat, eamque in ipso ætatis flore acerbo funere sibi præreptam, elegis deplorabat: quod colligas ex Propertii Elegia ultima libri secundi. Hos igitur elegos laudat Catullus, aitque, Quinctiliæ non tanto dolori immaturam fuisse mortem, quanto ei solatio sint pietas atque ingenium amatoris, quibus futurum est ut nomen vita functæ ab oblivione hominum ac silentio vindicetur.

v. 1. *Si quicquam m. gratum a. sepulcris* ] Dubium enim erat veteribus, an aliquis mortuis sensus eorum superesset quæ a viventibus gerantur. Pedo Albinovanus ad Liviam Augustam v. 469.

*Hæc sentit Drusus, si quid modo sentit in umbra.*

ibid. *Mutis sepulcris* ] Propertius pariter in calce Elegiæ 1. lib. 2.

*Taliaque inlacrimans mutæ jace verba favillæ.*

Tibullus vero prior Elegia ultima lib. 2.

*Et mea cum muto fata querar cinere?*

ibid. *Sepulcris* ] *Sepulcra* usurpavit pro sepultorum ossibus. Audi Servium ad lib. 2. Æneidos. *Funus*, inquit, *ardens cadaver; quod dum portatur, exsequias dicimus; crematum, reliquias; conditum jam, sepulcrum.* Non solum autem illos qui e vita excesserant, verum etiam senes capulares, ausque vix animam sustinentes, *busta* & *sepulcra* veteres appellabant. Auctor liberi Carminis Epigr. 57.

*Cornix, & caries, vetusque bustum,*
*Turbâ putrida facta sæculorum;*
*Quæ forsan potuisset esse nutrix*
*Tithoni, Priamique, Nestorisque,*
*Illis ni pueris anus fuisset.*

Hujusmodi porro spirantia cadavera, Græci vocabant τυμβογέροντας, ut ad eum locum Josephus Scaliger animadvertit.

v. 2. *Accidere a n. dolore p.* ] Locutio elegans, cui similis est illa Ciceronis Epist. 4. lib. 1. ad Atticum: *Nam mihi omnia quæ jucunda ex moribus alterius hominis accidere possunt, ex illo accidebant.*

v. 3.

Quo desiderio veteres renovamus amores,
  Atque olim amissas flemus amicitias:
Certe non tanto mors immatura dolori est
  Quintiliæ, quantum gaudet amore tuo.

## X C V.

Non, ita me dî ament, quicquam referre putavi,
  Utrum os an culum olfacerem Æmilio.

Nil

v. 3. *Quo desiderio* ] Cujusmodi dolore quo desiderium significamus. Horatius Ode 24. lib. 1.

*Quis desiderio sit pudor aut modus*
*Tam cari capitis? - - -*

Alii malunt legere: *Quum desiderio*.

ibid. *Veteres renovamus amores* ] Tibullus hoc imitatus videtur Elegia 4. lib. 1.

*Atque aliquis senior, veteres veneratus amores,*
*Annua constructo serta dabit tumulo.*

v. 4. *Olim a. f. amicitias* ] Joannes Livinejus putat, eodem pacto dictum a Catullo *olim-amicitias*, ut a Virgilio *ante-malorum*; a Terentio *semper-lenitas*; a Propertio *semper-amicitia*; a Valerio Flacco *olim-annis*. cui suspicioni pæne assentior. Erunt igitur *olim-amicitiæ*, αἱ πάλαι φιλίαι.

v. 5. *Non tanto mors i. d. e. Q.* ] Contrariam huic sententiam continet ἐπιτάφιον honestæ mulieris, quod Romæ servari perhibent. id ejusmodi est:

*Illa ego quæ claris fueram prælata puellis,*
*Hoc Homonœa brevi condita sum tumulo.*
*Cui formam Paphia Charites tribuere decoram,*
*Quam Pallas cunctis artibus erudiit.*
*Nondū bis denos ætas mea viderat annos,*
*Injecere manus invida fata mihi.*
*Nec pro me queror hoc: morte est mihi tristior ipsa*
*Mœror Atimeti conjugis ille mei.*

Quæ tamen inscriptio, ne id quod sentio dissimulem, videtur mihi a docto quodam viro sæculi a Christo nato XVI. ad antiquarum exemplum concepta, & pro veteri supposita. est enim profecto elegantiæ nimis accuratæ: & vix e germanis inscriptionibus versu conscriptis aliquam reperias quæ verborum delectu ac proprietate cum ea certare possit. Initium porro sumtum est ex Ovidii lib. 4. Metam. v. 56. ubi sic de Thisbe:

*Altera, quas Oriens habuit, prælata puellis.*

Argum. Carm. XCV. ] Æmilium quemdam, e Romana, ut videtur, nobilitate, hominem oris graveolentis & impuri, qui tamen opinionis errore se venustum existimans, puellas consectabatur, earumque benevolentiam captabat, obscœnis jocis atque e trivio petitis incessit.

v. 1. *Ita me dî ament* ] Juramenti genus. Plautus Amph. Ac. 2. Sc. 1. v. 50.

*Neque, ita me dî ament, credebam primo mihimet Sosiæ.*

& alibi apud Comicos. Itali dicimus: *se Dio m' ajuti*. Achilles Statius hoc loco animadvertit, veteres poetas aliquando non elidere I longum, vocali sequente in proxima voce. Virgilius Pharmaceutria v. 107.

*Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?*

v. 2. *Utrum os* ] Legunt alii: *Utrum-*

Nil immundius hoc, nihil est immundius illo:
  Verum etiam culus mundior, & melior.
Nam sine dentibus est. hoc dentes sesquipedales,
  Gingivas vero ploxemi habet veteris.
Præterea rictum, qualem defessus in æstum
  Mejentis mulæ cunnus habere solet.
Hic futuit multas, & se facit esse venustum.
  Et non pistrino traditur, atque asino?

Quem

*ne os*, ut mensuræ pentametri consulatur. Non tamen id necessarium est: hoc enim versu post cæsuram *um*, hiatus relinquitur. Ita Lucilius in Satyris apud Nonium, verbo *Gladium*:

*Hærebat mucro, gladium in pectore totum.*

quamquam & ibi nonnulli docti viri legere ament: *gladiumque*. Ceterum Epigrammata pænultimum & postremum capitis 14. lib. 2. Anthologiæ, hujus Catulliani non dissimilia sunt.

v. 3. *Nil immundius hoc* ] Hic quoque variant codices manu exarati, atque editiones. Fortasse totum distichum ita constituendum:

*Nil immundius hoc, nihil ore immundius: illo*
*Verum etiam culus mundior, & melior.*

Sic enim sententia fit aptior, neque multum disceditur a vestigiis priscæ scripturæ.

v. 4. *Melior* ] Minus fœdus, vel innoxius magis.

v. 5. *Dentes sesquipedales* ] Qui singuli pedem cum dimidio longi sint. ὑπερβολή. Dentes autem illorum qui gingivas laxas & exulceratas habent, majores videntur: nam quod in iis carne opertum esse debuerat, id apparet.

v. 6. *Gingivas ploxemi h. veteris* ] Nimirum cariosas, vel suppuratas. quod vitium gingivarum παρουλίδας & ἐπουλίδας medici veteres, præsertim Paulus Ægineta, solent appellare: ut Vossius monuit.

ibid. *Ploxemi veteris* ] *Ploxemum capsa* est *in eisio*, auctore Pompejo Festo. Vox fuit circumpadana, si Quinctilianum audimus lib. 1. Instit. Orator. cap. 5. At hæc jam tralatitia & vulgata.

v. 7. *Rictum* ] Oris hiatum ab uno labiorum angulo ad oppositum. Italice, *l'apertura della bocca*. Hunc Anacreon Ode 2. χάσμ' ὀδόντων in leonibus appellavit.

ibid. *Defessus in æstum* ] Elegans ἀρχαϊσμός, ut Scaliger docet, pro *in æstu*. Vossius legit: *defissus in æstum*.

v. 9. *Se facit esse venustum* ] Fingit ac sibi persuadet, id quod non est, se dignum esse ob venustatem qui a puellis ametur & in sinu feratur. Italice diceres: *Ei fa conto d'essere un' uom di garbo, il cucco d'ogni fanciulla*. Cicero Epist. 18. lib. 15. ad Famil. *Facio me alias res agere*.

v. 10. *Pistrino* ] Ad molendum. in pistrinum autem detrudebantur ancillæ ac servi nequam, qui cessavissent, vel aliquid suffurati fuissent; quod vel ex Plauti Comœdiis manifestum.

ibid. *Atque asino* ] Molarem lapidem superiorem, ὄνον a Græcis, nempe *asinum*, vocatum, Xenophontis testimoniis, Hesychii, Julii Pollucis, ostendunt Statius & Vossius. iccirco *tradi asino*, fuerit versandæ molæ asina-

riæ,

Quem siqua attingit, non illam posse putemus
Ægroti culum lingere carnificis?

## XCVI.

IN te, si in quemquam, dici pote, putide Vetti,
Id quod verbosis dicitur, & fatuis:

Ista

riæ, ὀνικῷ μύλῳ, destinari. Plures porro machinas ad usum vitæ comparatas antiqui nominibus animalium significabant. Ita subterranei meatus & fornacium canales, *cuniculi* dicti sunt. *Catellus* erat ferrei vinculi genus: *equuleus*, tormentum illud insigne in quo rei supini extendebantur, & fidiculis contentis misere torquebantur. Machinam porro tractoriam e tereti ligno vectibus trajecto ad attollenda pondera, *suculam*, a scrophæ similitudine dixerunt: quod nimirum & hæc machina suum *porculum* haberet, nempe batillum vel uncum in medio fixum, ut funem teneret qui circum suculam plicabatur, dum ea versaretur. Vide Catonem cap. 19. de R. R. & Budæum in Annotationibus ad Pandectas. *Cervi* dicebantur furcæ ligneæ ramosæ ad sustinenda ædificia rustica, vel ad impediendos & retardandos hostium incursus. de quibus Tibullus Panegyrico ad Messalam v. 84.

*Qualiter adversos hosti defigere cervos.* His non dissimiles, puto, sunt quos hodie vocamus, *cavalli di Frisa*. Eodem pacto κάμηλον, Græci appellabant nauticum funem, fortasse quod gibbum præferat instar *cameli*, dum a nauta circumvolvitur. Item κορώνην, i. e. *cornicem*, vocabant anulum ferreum quo januam pulsabant, & quicquid etiam incurvum esset, propterea quod rostrum cornicis, figurâ imitaretur. In mundo quoque muliebri erant *murenulæ*, nempe armillæ quædam seu περιδέξια, a murena pisce appellationem sortitæ, quas memorat vulgatus divinarum litterarum Interpres Numerorum cap. 31. v. 50. Cantici Canticorum cap. 1. v. 10. Isaiæ cap. 3. v. 20. Plura hujus generis afferri possent; verum hæc satis fuerint.

v. 11. *Quem siqua attingit* ] Par est indignatio illa Tibulli Elegia 10. l. 1.

*Huic tamen accubuit noster puer. hunc ego credam*
*Cum trucibus Venerem jungere posse feris.*

v. 12. *Ægroti carnificis* ] Sordentis & marcidi ab immundo & periculoso tractandorum cadaverum officio. Vespillones & carnifices, tamquam plebis fæcem, simul conjungit Martialis Epigr. 61. lib. 2.

*Postquam triste caput fastidia vespillonum,*
*Et miseri meruit tædia carnificis.*

Carnifex porro ex eo dictus videtur, quod e vivis corporibus carnes faciat anima & vita destitutas.

ARGUMEN. CARM. XCVI. ] In L. Vettium, equitem Romanum, hominem lingua venali, optimatum inimicum, calumniis & accusationibus nobilem, hoc Epigramma scriptum est, ut existimat Justus Lipsius Variarum Lectionum lib. 3. cap. 5. Hic enim subornatus & instructus a Cæsare consulatum gerente, dedit operam ut cum telo a lictoribus deprehenderetur. Cum vero ab eodem Cæsare, de composito, prius in senatum introductus, de-

Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis
Culos & crepidas lingere carbatinas.

Si

inde in rostra ad populi concionem productus fuisset, fidem publicam utrobique postulavit, ut ea quorum conscius esset, impune sibi indicare liceret. Venia impetrata, fassus est, se una cum servis, Pompeji occidendi caussa, telum sub veste habuisse; ac tam atrocis facinoris socios, senatorum amplissimos, & omnem fere nobilem juventutem nominavit. Quod Cæsar commentus fuerat, ut non solum Pompejum, sed præterea plebem Romanam, quæ Pompeji virtutibus mire favebat, senatui & optimatum caussæ infensam efficeret. Insidiæ tamen & calumniæ parum processerunt, ut videre est apud Ciceronem Epist. 24. lib. 2. ad Atticum, ubi orator egregius rem copiosius persequitur. Vatinius etiam Ciceronis inimicus, per eumdem indicem Vettium, cui amplissima præmia proposuerat, ipsum oppugnavit, quem in concione, de illo & de clarissimis civibus interrogavit, an videlicet compertum haberet, eos adversus Cn. Pompejum conjuravisse. Postremo neque a Cæsare abstinuit homo impurus, eumque inter socios Catilinæ nominavit apud Nonium Nigrum quæstorem, teste Suetonio in Julio cap. 17. Quapropter Cæsar calumniatorem in carcerem conjecit, ac deinceps seu veneno, seu cervicibus fractis e medio sustulit: adnitente Vatinio, ne quod indicium corrupti judicii exstaret, ejusque sceleris in ipsum Vatinium quæstio flagitaretur. Vide Ciceronem in Vatinium & pro Sextio. Nihil igitur mirum, si homini tam periculoso animæ atque oris fœditatem Catullus objicit, ejusque letiferam facundiam conviciis consectatur.

v. 1. *Pote* ] Pote est, potest.

ibid. *Putide* ] Olide, graveolens. vel odiosa & molesta oratione. Cicero lib. 3. de Oratore: *Spero hac vobis molesta & putida videri*.

v. 3. *Ista cum lingua* ] Hoc erat quod Romæ vulgo dici solebat verbosis & fatuis. *τὸ cum* abundare videtur, sed tamen eleganter adjungitur, & interdum vim quamdam sententiæ conciliat. Ennius pariter apud A. Gellium lib. 7. cap. 2.

*Hannibal audaci cum pectore dehortatur,*
*Ne bellum faciam - - - -*

Idem lib. 17. Annal. apud Macrobium Saturnal. lib. 6. cap. 2.

*Concurrunt, veluti venti cum spiritus Austri*
*Imbricitor Aquiloque suo cum flamine contra*
*Indu mari magnos fluctus extollere certant.*

Claudius Quadrigarius apud eumdem lib. 9. cap. 13. *Cum voce maxima conclamat, si qui secum depugnare vellet, uti prodiret*. Lucretius lib. 5. v. 353.

*- - Quia sunt solido cum corpore - -*

Terentius Eunucho Ac. 1. Sc. 2. v. 73.

*Egon' quicquam cum istis factis tibi respondeam?*

Sed hoc paullo diversum est.

ibid. *Si usus veniat tibi* ] Si tibi defuerit peniculus aut spongia. Antiqui mensam detergebant, pulveremque e supellectili excutiebant cauda bubula, quam peniculum vocabant. Lepide Plautus Menæchmis Ac. 1. Sc. 1. verbis parasiti:

*Juventus nomen fecit peniculo mihi,*
*Ideo quia mensam, quando edo, detergeo.*

Spongiâ vero partes obscœnas mundabant cum irent quo saturi solent.

v. 4. *Crepidas carbatinas* ] Rusticorum calceos, e crudo ac recenti corio con-

Si nos omnino vis omnes perdere, Vetti,
Hiscas: omnino quod cupis, efficies.

XCVII.

confectos, cujus odor intolerabilis: præterea luto ac jumentorum stercore illitos. Hujusmodi soleas a Caribus nomen duxisse, auctor est Julius Pollux Onomastici lib. 7. cap. 22. Καρπατίνη, inquit, ἄγροικον μὲν ὑπόδημα κληθὲν ἀπὸ Καρῶν. *Carbatina rusticum est calceamentum, a Caribus ita appellatum.* quem locum Pollucis attulit Vossius. Lectionem hanc veterem ac probam recte olim defendit Angelus Politianus Miscellaneorum cap. 2. cui frustra adversati sunt viri docti nonnulli, monstra verborum pro ea supponentes; præcipue Marullus, non malus quidem poeta, sed infelix Criticus, acerbo quodam Epigrammate in Politianum, hominem ipsi doctrina & magnitudine ingenii longe præferendum; cui ob alias caussas infensus erat.

v. 6. *Hiscas* ] Legeram olim *Dicas*, & hunc versum ita explicaveram: Eloquere tantum, o Vetti, & illico putidi oris tui spiritu perculsi, tamquam veneno aut pestilentia afflati, peribimus: vel molestia verborum jugulati concidemus. Attuleramque ad posterius hoc confirmandum illa Horatii e Sat. 9. lib. 1. v. 29. maxime festiva:

*Confice: namque instat fatum mihi triste, Sabella*
*Quod puero cecinit divinâ motâ anus urnâ:*
*Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,*
*Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra:*
*Garrulus hunc quando consumet cumque: loquaces,*
*Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit ætas.*

Porro, quid sit *dicere*, explicat Cicero lib. 3. de Oratore his verbis: *Neque enim conamur docere eum dicere qui loqui nesciat: nec sperare, qui Latine non possit, hunc ornate esse dicturum. Dicere* igitur est ornate loqui. Nunc vero mutata sententia, Vossium sequor legentem, *Hiscas*. nempe, os tantum aperi. Et sane in codice Ecclesiæ Patavinæ quo utor, scriptum exstat *Discas*; corrupte quidem, sed quod sit indicium veræ lectionis. nemo enim eruditorum ignorat, litteras primarum vocum in versu principes ab imperitis librariis temere commutari consuevisse. Ceterum, quod hic Vettio Catullus tribuit, nempe tollendorum hominum facultatem, si tantum labia diduxisset, id de Pompejo Rufo, delatorum sævissimo temporibus Domitiani, tradit Juvenalis Satyra 4. v. 109.

- - - - *Savior illo*, inquit,
*Pompejus tenui jugulos aperire susurro.*

garriens nimirum in aurem suspicioso & crudeli domino.

ibid. *Quod cupis, efficies* ] Seneca Rhetor Controversia 9. loqnens de Gallo Vibio, insano declamatore: *In hac controversia plane quod voluit, consecutus est, ut divitias nobis in odium adduceret. Sæpe enim ingessit: Divitias describere volo.* Noster supra Carmine 73.

*Quod voluit, fecit* - - - -



## XCVII.

Surripui tibi, dum ludis, mellite Juventi,
Saviolum dulci dulcius ambrosia.
Verum id non impune tuli. namque amplius horam
Suffixum in summa me memini esse cruce:

Dum

Argum. Carm. XCVII. ] Juventio, nobili & formoso puero, ipsi ob surreptum osculum inter ludendum, valde irato, pollicetur, se numquam tale aliquid in posterum commissurum.

v. 1. *Surripui t. saviolum* ] Amantium ineptiæ. Sic Horatius Ode 12. lib. 2.

*Dum flagrantia detorquet ad oscula*
*Cervicem: aut facili sævitia negat,*
*Quæ poscente magis gaudeat eripi;*
*Interdum rapere occupet.*

ibid. *Dum ludis* ] Puta, in campo Martio, quo conveniebant Romani adolescentes, ut corpus armis, equitatu, natatione exercerent: campum enim Tiberis præterfluebat. Ad eum porro locum frequentes ibant & veteres illi scarabæi, ut puerorum quos amabant, conspectu oculos atque animum delectarent. Vide Tibullum Elegia 4. lib. 1. *Ludere* autem præcipue dicebant de gladiatoria exercitatione. Tibullus ibidem:

*Si volet arma, levi tentabis ludere dextra.*
*Sæpe dabis nudum, vincat ut ille, latus.*

ibid. *Mellite* ] Superius, Carm. 48. *mellitos* ejus *oculos* appellavit.

v. 2. *Dulcius ambrosia* ] Lucianus in Dialogis Deorum, Junonem inducit Jovi fœdum Ganymedis amorem ita exprobrantem: *Καὶ τὸ φίλημά σοι ἥδιον τοῦ νέκταρος. Ipsoque nectare tibi suavius est hoc osculum.*

v. 3. *Non impune tuli* ] Supra Carm. 77. *Verum id non impune feres.* Propertius Elegia 4. lib. 1.

*Non impune feres. sciet hæc insana puella.*

ibid. *Amplius horam* ] Adverbia *amplius, plus, & minus*, tempori, spatio, numero accommodata, quartum aliquando casum regunt. Virgilius Ecloga 3. v. 105.

*Tres pateat cæli spatium non amplius ulnas.*

Plautus Sticho Ac. 1. Sc. 3. v. 6.

*At ego illam in alvo gesto plus annos decem.*

Varro de R. R. lib. 3. cap. 2. *Agrum minus dena millia reddere, villam plus vicena.*

v. 4. *Suffixum in summa cruce* ] Horatius Sat. 3. lib. 1. v. 80.

*Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus*
*Semesos pisces, tepidumque ligurrierit jus,*
*In cruce suffigat - - - - - -*

Hirtius de Bello Africano cap. 66. *Postero die*, inquit, *Juba Numidas eos qui loco amisso fuga se receperant in castra, in cruce omnes suffixit.* Suetonius in Julio cap. 74. *Piratas a quibus captus est, cum in deditionem redegisset, quoniam suffixurum se cruci ante juraverat, jugulari prius jussit, deinde suffigi.* Cruces autem, quibus damnati alligabantur, in excelso aliquo loco statui solebant, ut longius conspicerentur. propterea fortasse Catullus dixit *summa cruce.*

v. 5.

Dum tibi me purgo, nec possum fletibus ullis
  Tantillum vostræ demere sævitiæ.
Nam simul id factum est, multis diluta labella
  Guttis abstersti omnibus articulis:
Ne quicquam nostro contractum ex ore maneret,
  Tamquam comminctæ spurca saliva lupæ.

Præ-

v. 5. *Tibi me purgo* ] Excuso nimirum, in amoris violentiam omnem surrepti osculi culpam conferens. Cicero Epist. 27. lib. 7. *Libenter tibi me purgâssem.*

v. 6. *Tantillum* ] Vel minimum, vel unguem transversum. Cicero Tuscul. 2. *Non sentiunt viri fortes in acie vulnera: vel sentiunt, sed mori malunt quam tantillum modo de dignitatis gradu dimoveri.*

ibid. *Vostra sævitia* ] Totum genus formosorum crudelitatis accusat: iccirco inquit, *vostra*, quamquam unum alloquatur. Ita Sannio leno apud Terentium Adelphis Ac. 2. Sc. 1. v. 11. Æschinum adolescentem alloquitur.

*Novi ego vestra hæc: Nollem factum: jusjurandum dabitur, te esse*
*Indignum injuria hac - - - - -*

i. e. probe novi, quomodo vos divites & potentes homines pauperioribus satisfacere soliti sitis, cum eos affecistis injuria. Achilli Statio non assentior, qui putat, Catullum *vostra* pro *tua* usurpavisse.

v. 7. *Simul id factum est* ] Subaudi *ac*. Italice, *tosto che*.

ibid. *Multis diluta labella Guttis* ] Olim adolescens hoc acceperam de salivæ amatoris reliquiis, quæ Juventii labiis inhæsissent. sunt enim qui *basio conspuant*, ut alicubi ait Petronius. atque injuria Muretum reprehenderam ita explicantem: *Juventium os aqua sibi proluisse ad basii notam delendam*; quæ sane explicatio recta est. huc enim pertinet τὸ *diluta*.

v. 8. *Abstêrsti* ] Syncope pro *abstersisti*. & post hanc vocem hiatus relinquendus: quod Vossius animadvertit. Hanc lectionem veram & germanam esse ostendunt Aldinæ & Gryphianæ editiones, in quibus exstat: *Abstersti guttis*. quæ transpositio semidoctis debetur. ignorabant scilicet veterum poetarum licentiam. Sic & apud Virgilium Ecloga 3. v. 16. cum in vetustissimis codicibus legeretur:

*Quid facient domini, audent cum talia fures?*

ab imperitis Grammaticis, versui metuentibus, vulgata lectio substituta est: *Quid domini facient?*

ibid. *Omnibus articulis* ] Digitis videlicet. Propertius pariter Elegia ultima lib. 2.

*Tale facis carmen docta testudine, quale*
*Cynthius impositis temperat articulis.*

v. 10. *Comminctæ lupæ* ] Meretricis a coitu, vel a sellando recentis. *Mejere* enim & *commejere* dicebant ἀπὸ τοῦ σπέρματος ἐγχύσεως. Horatius Satyra 7. lib. 2. v. 51. de scorto diobolari:

*Dimittit neque famosum, neque sollicitum, ne*
*Ditior aut forma melioris mejat eodem.*

*Commictum cœnum* vocat Plautus, in quod homines minxerunt, Persa Ac. 3. Sc. 3. v. 3. *Lupas* vero vocatas meretrices, nemo ignorat. Vossius mavult *comminctæ gulæ*: qui modus loquendi obscœnior est. sed res eodem recidit.

v. 11.

Præterea infesto miserum me tradere amori
  Non cessasti, omnique excruciare modo:
Ut mî ex ambrosio mutatum jam foret illud
  Saviolum, tristi tristius helleboro.
Quam quoniam pœnam misero proponis amori,
  Non umquam posthac basia surripiam.

## XCVIII.

Coelius Aufilenum, & Quintius Aufilenam
  Flos Veronensium depereunt juvenum,

Hie

v. 11. *Infesto miserum me tradere amori* ] Venustissima loquendi ratio; quasi Juventius audacem amatorem Cupidini puniendum & mitigandum commiserit. Amor ipse apud Propertium Elegia 22. lib. 2. E. B.

*Hic erat, hunc mulier nobis irata locavit.*

Par est quodammodo illud Terentii Phormione Act. 1. Sc. 2. v. 24.

*Memini relinqui me deo irato meo.*

v. 13. *Ambrosio* ] Saviolum appellat *ambrosium*, quod ambrosia dulcius esset. De hac voce vide quæ adnotavimus ad Carm. 63. v. 309. Alii legunt *ambrosia*, minus recte atque eleganter.

v. 14. *Tristi helleboro* ] Tristia vocabant quæ amara essent ac palato injucunda. Lucretius lib. 4. v. 638.

*- - Aliis quod triste & amarum est,*
*Hoc tamen esse aliis possit prædulce videri.*

Idem libro eodem v. 124.

*Abrotonique graves, & tristia centaurea.*

Et libro 6. v. 780.

*Adspectu fugienda, saporeque tristia quæ sint.*

v. 15. *Pœnam proponis a.* ] Cicero lib. 2. de Finibus: *Quum improbis pœnam proponitis.* Sic & *præmia proponere*, alibi apud eumdem.

Argum. Carm. XCVIII. ] Cœlius & Quintius, Veronenses juvenes lectissimi, Aufilenorum domum frequentabant. Ille puerum ex ea familia, hic pueri sororem deperibat. Profitetur Catullus, amorem Cœlii sibi magis cordi esse, quam Quintii; quod nimirum ejus fidem perfectamque amicitiam, cum ipse olim amaret, expertus fuerit. Ei propterea fausta feliciaque omnia in amore precatur.

v. 1. *Cœli* ] Ad hunc Cœlium scripsit quoque Carmen 58.

ibid. *Aufilenum* ] Formosum adolescentem hoc nomine. Porro Aufilenæ Primigeniæ, mulieris Veronensis ut videtur, mentio fit apud Gruterum pag. DCCCLXVIII. Inscript. 6. & pag. DCCCCXXXVII. Inscript. 15. quæ duo marmora litterata Veronæ reperta sunt.

v. 2. *Flos V. juvenum* ] Præstantissimi atque egregii. Ennius 9. Annali, apud Ciceronem de Senectute, atque in Bruto, de Cornelio Cethego:

*Flos delibatus populi, suadaque medulla.*

Sic & Græci ἄωτον & ἄνθος usurpaverunt; quod ostendit Hieronymus Columna ad eum Ennii locum.

ibid.

Hic fratrem, ille sororem. hoc est quod dicitur illud,
  Fraternum vere dulce sodalitium.
Quoi faveam potius? Cœli, tibi. nam tua nobis
  Perfecta exigitur unica amicitia
Quum vesana meas torreret flamma medullas.
  Sis felix, Cœli, sis in amore potens.

XCIX.

ibid. *Veronensium* ] Vox tetrasyllaba per synæresin duarum vocalium *iu*.

ibid. *Depereunt* ] Perdite amant. Eadem significatione *demoritur* dixit Plautus Mil. Glorioso Ac. 4. Sc. 1. v. 22.

*- - - Senis hujus uxor Periplectomeni in proxumo,*
*Ea demoritur te, atque ab illo incipit abire: odit senem.*

Et Scena 2. v. 48. - - *Non me dico,*
*Sed heram meam, quæ te demoritur.*

In hoc autem loquendi genere, *propter* subaudiendum videtur.

v. 3. *Hoc est quod dicitur illud* ] Τὸ λεγόμενον. quod proverbio fertur. Supra Carm. 92.

*Hoc est quod dicunt: Ipsa olera olla legit.*

v. 4. *Fraternum v. d. s.* ] Illud Horatii similem sententiam continet Sat. 3. lib. 2. v. 243.

*Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,*
*Nequitia & nugis, pravorum & amore gemellum.*

Convenit autem hoc proverbium in amatos, nempe Aufilenum & Aufilenam, qui frater & soror fuerunt, non in amatores, qui erant e diversis familiis, ut nomina indicant: nisi forte suspicemur, eos amitinos aut consobrinos fuisse, quos interdum *fratres* appellabant.

v. 5. *Cœli, tibi* ] Id profitetur Catullus, vel quod olim puerum Cœlium in deliciis habuisset: vel quod una scortati essent: vel quod ab eo insigne aliquod beneficium accepisset: vel quod poeta ipse Aufilenam puellam amaret, ut colligas infra e Carm. 108. atque ideo rivali suo Quintio favere non posset.

ibid. *Nobis Perfecta exigitur u. a.* ] Quemadmodum Cœlius Catullo se constantem in amicitia præstiterat, ita jure suo postulare poterat a poeta, ut officiis præstitis quasi ad normam & libellam responderet. *Exigere* enim verbum est a re fabrili translatum, ut recte hic monuerunt viri docti. Propterea Catullus ait, *exigitur nobis*, i. e. a nobis, *amicitia tua*, i. e. tuæ omnino similis, nempe *perfecta* & *unica*; quam singularem amicitiam eo potissimum tempore ostendisti quo ego cum insano amore conflictabar.

v. 7. *Torreret flamma medullas* ] Horatius pariter Ode 9. lib. 3.

*Me torret face mutua*
*Thurini Calais filius Ornithi.*

v. 8. *Sis in amore potens* ] *Potens* hoc loco est voti compos, cui res ex animi sententia eveniunt. Ita Ovidius lib. 3. Metamorph. v. 292. de Semele:

*Læta malo, nimiumque potens, perituraque amantis*
*Obsequio - - - - - - -*

Idem lib. 8. ejusdem Operis v. 55. de Scylla Minois conjugium cupiente:

*- - Pereant potius sperata cubilia, quam sim*
*Proditione potens - - - - -*

Et lib. 2. Amorum Elegia 19.

*Pinguis amor, nimiumque potens, in tædia nobis*
*Vertitur, &, stomacho dulcis ut esca, nocet.*

## XCIX.

MULTAS per gentes, & multa per æquora vectus
Adveni has miseras, frater, ad inferias:
Ut te postremo donarem munere mortis,
Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi te abstulit ipsum,
Heu miser indigne frater ademte mihi.

Nunc

Ita enim legere malo quam *patens*; quod perperam probat Nicolaus Heinsius. Contra, *inops amor* apud Lucretium lib. 4. v. 1134. est infelix, difficilis, qui excidit spe sua:

*Atque in amore mala hac proprio, summeque secundo*
*Inveniuntur: in adverso vero atque inopi sunt,*
*Prendere quæ possis oculorum lumine aperto,*
*Innumerabilia - - - - - - - -*

De hujusmodi amore Anacreon Ode 46. Χαλεπώτερον δ᾽ ἁπάντων Ἀποτυγχάνειν φιλοῦντα. *Durissimum autem omnium Votis excidere amantem.* Ceterum idem Lucretius & *victorem* appellavit qui optata consecutus fuisset. sic enim lib. 1. v. 75. de Epicuro, qui omnem rerum naturam perlustraverat:

*Unde refert nobis victor, quid possit oriri,*
*Quid nequeat - - -*

ARGUM. CARM. XCIX. ] Fratris carissimi, dum is peregrinaretur acerba morte sublati, & ad Rhœteum Troadis promontorium sepulti ( quod e Carmine 64. & 67. satis constat ) cineribus parentat.

v. 1. *Adveni* ] Conjecturam Statii, librorum scriptorum auctoritati hoc loco anteponendam existimavi, summo consensu *Advenio* exhibentium. Profecto enim *Adveni* legendum est, cum in proximo versu sequatur, *Ut donarem.*

ibid. *Inferias* ] Dona & sacrificia quæ umbris mortuorum veteres dicabant, a Græcis quidem χοαὶ & νεκύσια, a Latinis vero *inferiæ* proprio vocabulo appellabantur; vel quod inferrentur sepulcris: unde illud Virgilii Æneidos lib. 3. v. 66.

*Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,*
*Sanguinis & sacri pateras: animamque sepulcro*
*Condimus, & magna supremum voce ciemus.*

vel, ut contendit Isaacus Vossius, a diis inferis, quibus præcipue colendis placandisque institutæ erant.

v. 3. *Munere mortis* ] Videlicet, florum sparsione, lactis, mellis, aquæ, vini, olei effusione, quibus rebus ad inferias utebantur: quemadmodum superius, Carm. 67. versiculos & libellos *munera Musarum*, lenocinia vero & amatorias epistolas, *munera Veneris* nuncupavit.

v. 4. *Nequicquam* ] Frustra enim alloquimur non responsuros. Propertius tamen Elegia ultima lib. 4. verbis Corneliæ matronæ vita functæ:

*Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,*
*Ut responsura singula verba jace.*

i. e. tamquam simulacrum verba tecum possit commutare. vel significat, se, quamquam umbram sine corpore, pietati mariti superstitis, etiam apud inferos grato animo responsuram.

v. 5. *Te abstulit* ] Hiatus hoc loco

re-

Nunc tamen interea prisco quæ more parentum
  Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu:
  Atque in perpetuum, frater, have atque vale.

## C.

SI quicquam tacito commissum est fido ab amico,
  Quojus sit penitus nota fides animi:
Me æque invenies illorum jure sacratum,
  Corneli, & factum me puta Harpocratem.

CI.

relinquendus. Vulgatæ editiones: *te-te abstulit*. minus erudite.

v. 8. *Tradita sunt* ] Quasi per manus. Tibullus Elegia 1. lib. 2.

*Ritus ut a prisco traditus exstat avo*. Porro, puls etiam & lenticula Romanis lugubria sunt habita, & in Parentalibus apponebantur, teste Appiano Alexandrino libro de Bellis Parthicis, ubi recenset prodigia quæ P. Crassi Divitis cladem antecesserunt & prænuntiârunt.

ibid. *Munera ad inferias* ] Gladiatorum etiam paria, quæ ab heredibus, ex testamento, plebi dabantur, *inferias* nonnumquam dixerunt. Ausonius in Gripho Ternarii v. 36.

*Tres primas Thracum pugnas, tribus ordine bellis,*
*Juniadæ patris inferias misere sepulcro*.

de his tamen hoc loco non loquitur Catullus; aut ego fallor.

v. 10. *In perpetuum* ] Cicero in Verrem Orat. de Signis: *Quo in oppido multas familias in perpetuum infames tuis stupris flagitiisque fecisti*.

ibid. *Have atque vale* ] Sic & in cippo sepulcrali apud Gruterum pag. DCCLIX. Inscript. 2.

ÆTERNVM. MEVM. VALE.
SOLATIVM

ARGUM. CARM. C. ] Cornelio sodali suo, qui cum ipso de aliquibus communicaverat quæ in vulgus proferri non oporteret, pollicetur, se illa summa fide, altoque silentio custoditurum.

v. 1. *Si quicquam* ] Recte Muretus in hoc Epigrammate *ἀνακόλουθον* animadvertit; non enim alterum distichum primo satis respondet, si ordinem verborum non sententiam ipsam spectare velis.

ibid. *Tacito* ] Qui tacere noverit. Achilles Statius mallet, *Si quicquam tacitum*, nempe *ἀπόῤῥητον*, arcanum, tacendum: vel, *Si quicquam taciti*. Errat autem vir alioqui doctissimus, cum scribit: *Tacitum enim Latine non qui tacet, sed quod tacetur ipsum, dicimus*. Exempla certe Ciceronis hoc pronuntiatum confodiunt. Nam Oratione 1. in Catilinam: *Quid exspectas*, inquit, *auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis?* Et Orat. 4. in C. Verrem: *Cum id quoque constabit, vos jam me tacito intelligetis*.

v. 3. *Me æque* ] Ita Vossius ex optimo libro Mediolanensi. Alii, *Meque esse*.

ibid. *Illorum jure sacratum* ] Tamquam Cereris mysteriis, aut sacris aliis

## C I.

Aut sodes mihi redde decem sestertia, Silo,
Deinde esto quamvis sævus & indomitus:
Aut, si te nummi delectant, desine quæso
Leno esse, atque idem sævus & indomitus.

C II.

quibuscumque arcanis & populo ignotis initiatum, seu *μεμυημένον*; ut optime Scaliger. Horatius Ode 2. lib. 3.

*- - Vetabo qui Cereris sacrum*
*Vulgârit arcana, sub iisdem*
*Sit trabibus, fragilemque mecum*
*Solvat phaselum - -*

Idem poeta Ode 13. lib. 2. *silentium* appellavit *sacrum*:

*Utrumque sacro digna silentio*
*Mirantur umbræ dicere - -*

Porro, *aliquorum jure sacrari*, est sectæ alicujus præceptis atque institutis obligari, & apud ejus antistites sacramentum dicere, quemadmodum milites apud imperatorem.

v. 4. *Me puta* ] Alteram syllabam vocis *puta* corripit Catullus; quod imitatus est Auctor Carminis in Priapum Epigram. 37. hoc versu:

*Ut Phœbo puta, filioque Phœbi.*

Sed & postremam imperativi *commoda* corripuit noster Carm. 10. v. 26.

ibid. *Harpocratem* ] Hic erat silentii deus, quem Ægyptii colebant. De hoc exstat opus eruditissimum Gisberti Cuperi. Vide quæ ipsi adnotavimus ad Carmen. 73.

Argum. Carm. C I. ] Siloni cuidam lenonium quæstum exercenti decem sestertia Catullus dederat, fortasse pro aliqua puella redimenda. Ille vero accepta pecunia, promissa non exsolvebat, immo superbum ac ferocem se præbebat. Eum igitur admonet poeta, ut vel nummos ipsi reddat, vel se lenonem esse meminerit, quod genus hominum arrogantia non deceat.

v. 1. *Sodes* ] *Si audes*; ut *sis* pro *si vis*. quod ex M. Tullio ac Terentio constat. Vox est hortantis ac subblandientis.

ibid. *Mihi redde decem* ] Hanc syllabæ *de* repetitionem in proximis vocibus neque Propertius vitavit Elegia 21. lib. 2. E. B. hoc versiculo:

*Votivas noctes & mihi redde decem.*

ibid. *Decem sestertia* ] Quibus hoc tempore ducenti quinquaginta nummi Philippei prope respondent.

v. 2. *Quamvis* ] Quantumvis, quantum tibi libuerit. De hac hujus particulæ significatione memini me alibi verba facere.

v. 4. *Leno esse, a. i. s. & i.* ] Ferocia enim cum quadam orationis confidentia quam Græci *παῤῥησίαν* vocant, proborum atque honestorum hominum propria est, qui a sordido quæstu abhorrent. Contra, qui lucro inhiant, & divitiis parandis quæcumque ratione student, eos mites, blandiloquos, demisso animo ac vultu, injuriarum denique patientes esse oportet. quod si nequeant, rem labefactant. Ceterum, lenones olim proprie dicebantur qui puellas virgines, aut etiam corruptas, e præda, vel a mangonibus emebant, ac domi suæ alebant, ut eas postea vel majori pretio venderent, vel advenientibus mercede prostituerent. Hi autem homines, ut Plautino elogio utar e Rudente Act. 3. Sc. 2. v. 3.

erant

## C I I.

CRedis, me potuisse meæ maledicere vitæ,
Ambobus mihi quæ carior est oculis?
Non potui: nec, si possem, tam perdite amarem.
Sed tua, Coponi, crimina, nostra facis.

CIII.

erant *fraudis*, *sceleris*, *parricidii*, *perjurii pleni*, *Legirupa*, *impudentes*, *impuri*, *inverecundissimi*: *uno verbo absolvam*, *Lenones erant*.

Argum. Carm. CII.] Coponius quidam, ut conjicit Isaacus Vossius, malevolus homo, rumores spargebat, inimicitias esse inter Catullum & Lesbiam, quod hic puellæ maledixisset. Negat poeta, se id umquam fecisse, vel adeo facere posse, quandoquidem illam perdite amet. Denique ait, Coponium ex sua natura suisque moribus ceteros fingere.

v. 1. *Maledicere*] Convicia quidem Lesbiæ Catullus fecerat, jambos in eam scripserat, & saltem ei mala precatus fuerat, quod ipse testatur Carm. 90. sed iratus & lacessitus, neque ex animo satis; & postea cum illa redierat in gratiam. Propterea tristia nunc omnia & amara dissimulat, ne adversarium suum gaudio afficiat. Scaliger putat legendum *valedicere*, nempe omnino deserere atque oblivioni tradere. quam lectionem ego veram judico. Vide Carmen 11. ad Furium & Aurelium.

v. 4. *Sed tua*, *Coponi*, *crimina*, *nostra facis*] Verum quæ ipse peccare soles, mihi etiam facile tribuis. Ita hunc locum, si quis alius, misere depravatum, constitui posse arbitratur Vossius: quamquam ipse *omina* pro *crimina* legere maluerit. Anno enim U. C. DCXCI. D. Junio Sillano & L. Licinio Murena Coss. V. Kal. Septembris *Q. Stertinio pratori jus dicenti nuntius allatus est de morte filii*, *fictus ab amicis Coponii rei de veneficio*, *ut concilium dimitteret*. *Ille perturbatus domum se recipiebat*, *sed re comperta perseveravit in inquirendo*.

*C. Actius Coponium veneficii postulavit*. *Divinatio inter Actium & Capasium minorem de accusando*. *Actius obtinuit*, *quod Capasii uxor soror esset nurus Coponii*. Hæc in linteis Pontificum libris olim legebantur, quorum fragmenta copiosiora quam ea olim ediderit Pighius in Annalibus, penes eumdem Vossium fuerunt. ex quibus mores Coponii cognoscere licet, in quem tam atrocis facinoris vel suspicio cadere potuerit. Alius, ut videtur, fuit *Coponius* de quo ita Vellejus Paterc. lib. 2. Hist. Rom. c. 83. *Vir pratorius*, *gravissimus pater*, *Silii socer*. Editiones aliæ præferunt:

*Sed tu cum canpone omnia monstra facis*.

Josephus tamen Scaliger mavult:

*Sed tu cum Tappone omnia monstra facis*.

nempe, ut idem interpretatur, τερατολογεῖς; i. e. res miras & incredibiles confingere soles, quæ prodigii ac monstri speciem habeant. Vel *monstra facere*, seu τερατοποιεῖν, fuerit nefarias libidines exercere. quo pertinet insignia locus Juvenalis e Sat. 2. v. 117. de quodam cinædo qui nupserat more mulierum. Verba sunt poetæ:

*Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem*
*Cornicini: sive hic recto cantaverat are.*
*Signata tabula: dictum Feliciter: ingens*
*Cœna:*

## C I I I.

Mentula conatur Pimplæum ſcandere montem:
Muſæ furcillis præcipitem ejiciunt.

## C I V.

Cum puero bello præconem qui videt, ipſum
Quid credat, niſi ſe vendere diſcupere?

*Cæna: ſed & gremio jacuit nova nupta mariti.*
*O proceres, cenſore opus eſt, an haruſpice nobis?*
*Scilicet horreres, majoraque monſtra putares,*
*Si mulier vitulum, vel ſi bos ederet agnum!*

Argum. Carm. CIII. ] Narrat jocoſe, Mamurram, quem ob effrenatam libidinem obſcœno vocabulo nominabant, animum ad ſcribendum carmen appuliſſe: id vero invitis Muſis tentaviſſe, quæ propterea illum a ſcandendo Pimplæo Macedoniæ monte ipſis dicato, furcillis arcerent.

v. 1. *Conatur Pimplæum ſcandere montem* ] Sunt qui legant *ſcindere*, ac nequiſſimam ſententiam his verbis affingere non dubitent. ſed ingenio abuti mihi videntur, cum præſertim ad honeſtiorem explicationem confugere liceat.

v. 2. *Furcillis* ] Hac voce uſus M. Varro lib. 1. de Re Ruſtica cap. 8. *Sub eam*, inquit, *ubi naſcitur uva, ſubjiciuntur circiter bipedales e ſurculis furcillæ, ne vindemia pereat.* Ceterum, *furcâ* vel *furcillâ ejicere præcipitem, extrudere, expellere*, locutiones ſunt proverbii ſimiles. Cicero ad Atticum Epiſt. 2. lib. 16. quemadmodum legunt Lambinus & Boſius: *Sed quoniam furcilla extrudimur, Brundiſium cogito.* Horatius Epiſt. 10. lib. 1. v. 24.

*Naturam expellas furca licet, uſque recurrit.*

Argum. Carm. CIV. ] Familiariter verſabatur, & in publico deambulabat puer quidam venuſtus cum præcone. Ait Catullus, qui hoc viderit, ſtatim exiſtimaturum, puerum illum cupiditate flagrare ſe tradendi emtoribus, ut primum in eos inciderit. Nam in auctionibus præcone utebantur, qui pretia rerum venalium a concurrentibus oblata ingenti clamore pronuntiabat.

v. 1. *Præconem qui videt* ] Maximus erat præconis uſus in venditione ſervorum. Teſtis, ut alios omittam, Herodianus Hiſtoriæ Auguſtæ lib. 1. cap. 37. his verbis: Κλέανδρός τις ἦν, τὸ μὲν γένος Φρύξ, τῶν δημοσίᾳ εἰωθότων ὑπὸ κήρυκι πιπράσκεσθαι. *Cleander erat quidam Phryx genere, ex ea nota hominum qui publice per præconem veneunt.*

v. 2. *Ipſum Quid credat, n. ſe v. d.* ] Alii, *Qui videt eſſe.* Voſſius vero: *Ipſe quid credat?* ut τὸ *ipſe* ad videntem referatur. Ego vero, pudenti, ut puto, mutatione, ita hos verſus conſtitui: nempe, ut dicat poeta: Omnibus quicumque viderint mutuam horum familiaritatem, perſuaſum fore, puero huic formoſo magnam incidiſſe cupiditatem ipſum ſe venum exponendi, ac libidini τῶν τυχόντων proſtituendi.

CV. ibid.

# C V.

SI quicquam cupidoque optantique obtigit umquam, &
Insperanti, hoc est gratum animo proprie:
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro,
Quod te restituis, Lesbia, mi cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te.
Nobis o lucem candidiore nota!

Quis

ibid. *Discupere* ] Vehementer cupere. Plautus Trinummo Ac. 4. Sc. 2. v. 87. *Discupio dicere*. Vis eadem verborum *dispudere*, *distadere*, *distabescere*, ac similium aliorum. Idem Plautus Mostellaria Ac. 5. Sc. 2. v. 43.

*Si hoc pudet, fecisse sumtum, supplicii*
*habeo satis.*

CALL. *Dispudet*. - -

i. e. non leviter, sed graviter pudet. Terentius pariter Eunucho Ac. 5. Sc. 1. v. 16. *Dispudet sic mihi data esse verba*. Idem Phormione Ac. 5. Sc. ultima v. 22. *Me cum hoc ipso distadet loqui*. Cato de Re Rustica cap. 24. *Modium salis puri in fiscella suspendito, finitoque cum musto distabescat*.

ARGUM. CARM. CV. ] Suas ipsius fortunas laudat, seque hominum felicissimum prædicat, quod Lesbia mutuas offensas oblita, cum ipso, præter spem, ac tamquam postliminio, in gratiam redierit.

v. 2. *Gratum animo proprie* ] Quod vulgarem & quotidianam lætitiam exsuperet. proprium enim communi opponitur. Ex eo autem insignem ac præcipuam voluptatem capere solemus quod nobis insperantibus nec opinato contingit. Horatius Epist. 4. lib. 1. v. 13. sapienter suo more:

*Omnem crede diem tibi diluxisse supremū.*
*Grata superveniet quæ non sperabitur*
*hora.*

v. 3. *Quare* ] Vel aliqua inter hoc distichum & id quod præcessit desiderantur: vel est ἀνακόλουθον Catulli, cujusmodi nonnulla in ejus poematis occurrunt. nam particula *quare* cum superioribus non satis cohæret.

v. 4. *Te restituis mi cupido* ] Ita Carm. 36. - - *Si sibi restitutus essem*. *Animum reddere* hoc vocavit Horatius Ode 16. lib. 1.

*Fias recantatis amica*
*Opprobriis, animumque reddas.*

v. 5. *Restituis cupido* ] Hac eorumdem verborum repetitione lætitiam immoderatam magis ostendit.

ibid. *Ipsa refers te* ] Significat, Lesbiam hortante aut impellente nemine, sed sponte sua, cum poeta reconciliatam fuisse. huc enim pertinet τὸ *ipsa*. Virgilius pariter Ecloga 4. v. 21.

*Ipsa lacte domum referent distenta capella*
*Ubera* - - - - -

i. e. non pastorem secutæ, verum αὐτομάτως. Idem lib. 6. Æneid. v. 145. de ramo aureo:

*Ergo alte vestiga oculis, & rite repertum*
*Carpe manu, namque ipse volens facilisque sequetur.*

v. 6. *Nobis o lucem candidiore nota!* ] Ita distinguimus, ut τὸ *nobis* conjungatur cum sequentibus. Huic autem distinctioni suffragatur codex Patavinus.

Con-

Quis me uno vivit felicior, aut magis est me
Optandus vita? dicere quis poterit?

## C V I.

SI Cominî arbitrio populari cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat:

Non

Contrarium est illud Horatii Sat. 9. lib. 1. v. 72. - - *Hunccine solem Tam nigrum surrêxe mihi?* Scaligero placebat *insperanti nobis*, pro *insperanti mihi*. *ἀρχαϊκῶς*.

v. 7. *Quis me uno vivit felicior?* ] Omnes omnium felicitates cum sua unius ne comparandas quidem esse affirmat. τὸ *uno* hic abundat eleganter; quemadmodum apud Ciceronem in fragmento Orationis pro M. Scauro: *Quem unum ex omni memoria sceleratissimum fuisse accepimus*.

v. 8. *Optandus vita* ] Si absolutissimam beatitudinem perquirat aliquis, nullam certe præter hanc meam sibi proponere aut eligere debet. Contra Propertius Elegia 13. lib. 2. E. B.

*Durius in terris nihil est quod vivat amante;*
*Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.*

Hujusmodi hominem, *invidiosum* Latini, *ζηλωτὸν τοῦ βίου*, vel *μακάριον τῷ βίῳ* appellant Græci, ut monet Jos. Scaliger. *Vita* igitur hoc loco est vivendi genus. Horatius ita loquitur Epist. 10. lib. 1. v. 32.

*- - - - - Licet sub paupere tecto*
*Reges, & regum vita præcurrere amicos.*

vel significat, *in vita*. Cicero in Lucullo: *Eo enim rem demittit Epicurus, si unus sensus semel vita mentitus sit, nulli umquam esse credendum*. Ceterum, Theodorus Marcilius ita legebat:

*- - - - Aut magi' me esse*
*Optandum vitam dicere quis poterit?*

nempe, Quis facile dicat, cuiquam homini magis esse vitam optandam, quam mihi? *Optandum vitam*, ut apud Lucretium lib. 1. v. 112.

*Æternas quoniam pœnas in morte timendum.*

Consule & Douzam patrem cap. ult. Præcidan. pro Catullo.

Argum. Carm. C V I. ] Cominium, senem improbum, qui, propterea quod bonis omnibus petulanter malediceret, populo Romano in odium acerbissimum venerat, hoc Epigrammate insectatur: ipsumque ait dignum esse cujus, omnium civium suffragiis damnati, cadaver vultures, corvi, canes, lupi devorent atque discerpant.

v. 1. *Si Cominî arbitrio populari e. s.* ] Assentior Joanni Passeratio existimanti, τὸ *Cominî* patrium esse, non vocativum casum: qua explicatione sententia hujus versiculi fit concinnior. Editiones vulgatæ præferunt:

*Si, Comini, arbitrio populi tua cana senectus.*

His tamen adversatur codex vetustus Patavinus, & alii MSS. qui miro consensu exhibent *arbitrio populari*. unde Vossius legebat:

*Si, Comini, arbitrio populari cana senectus.*

Verum tollendæ sunt utrimque ὑποστιγμαί. nam si eas reliqueris, de quo sene poeta loquatur, omnino ignores.

Suspi-

Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exsecta avido sit data volturio:
Effossos oculos voret atro gurgite corvus,
Intestina canes, cetera membra lupi.

CVII.

Suspicor nihilominus, distinctiunculas illas operis typographicis, non ipsi Vossio tribuendas esse.

ibid. *Cominî* ] *P.* & *C. Cominii fratres*, equites Romani, *Cornelium tribunum plebis, reum lege Cornelia de majestate fecerunt. detulit nomen Publius: subscripsit Cajus*. Ea tamen accusatio iis male admodum cessit, ut narrat Asconius Pedianus in Argumento Orationis deperditæ M. Tullii pro Cornelio; qui hæc addit: *Cominii autem magna infamia flagraverunt vendidisse silentium* (i. e. ab accusando destitisse) *magna pecunia*. Hos tamen Cicero pro A. Cluentio cap. 36. appellat homines honestissimos his verbis: *Hoc dico, eamdem tum fuisse P. & L. Cominiis, equitibus Romanis, honestissimis hominibus & disertis, controversiam cum Staleno*. ubi legendum videtur ex Asconio, *P. & C. Cominiis*. Idem Tullius mentionem facit P. Cominii equitis Romani etiam in libro de Claris Oratoribus.

ibid. *Arbitrio populari* ] Universæ civitatis judicio, nempe totius populi suffragiis ad comitia convocati. Porro, illud Juvenalis non dissimile Sat. 3. v. 36.

*Munera nunc edunt, & verso pollice vulgi*
*Quemlibet occidunt populariter* - -

nimirum, favente populo. sed ibi sermo est de spectaculo gladiatorio, quod *munus* vocabant.

ibid. *Cana senectus* ] *Cominii canam senectutem* posuit pro *Cominio sene cano*. Eodem pacto Lucilius in Satyris dixerat: *Valerî sententia dia*; quod hemistichium recitat Porphyrion grammaticus ad illud Horatii lib. 1. Sat. 6. v. 12. *Contra, Laevinum Valerî genus*. quo loco animadvertit, Horatium & Lucilium periphrasi usos; *quia scilicet nomen quatuor brevium syllabarum, & ideo non potest in hexametrum versum recipi*. Eadem prorsus ratio est nominis *Cominii*: ut propterea lectio & explicatio Passeratii verissima deprehendatur. Tibullus quoque ita locutus est Elegia 3. lib. 3.

*Inque tuo caderet nostra senecta sinu*.

i. e. ego senex.

v. 2. *Spurcata impuris moribus* ] Auctor ad Herennium lib. 1. cap. 5. *In odium rapiemus, ait, si quid eorum spurce, superbe, perfidiose, crudeliter, confidenter, malitiose, flagitiose factum proferemus*. Qui sint mores impuri, docet Theophrastus in Ethicis Characteribus cap. 12. quod inscribitur περὶ βδελυρίας.

v. 3. *Inimica bonorum* ] Quæ bonis & honestis civibus non solum maledicit, sed etiam illos in capitis periculum accusationibus adducit.

v. 4. *Lingua exsecta* ] Manu & forcipe carnificis. id erat supplicii genus. Cicero pro A. Cluentio: *Nam Stratonem quidem, judices, in crucem actum esse exsecta scitote lingua*. Ita *abscindere, præcidere, prætruncare linguam* Plautus dixit. Codex Patavinus legit *exserta*; quæ lectio a Vossio non improbatur.

ibid. *Sit data* ] Pro, *detur*.

v. 5. *Effossos oculos* ] Plautus Aulul. Ac. 1. Sc. 1. v. 14.

*Oculos hercle ego istos, improba, effodiam tibi*.

Idem Captivis Ac. 1. Sc. 1. v. 4.

*Nam hercle ego huic diei, si liceat, oculos effodiam libens*.

## C V I I.

Jucundum, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos, perpetuumque fore.

Dii

Martialis pariter Epigr. 93. lib. 1.

*Sed fodiam digito, qui superest, oculum.*

Corvorum id proprium esse cadaveribus inhiantium, præter alios, animadvertit Agapetus Diaconus cap. 12. Schedæ Regiæ, quod caput inscribitur, Κολάκων Φυγή: nempe, *Adulatorum Fuga*. Ἀποστρέφου, inquit, τῶν κολάκων τοὺς ἀπατηλοὺς λόγους, ὥσπερ τῶν κοράκων τοὺς ἁρπακτικοὺς τρόπους· οἱ μὲν γὰρ τοὺς τοῦ σώματος ἐξορύττουσιν ὀφθαλμούς· οἱ δὲ τοὺς τῆς ψυχῆς ἐξαμβλύνουσι λογισμούς, μὴ συγχωροῦντες ὁρᾷν τὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν. i. e. *Aversare adulatorum fallaces sermones, quemadmodum corvorum rapaces mores. hi enim corporis effodiunt oculos, illi vero animi rationem depravant, non sinentes videre rerum veritatem*. quæ sumsit, aut ego fallor, Agapetus ex Epicteti Sententia 95. Sed longe antea Salomon Proverbiorum cap. 30. v. 17. ita scripserat: *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eam corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ*. Id & vulturibus tribuit Lucianus in Dialogo Promethei & Jovis. Ὃν ἐχρῆν, inquit, βαρυτέρας πέδας ἔχοντα καὶ τὸν Καύκασον ὅλον ὑπὲρ κεφαλῆς ἐπικείμενον, ὑπὸ ἑκκαίδεκα γυπῶν μὴ μόνον κείρεσθαι τὸ ἧπαρ, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐξορύττεσθαι. i. e *Quem oportebat graviores pedicas habentem, totamque Caucasum capiti impositum, a sedecim vulturibus non modo jecur tonderi, sed & oculos effodi*. Cur autem volucres carnivoræ oculos potissimum invadant, non ineptam caussam affert Plinius lib. 11. Nat. Hist. cap. 37. *Ea caussa est*, inquit, *ut pleraque alitum e manibus hominum oculos potissimum appetant, quod effigiem suam in iis cernentes, velut ad cognata desideria sua tendunt*.

ibid. *Atro gurgite* ] Ita codex Patavinus. quam lectionem vulgatæ, *gutture*, utpote elegantiorem, præferendam existimavi. *Gurges* enim, aquarum vorago est. transferri autem solet hoc vocabulum ad helluones, qui patrimonia comedunt, & omnia in ventris barathrum dejiciunt. Hinc P. ille Gallonius, homo inexplebili voracitate, *Gurges* cognominatus fuit; cujus meminit Lucilius in Satyris, & ex eo Cicero lib. 2. de Finibus. D. Augustinus pariter Sermone 149. qui est in caput 10. Act. Apostolorum: *Fortassis ergo & Petro ita dictum est*, occide, & manduca; *ut non jam teneret observationes Judæorum: non tamen ei quasi gurges ventris & fœda voracitas imperata est*. *Gurges* igitur hoc poetæ nostri loco erit corvi abdomen.

v. 6. *Cetera membra lupi* ] Vossius: *extera membra*. nempe exteriora, ut opponantur intestinis. Sed *exterum* Latini vocant *peregrinum*; quod ad rem non facit. propterea vulgata lectio retinenda.

Argum. Carm. CVII. ] Deposuerat Lesbia veteres inimicitias quæ ipsi cum Catullo intercesserant, & ne videretur infirmior fides reconciliatæ gratiæ, spondebat amatori, nullam deinceps offensam vel querelam in eorum amore futuram. Poeta iccirco diis vota suscipit, ut promissum hoc ratum habeant, & puellam in proposito captoque consilio permanere faciant.

v. 1. *Proponis* ] Non dissimulas, verum aperte profiteris. Eodem pacto dixit M. Tullius, *minas, pœnam, mortem*

tem

Dii magni, facite, ut vere promittere possit:
  Atque id sincere dicat, & ex animo.
Ut liceat nobis tota producere vita
  Æternum hoc sanctæ fœdus amicitiæ.

## CVIII.

AUFILENA, bonæ semper laudantur amicæ.

Ac-

*tem proponere.* i. e. quasi ante oculos explicare. Vel, statuis atque decernis: unde *propositum, & propositi tenax.*

v. 3. *Dii magni* ] Deos majorum gentium invocat, quos etiam *Consentes* appellabant, quod Juppiter eos in consilium adhibere putaretur. Horum nomina Ennius duobus versiculis ita complexus fuerat:

*Juno, Vesta, Ceres, Deiana, Menerva,*
  *Venus, Mars,*
*Mercurius, Jovi', Neptunus, Volcanus, Apollo.*

Diis magnis opponit Plautus Cistellariæ Ac. 2. Sc. 1. v. 46. *minutos deos & patellarios*, nempe Lares & Penates, qui non publice at privatim per singulorum domos colebantur, & quorum in sacris non paterâ, sed patellâ uti mos erat.

*Dii me omnes*, inquit, *magni minutique & patellarii*
*Faxint, ne ego dem vivus savium Silenio.*

Cassius tamen Hemina apud Macrobium Saturn. lib. 3. cap. 4. *dicit, Samothracas deos, eosdemque Romanorum Penates, proprie dici* θεὺς μεγάλυς, θεὺς χρηστὺς, θεὺς δυνατύς. propterea Macrobius putat, Virgilium hæc scientem scripsisse: ( lib. 3. Æneid. v. 12. )

*Cum sociis natoque, Penatibus & magnis diis.*

*quod exprimit* θεὺς μεγάλυς. Quæ tamen opinio minus recta.

v. 5. *Tota producere vita* ] Ita veteres libri nonnulli, teste Vossio. Editiones vulgatæ; *perducere.*

v. 6. *Æternum* ] Aliis *alternum* placet, quasi mutuum, & alternis juramentis ab utroque firmatum. De hoc amantium fœdere Propertius Elegia 19. lib. 3. E. B.

*Ergo qui tactas in fœdere ruperit aras,*
  *Pollueritque novo sacra marita toro:*
*Illi sint quicumque solent in amore dolores,*
  *Et caput argutæ præbeat historiæ.*

ARGUM. CARM. CVIII. ] Aufilenam objurgat, quæ noctis nomine pretium ab ipso acceperat, postea vero conditionem repudiabat. Nimirum ait, pudicas mulieres non promittere: ingenuas, quæ promiserint præstare. eam vero quæ accepta pecunia amatorem sua spe defraudet, omni avara & dissoluta meretrice deteriorem haberi oportere.

v. 1. *Bonæ s. laudantur amicæ* ] Quæ potestatem sui corporis faciunt sine ulla mercede; amore, non avaritia inductæ; hæ vocantur *bonæ*, id est *benignæ* ac *liberales*; æternisque laudibus a poetarum & amantium genere in cælum tolluntur. Tibullus Elegia 4. lib. 2.

*At bona quæ, nec avara fuit, centum licet annos*
  *Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.*

Accipiunt pretium, quæ facere instituunt.
Tu, quod promisti mihi quod mentita, inimica es:
Quod nec das, & fers sæpe, facis facinus.

Aut

*Atque aliquis senior, veteres veneratus amores,*
*Annua constructo serta dabit tumulo.*

Idem poeta mulieres pecuniæ cupidas, luxuique indulgentes, *malas* appellaverat superius eadem Elegia his versibus:

*Hic dat avaritiæ caussas. hinc Coa puellis*
*Vestis, & a Rubro lucida concha mari.*
*Hæc fecere malas. hinc clavim janua sensit,*
*Et cœpit custos liminis esse canis.*

Quarum dissimilem Neæram suam carminibus, non auro vel argento, Kalendis Martiis muneratur. Ita enim Elegia 1. lib. 3.

*Carmine formosæ, pretio capiuntur avaræ.*
*Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis.*

v. 2. *Accipiunt pretium, q. f. i.* ] Terentius Andria Ac. 1. Sc. 1. v. 47.

*Primum hæc pudice vitam, parce, ac duriter*
*Agebat, lana ac tela victum quæritans:*
*Sed postquam amans accessit, pretium pollicens,*
*Unus & item alter, ita ut ingenium est omnium*
*Hominum ab labore proclive ad lubidinem,*
*Accepit conditionem, dein quæstum occipit.*

In meretricibus enim accepta merces auctoramentum est impudicitiæ.

ibid. *Facere* ] Cum viris cubare, συνουσιάζειν. Seneca Epist. 123. *Una felicitas est bona vita, facere, esse, bibere, frui patrimonio.* quem locum attulit Gonsalius de Salas ad Petronium. Fortasse *opus* subaudiendum. *opus* enim *facere*, artificum, rusticorum, militum, & servorum est. quod Itali dicunt, *lavorare*. Id porro transfertur nonnumquam ad concubitum honeste significandu m. Certe Auctor Carm. in Priapum Epigram. 3. *opus* appellavit ἀφροδίσιον ἔργον:

*Si pictas opus edas ad figuras.*

Hæ Lucretio lib. 4. v. 1253. sunt *res Veneris:*

*Quæ quoi juncta viro sit femina per Veneris res.*

ibid. *Instituunt* ] Eodem pacto M. Tullius dixit, *instituere mercaturam, civitatem, quæstum, artem, officinam, textrinam*, & alia hujusmodi. In Hortensio autem dixerat: *Philosophia instituit colere victum lautum & elegantem.*

v. 3. *Tu, quod promisti m. q. m. i. es* ] Syntaxis ita expedienda: Tu non amica, sed inimica es, propterea quod mentita es quod promisisti mihi.

v. 4. *Nec das* ] Nempe, noctem promissam. *Dare*, in obscœnis verbis numerari, vulgo notum.

ibid. *Et fers sæpe* ] Ita distingendum. *Ferre* autem hoc loco significat μισθὸν λαμβάνειν, *mercedem accipere*. Sic dicebant *fructum, palmam, prædam ferre*, seu *referre*.

ibid. *Facis facinus* ] Scelus nefarium suscipis. Porro probatissimi Latinitatis auctores ita loqui amant. Plautus Bacchid. Ac. 4. Sc. 4. v. 31. *Quî in mentem venit tibi Istuc facinus facere tam malum?* Terentius Eunucho Ac. 4. Sc. 3. v. 2. *Hoccine tam audax facinus facere esse ausum?* Sallustius Catilina cap. 7. *Se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici dum tale facinus faceret, properabat.* & infra: *fœda crudeliaque facinora facere.* vide & cap. 19. & Belli Jugurthini cap. 5. T. Livius Hist. lib. 33. *Postremo, non tantum odio, sed aviditate prædæ ea facinora faciebant.*

v. 5.

Aut facere ingenuæ eſt, aut non promîſſe pudicæ,
Aufilena, fuit. ſed data corripere
Fraudando, efficitur pluſquam meretricis avaræ,
Quæ ſe ſe toto corpore proſtituit.

## C I X.

AUFILENA, viro contentas vivere ſolo
Nuptarum laus e laudibus eximiis:

Sed

v. 5. *Facere ingenua eſt* ] Ad ingenuam enim pertinet datam fidem ſervare, ac promiſſa perſolvere.

ibid. *Non promîſſe pudica, A. f.* ] Quibus enim feminis pudicitia cordi eſt, eæ cavent diligentiſſime, ne turpe aliquid ſe facturas polliceantur. *Promîſſe*, ſyncope ἀντὶ τῦ *promiſiſſe*. ita v. 3. *promîſti*, i. e. *promiſiſti*.

v. 6. *Sed data corripere Fraudando* &c. ] Hanc ſententiam latius perſequitur Ovidius lib. 3. Artis Amat. v. 463.

*Illa poteſt vigilis flammas extinguere Veſta;*
*Et rapere e templis, Inachi, ſacra tuis;*
*Et dare mixta viro tritis aconita cicutis,*
*Accepto Venerem munere ſiqua neget.*

Simile porro illud Ciceronis Orat. 4. in C. Verrem, quamquam in re longe graviori: *Etenim ſi illud eſt flagitioſum ( quod mihi omnium rerum turpiſſimum, maximeque nefarium videtur ) ob rem judicandam pecuniam accipere, pretio habere addictam fidem & religionem: quanto illud flagitioſius, improbius, indignius, eum a quo pecuniam ob abſolvendum acceperis condemnare! ut ne prædonum quidem prætor in fide retinenda conſuetudinem conſervaret.*

v. 7. *Efficitur* ] Evadit in facinus omnium facinorum turpiſſimum. Voſſius legit *effêxti* pro *effeciſti*; quod non placet.

v. 8. *Quæ ſe ſe t. c. proſtituit* ] Quæ a nullo genere libidinis abſtinet; cujus ne ſpiritus quidem purus eſt. Hæc ſcilicet impudica eſt ὐ μόνον ᾗ καθίστηκεν, ἀλλὰ καὶ τὸ πᾶν ὁμαλῶς σῶμα: ut verecunde loquitur Pauſanias in Atticis cap. 23.

ARGUM. CARM. CIX. ] Aufilenam, mulierem adulteram atque inceſtam, quæ cum patruo corpus miſcere non verebatur, admonet, Matronarum ſummam quidem eſſe laudem in ſolo marito acquieſcere, a reliquorum omnium concubitu abſtinere: ſed, ſi quæ matrimonii fidem violare inſtituant, longe minus eas peccare quæ cuilibet potius, quam homini conſanguineo ſe ſubſternunt.

v. 1. *Viro contentas v. ſolo* ] Plautus Mercat. Act. 4. Sc. 6. v. 8.

*Nam uxor contenta eſt, quæ bona eſt, uno viro.*
*Quî minus vir una uxore contentus fiet?*

Afranius apud Nonium Marcellum verbo *Comparare*:

*Nam proba & pudica quia ſum, conſulo, & parco mihi:*
*Quoniam ita comparatum eſt, uno ut ſimus contentæ viro.*

*Ocyus* tamen *illud* a nonnullis *extorquebis*, ait Juvenalis Sat. 6. v. 53. *ut oculo uno contentæ ſint.*

v. 2. *Nuptarum laus e l. e.* ] Hoc loco *laus* rem laudabilem, ſeu facinus

di-

Sed cuivis cuivis potius succumbere fas est,
Quam matrem fratres efficere ex patruo.

CX.

dignum laude significat; quemadmodum apud Virgilium Æneid. lib. 5. ver. 354.

- - - - - - *Quæ munera Niso Digna dabis? primam merui qui laude coronam.*

ibid. *Nuptarum laus e l. e.* ] Ut enim a viris prudentia & fortitudo, sic a mulieribus pudicitia, tamquam laus propria, postulari solet. In principibus tamen feminis, quantumvis pudicis, aliæ virtutes castitate majores nonnumquam elucent. Hujusmodi erat Livia, uxor Octaviani Augusti, *cujus in laudibus ultimam fuisse pudicitiam*, scribit Pedo Albinovanus Elegia de morte Drusi v. 44. Pudica scilicet erat Livia, & mariti amantissima, sed virili adeo robore & consilio prædita, ut summæ ejus castitatis cum sapientia atque animi magnitudine comparatæ vix ulla ratio ab hominibus haberetur.

ibid. *Laus e laudibus eximiis* ] Ita Plautus Captivis Act. 3. Sc. 1. v. 22.

*Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus.*

v. 3. *Cuivis cuivis* ] Probo Isaaci Vossii conjecturam ita legentis. Editiones vulgatæ: *cuivis quamvis*. τῷ τυχόντι τῇ τυχούσῃ. eodem tamen recidit sententia.

ibid. *Succumbere* ] Substernere se, ut solent viris mulieres. Noster superius Carm. 63. v. 403.

*Ignaro mater substernens se impia nato.*

Ovidius pariter lib. 2. Fastorum ver. 810. de Lucretia, Sexti Tarquinii vim passa:

*Succubuit fama victa puella metu.*

ibid. *Fas est* ] Καπήλικως, pro *satius est*, vel *minus turpe est*. minora enim vitia si cum majoribus comparentur, virtutum quodammodo speciem obtinent.

v. 4. *Quam matrem fratres e. ex p.* ] Quæ enim ex patrui semine filios concipit, mater est illorum & soror simul; cum ii sint matri suæ fratres patrueles: ut recte Muretus. Patrueles autem, *fratres* a veteribus vocatos, cum ex aliis auctoribus, tum ex Ovidio liquet. hic enim Epist. Hermiones v. 27.

*Quid? quod avus nobis idem Pelopeius Atreus;*

*Et si non esses vir mihi, frater eras.*

At Hermione Orestis germana soror non fuit: cum altera Menelai & Helenæ filia, alter Agamemnonis & Clytæmnestræ filius feratur. Menelaum tamen Agamemnonis fratrem historiæ tradunt; propterea filii ex iis procreati inter se fratres patrueles erant. Ceterum, de hac nominum confusione, quam incesti efficiunt, ita, modo memoratus Ovidius lib. 10. Metamorph. v. 345. verbis Myrrhæ Cinyram patrem suum depereuntis:

*Ultra autem sperare aliquid potes, impia virgo?*

*Nec, quot confundas & jura & nomina, sentis?*

*Tune eris & matris pellex, & adultera patris?*

*Tune soror gnati, genetrixque vocabere fratris?*

Lege querelas Oedipi apud Sophoclem in tragœdia cognomine, allatum a Longino Sect. 23. libelli περὶ ὕψους. D. Augustinus lib. 15. de Civ. Dei cap. 16. ita de concubitu consobrinorum: *Verumtamen factum etiam licitum, propter vicinitatem horrebatur illiciti; & quod fiebat cum consobrina, pane cum sorore fieri videbatur: quia & ipsi inter se propter tam propinquam consanguinitatem fratres vocantur, & pane germani sunt.*

Ar-

# C X.

MULTUS homo eſt, Naſo ( nam tecum multus homo es ) qui
Deſcendit? Naſo, multus es & pathicus.

CXI.

ARGUM. CARM. CX. ] Naſonem quemdam, glorioſum atque ineptum hominem, qui ſe omnibus omnium negotiis procurandis agendiſque, opinionis errore parem credebat, jocoſe interrogat, utrum cinædus homo, qui ſe inclinat ut alienæ libidini obſequatur, multus appellari debeat. Poſtremo concludit, Naſonem ( quod prodigii ſimile ſit ) multum ſimul & pathicum eſſe.

v. 1. *Multus homo eſt, Naſo* ] Ita hoc diſtichum videtur mihi conſtituendum, quod olim obſcuriſſimum fuit, mireque ab interpretibus vexatum, priuſquam ſcilicet Joſephus Scaliger medicas manus ei admoveret. Ipſe vero ſic legit:

*Multus homo ( es, Naſo, nam tecum multus homo ) eſt qui*
*Deſcendit? Naſo, multus es & pathicus.*

Ego vero huic lectioni, magnique viri explicationi aſſentior: tantum duriorem illam μετάθεσιν verbi *eſt* probare non poſſum. Ceterum hæc lectio minimum diſcedit a veſtigiis priſcæ ſcripturæ. ita enim codex Patavinus, cum quo ceteri manu exarati fere conſentiunt:

*Multus eſt homo naſo nõ tecum multus homóq;*
*Deſcendit naſo: multus es & paciens.*

Nunc ſingula interpretemur.

ibid. *Multus* ] Cicero lib. 2. de Oratore non procul ab initio, multum hominem *ineptum* vocari, docet his verbis: *Nam qui aut tempus quid poſtulet non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus eſſe dicitur.* Cum Tullio concinit Plautus Menæchmis Ac. 2. Sc. 2. v. 4.

*Heu hercle hominem multum & odioſum mihi.*

Item Salluſtius Belli Jugurthini cap. 86. *At Marius*, inquit, *ut ſupra diximus, cupientiſſuma plebe conſul factus, poſtquam ei provinciam Numidiam populus juſſit, antea jam infeſtus nobilitati, tum vero multus atque ferox inſtare: ſingulos modo, modo univerſos lædere: dictitare, ſe ſe conſulatum ex victis illis ſpolia cepiſſe; alia præterea magnifica pro ſe, & illis dolentia.* Cujuſmodi hominem φορτικὸν, nempe *moleſtum & odioſum*, a Græcis nuncupari, recte Salmaſius animadvertit. Hos etiam πολυπράγμονας, χυδαίους, & *ardeliones* dicebant. Graphice autem illos depingunt Manilius lib. 5. Aſtronom. a v. 61. Martialis Epigram. 7. lib. 2. 78. lib. 4. 51. lib. 5. & Phædrus Fab. 5. lib. 2. Non tamen diſſimulaverim, laudi nonnumquam duci viris egregiis, quod variis muneribus fungi, & ſe multiplices quodammodo præſtare poſſint. Cicero Epiſt. 1. lib. 12. ad C. Caſſium: *Reliqua magna ſunt ac multa: ſed poſita omnia in vobis.* nempe in Caſſio & Brutis duobus. Horatius Epiſt. 1. lib. 2. ad Auguſtum:

*Cum tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus.*

Livius lib. 40. Hiſtor. in Oratione Perſei contra Demetrium: *Demetrius iis unus omnia eſt.* Albinovanus Elegia de morte Druſi v. 79.

*Mul-*

## C X I.

Consule Pompejo primum duo, Cinna, solebant
Mœchi: illo facto consule nunc iterum
Man-

*Multi in te amissi: nec cui tot turba bonorum,*

*Omnis cui virtus contigit, unus erat.*
Ovidius Epistola Medeæ v. 161.

*Deferor ( amissis regno, patriaque, domoque )*

*Conjuge; qui nobis omnia solus erat.*
Lucanus lib. 3. v. 108. *Omnia Cæsar erat.* Lucius Florus lib. 4. Historiæ Romanæ cap. 2. *Multus in eo prœlio Cæsar fuit, mediusque inter imperatorem & militem.* Sidonius Apollinaris Carm. 7.
- - *Tum respublica nostra Tota Camillus erat.* Bernardus Davanzatius Florentinus, scriptor elegantia & gravitate singulari, in Schismate Anglicano: *Cinque giorni dopo si fece parlamento in Londra, dove Cromuelo era il tutto.* Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 11. verbis Evangeli Virgiliomastigis, εἰρωνικῶς: *At hic vester flamen, & pontifex, & omnia, tam quid immoletur, quam quid libetur, ignorat.* De præstantissimis etiam artificibus hoc loquendi genus adhiberi solet. Manilius lib. 5. Astronomic. v. 475. ita de histrione:

- - - - *Solusque per omnes*

*Ibit personas, & turbam reddet in uno.*
ad quem locum digitum intendit Isaacus Vossius. Postremo id usurpabant de iis quos perdite aliquis amaret. Petronius Arbiter in Satyrico, de Fortunata Trimalcionis uxore: *Trimalcionis*, inquit, *τὰ πάντα est*. Lucianus in libello de Syria Dea: Καὶ οἱ πάντα Κομβάβος ἦν. *Eique* ( Stratonicæ ) *omnia Combabus erat.*

Putaverunt porro antiquiores Catulli interpretes, *multum* hoc loco positum esse a poeta pro maximæ atque enormis staturæ; quemadmodum cecinit Ovidius Amorum lib. 2. Eleg. 4.

*Tu, quia tam longa es, veteres heroidas æquas,*

*Et potes in toto multa jacere toro.*
Cui præiverat Homerus, fons elegantiarum omnium, Iliados lib. 7. v. 155. ita locutus:

Τὸν δὴ μήκιστον καὶ κάρτιστον κτάνον ἄνδρα.
Πολλὸς γάρ τις ἔκειτο παρήορος ἔνθα καὶ ἔνθα.

*Hunc quidem maxime procerum & fortissimum interfeci virum.*
*Multus enim jacebat extensus hinc atque illinc.*

ibid. *Naso* ] Q. Nasonis mentionem facit M. Cicero in Oratione pro A. Cluentio: & in Oratione pro L. Flacco cum *virum ornatissimum* appellat. Quapropter, hunc Nasonem de quo Catullus, alium ab illo fuisse oportet.

ibid. *Tecum multus homo est* ] Tibi ipse privato judicio faves, & vir egregius videris. Supra Carm. 22.

*Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.*

v. 2. *Descendit* ] Inclinatur, ut admissarium excipiat.

ibid. *Multus es & pathicus* ] Cum tot res agas, tot administres negotia, cinædi etiam personam pulcherrime agis, medius inter virum & mulierem: Vel multa quidem agis, sed unum hoc pateris.

Argumen. Carm. CXI. ] Cn. Pompejo Magno iterum Consule anno U. C. DCXCIX. conqueritur cum Cinna sodali suo de magna mœchorum frequentia, quos ait ante quindecim annos, cum idem Pompejus consulatum

Manserunt duo: sed creverunt millia in unum
Singula. Fœcundum semen adulterio.

CXII.

tum adeptus primum esset, duos tantum exstitisse: nunc, adeo brevi tempore interjecto, ad duo millia succrevisse.

v. 1. *Consule Pompejo primum*] Anno ab U. C. DCLXXXIV. quo Cn. Pompejus Magnus collegam habuit in primo consulatu M. Licinium Crassum Divitem. Ille autem annus die natali P. Virgilii Maronis clarus fuit.

ibid. *Solebant*] Ita veteres libri. Subaudi, *matronarum pudicitiam expugnare:* vel aliquid obscœnius, quod hic subticetur. Horatius pariter Epodo 12.

*Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum*
*Mollis opus - - -*

Terentius item Eunuc. Ac. 3. Sc. 2. v. 26.

*Ego illum Eunuchum, si opus siet, vel sobrius.*

Et Virgilius, qui ab impudicis verbis cavere solet diligenter, Ecloga 3. v. 8.

*Novimus & qui te, transversa tuentibus hircis,*
*Et quo (sed faciles Nymphæ risere) sacello.*

Quæ scriptorum testimonia producit Fridericus Taubmannus ad explicandum illud Plauti Cistellaria Ac. 1. Sc. 1. v. 38. *Viris cum suis prædicant nos solere.* allatum a Scaligero ad hunc poetæ nostri locum. Non est igitur cur auscultemus legentibus, contra codicum fidem, *sedebant*.

v. 2. *Mœchi: illo facto consule n. i.*] Achilles Statius hunc versiculum fœde corruptum ita constituit ex vestigiis antiquæ scripturæ. optime, si quid video. hæc enim lectio maxime omnium sententiæ accommodata est.

ibid. *Facto consule nunc iterum*] Videlicet anno Conditæ Urbis DCXCIX. cum eodem Crasso. Eos igitur nugari necesse est, qui Catullum annos natum triginta e vita excessisse contendunt. si enim eorum sententia vera esset, poeta noster biennio post mortem suam hoc Epigramma scripsisset. quod monuit olim Obertus Gifanius, vir doctissimus, in Prolegomenis ad Lucretium. At Isaacus Vossius nodum alia ratione expedire conatur. *Bene se habet*, inquit, *scriptura optimi exemplaris:*

*Consule Pompejo primum duo, Cinna, solebant.*
*Cæcilio facto consule nunc iterum*
*Manserunt duo - -*

*Pompejus primum Consul anno Urbis DCLXXXIV. una cum Licinio Crasso. Sequens vero annus consules habuit Cæcilium Metellum Creticum, & Q. Hortensium. Clarum itaque quid velit Catullus.* Pessimum exemplar fuit illud, meo judicio, quod tam absurdam lectionem exhibebat. Quid enim facias τῷ primum & τῷ iterum? quæ certe nemo inficias iverit ad unum eumdemque consulem pertinere. Vide quæ superius adnotavimus ad Carmen 52. ubi de Catulli ætate nonnulla diximus. Deinde τὸ *solebant*, nisi addas *mœchi*, non adulteria magis, quam alia libidinum genera significabit. Pauca porro hic, ὡς ἐν παρόδῳ, adjungere libet. Lucretius mortuus est anno ab U. C. DCXCIX. Cn. Pompejo Magno, M. Licinio Crasso iterum Coss. eo ipso die quo Virgilius annos XV. natus virilem togam sumsit. Catullus vero eodem consulatu ætatis annum agebat trigesimum alterum; natus enim fuerat anno U. C. DCLXVII. ut e Chronico Hieronymi colligitur. Apud Scriptorem igitur Vitæ Virgilii legendum est: *Et XVI. anno virilem togam cepit, illis Coss. iterum quibus natus est.* non sane XIII. ut in vulgatis; nec XVII. ut Scaligero placet.

v. 3. *Creverunt millia in unum S.*] I. e. singulis mœchis prioribus singu-

# CXII

Formianus ſaltus non falſo, Mentula, dives
Fertur. qui quot res in ſe habet egregias!

Au-

la millia recentiorum acceſſerunt, quindecim tantum annorum intervallo.

v. 4. *Singula* ] *Singulum* eſt in codice Patavino; atque ita liber Joſephi Scaligeri. quam lectionem illuſtrat vir κριτικώτατος duobus exemplis e libris deperditis M. Varronis. Exteritur autem e voce *ſingulum* ſyllaba ſeu vocalis media, ut verſus ratio conſtet.

ibid. *Fæcundum ſemen adulterio* ] Horatius, a Catullo ut videtur, Ode 6. lib. 3.

*Fæcunda culpæ ſæcula nuptias*
*Primum inquinavere, & genus, & domos.*

ut enim ait Plautus Trinummo Ac. 1. Sc. 1. v. 8. - - - - - - *Mores mali*
*Quaſi herba irrigua ſucreverunt uberrime.*

Argum. Carm. CXII. ] Cavillatur cum Mamurra, de prædiis ruſticis fructuoſis quæ in Formiano is poſſidebat, intoleranter gloriante, ac ob ea ſe locupletem haberi cupiente. Concedit enim libenter, ſaltum ipſum ſeu fundum, uberem ac divitem dici oportere; dominum tamen ejus in egeſtate ſemper jacere ait, utpote ſumtuoſum ac decoctorem.

v. 1. *Formianus ſaltus* ] Hoc Epigramma feliciter admodum a Joſepho Scaligero emendatum eſt; ut iccirco qui ab eo diſſentiunt, nugas agere mihi videantur. Nam quod ſcribit Voſſius, doctos viros, invitis omnibus libris, pro, *Firmano ſaltu*, *Formianus ſaltus*, ſubſtituiſſe; id minus me movet, qui ſciam, veteres codices non *Firmano ſaltu*, ſed *Firmanus ſalius*, vel *Firmanus ſaltus* præ ſe ferre: quæ ſcriptura, quamvis depravata, docere nos facile poteſt, recto, non auferendi caſu hoc ſcriptum fuiſſe a Catullo. Quapropter longius abeunt a fide veterum codicum qui caſum immutant, quam qui pro, *Firmanus*, legunt, *Formianus*. Deinde cum Formiis natus & educatus fuerit Mamurra in equeſtri familia, tametſi prædia poſſidere potuerit etiam in agro Firmano, *cur aliud illi prædium & ſaltum dabimus, & ſuum eidem auferemus?* ut verbis utar Joſephi Scaligeri. Adde, quod prædium hoc Formianum a Mamurra fortaſſe pignori oppoſitum fuerat, vel alia ratione creditoribus obligatum. Profecto enim *decoctor Formianus* dicitur a Catullo Mamurra Carm. 41. & *macula Formianæ* mentionem facit poeta noſter Carm. 57. quam ſane maculam ad ſaltus Formiani vel alienationem, vel ὑποθήκην pertinere, probabile eſt. Videntur igitur indocti Grammatici hunc verſiculum corrupiſſe, cum ignorarent, vocem *Formianus* per ſynæreſin triſyllabam fieri poſſe.

ibid. *Mentula* ] Hoc nomine Catullus appellat Mamurram, ob prodigioſam libidinem.

ibid. *Dives* ] Quamquam *agris divitem* proprie dixerit Horatius in Arte Poetica v. 421.

*Dives agris, dives poſitis in fænore nummis;*

tamen & ager & terra ipſa, *dives* aliquando vocatur, ſi rebus omnibus ad victum neceſſariis abundet. Ovidius lib. 2. Artis Amat. v. 263.

Dum

Aucupia omne genus, pisces, prata, arva, ferasque.
  Nequicquam. fructus sumtibus exsuperas.
Quare concedo sit dives, dum omnia desint.
  Saltum laudemus, dum modo ipse egeas.

## CXIII.

MENTULA habet instar triginta jugera prati,
Qua-

*Dum bene dives ager, dum rami pondere nutant;*
  *Adferat in calatho rustica dona puer.*

Idem lib. 1. Metamorph. v. 137.

*Nec tantum segetes alimentaque debita dives*
*Poscebatur humus - - - - -*

v. 2. *Fertur* ] Perhibetur.

v. 3. *Aucupia omne genus* ] Pro *omnis generis*. ἀρχαϊκῶς. Ita Varro lib. 1. de R. R. cap. 29. *Seminaria omne genus ut serantur*. Idem ejusdem Operis lib. 2. cap. 1. *Si hoc genus rebus non proficitur*. Et Aulus Gellius, antiquitatis retinentissimus, Noctium Attic. lib. 19. cap. 4. *Aristotelis*, inquit, *libri sunt qui Problemata Physica inscribuntur, lepidissimi, & elegantiarum omne genus referti*.

v. 4. *Nequicquam. fructus s. e.* ] Lucretius pariter lib. 2. v. 1148.

*Nequicquam: quoniam nec vena perpetinntur*
*Quod satis est, neque quantum opus est, natura ministrat.*

Et alibi sæpius.

ibid. *Fructus* ] Hinc *agri fructuarii*. Cœlius Ciceroni lib. 8. ad Famil. Epist. 9. *Agros quos fructuarios habent civitates, vult immunes esse*. Ibi tamen agri fructuarii sunt vectigales.

ibid. *Fructus sumtibus exsuperas* ] Alia est sententia M. Tullii Epist. 2. lib. 11. ad Atticum: *Fructus prædiorum abeunt in sumtus*; & Varronis lib. 1. Rei Rust. cap. 8. de vineis quæ coluntur in agro arboribus destituto: *sumtu fructum devorant*. quamquam huic Catullianæ similes videantur. Agit enim utraque de prædiis & vineis sumtuosis, quæ scilicet non nisi magno sumtu fructum ferunt: non de hominibus luxuriosis, & rem suam temere prodigentibus.

v. 6. *Saltum laudemus* ] Laudabantur enim a veteribus alienæ possessiones, ad invidiæ suspicionem declinandam. Virgilius lib. 2. Georg. v. 412. *Laudato ingentia rura: Exiguum colito*.

ibid. *Dum modo* ] Ita MSS. ut hiatus relinquatur post τὸ *modo*. Vulgatæ editiones, *Dum tamen*, audaci & infideli mutatione.

ARGUM. CARM. CXIII. ] Hujus Epigrammatis idem fere argumentum est quod superioris. Mamurræ scilicet, de Formiano saltu, tamquam de ingentibus divitiis, præter modum gestientis ac se insolentius jactantis ferocitatem Catullus comprimit, objectis ei ganeis atque immodica luxuria, qua fiat ut paupertatem effugere nullo modo possit.

v. 1. *Instar t. j. prati* ] Nempe jugera pascua, in quibus non fruges, non uvæ aut poma, sed fœnum tantummodo colligatur. Virgilius lib. 2. Æneid. v. 15.

*Instar montis equum divina Palladis arte*
*Ædificant - - -*

Quadraginta arvi. cetera sunt maria.
Cur non divitiis Crœsum superare potis sit,
Uno qui in saltu totmoda possideat?

Pra-

nempe, qui mole montem æquaret. οἷον ὄρος.

ibid. *Jugera* ] Jugerum quid esset, sic explicat Varro lib. 1. de R. R. cap. 10. *Versum dicunt centum pedes quoquoversum quadratum. Jugerum, quod quadratos duos actus habeat. Actus quadratus, qui & latus est pedes CXX. & longus totidem. is modus acnua Latine appellatur.*

v. 2. *Cetera sunt maria* ] Lacunæ, piscinæ, stagna ingentia. Nam & Neroni, ut narrat Suetonius in ejus Vita cap. 30. fuit *stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad urbium speciem.* Vide Martialem Epigr. 30. lib. 10. Vel (quod verius existimo) opes exaggeratæ, possessiones mirificæ. Homines enim a pecunia imparati magnifica verba plerumque in ore habent; ut ille Q. Curius apud Sallustium Catilina cap. 24. qui *quum Fulvia mulieri nobili, cum qua stupri vetus consuetudo ei erat, minus gratus esset, quod inopiâ minus largiri poterat, repente glorians, maria montesque polliceri cœpit, minari interdum ferro, nisi obnoxia foret.* propterea Catullus *minacem* appellat Mamurram hujus Carminis versu postremo. *Maria* igitur sunt res miræ; cum Homerus quoque ἅλα δῖαν, *mare divinum*, sæpius vocet.

v. 3. *Divitiis Crœsum superare* ] Crœsus Lydiæ rex poetis divitiarum exemplum est: ut, contra, Irus, egestatis. Propertius Elegia 5. lib. 3.

*Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.*

Sed fortasse Veronensis noster scripserat, *Crassum superare potis sit.* quemadmodum Cicero locutus lib. 1. ad Atticum Epist. 4. *Quod si assequor, supero Crassum divitiis, atque omnium vicos & prata contemno.*

v. 4. *Uno q. in saltu t. p.* ] Suspicor, saltum illum perexiguum fuisse, at domini loquacitate factum, ut multo amplior putaretur quam re ipsa esset. Porro, in hujuscemodi prædium lusit Cicero sequenti disticho:

*Fundum Varro vocat quem possim mittere funda,*
*Ni tamen exciderit qua cava funda patet.*

Martialis præterea lib. 11. Epigr. 18.

*Donasti, Lupe,* inquit, *rus sub urbe nobis,*
*Sed rus est mihi majus in fenestra.*

lege reliqua, si vacat, lepida sane ac jocosa. Quid, si dixeris, a poeta nostro μεταφορικῶς Julii Cæsaris potentiam saltum a Catullo appellari, in quo saltu Mamurra montes & maria possideret, prata, arva, silvas, saltus, paludes, usque ad Hyperboreos, & Oceanum, ad quem Cæsaris arma & victoriæ pervenerant? Nondum a me impetrare potui, ut hanc suspicionem ponerem. Certe Plinius Panegyrico Trajani cap. 50. priorum principum divitias rapinis quæsitas ita perstringit: *Non enim exturbatis prioribus dominis, omne stagnum, omnem lacum, omnem etiam saltum immensa possessione circumvenis: nec unius oculis flumina, fontes, maria deserviunt. Et quid Cæsar non suum videat?* Denique potuit Catullus vocabulo *saltus* nefandas Cæsaris & Mamurræ libidines non obscure significare, de quibus vide superius, Carmen 57. Sane Plautus Casina Ac. 5. Sc. 2. v. 41. eodem pacto usurpavit:

*Ubi illum saltum video obseptum, rogo ut altero sinat ire.*

Quis

Prata, arva, ingentes silvas, saltusque, paludesque
Usque ad Hyperboreos, & mare Oceanum.
Omnia magna hæc sunt: tamen ipse est maximu' ultro;
Non homo, sed vere mentula magna, minax.

CXIV.

Quis autem ignorat, quanta veteres illi tyranni cinædis & pædiconibus suis largiri soliti essent?

ibid. *Totmoda* ] Ita libri scripti; ut Scaliger testatur: cum quibus consentit codex Patavinus. *Totmoda* vero, ut ego quidem existimo, antiqui Latini compendio pronuntiabant pro *tot commoda*; quo pacto *sis* pro *si vis*; *sodes* pro *si audes*; *sirempse* pro *similem re ipsa*; *cauneas* pro *cave ne eas*; & alia similia nonnulla.

v. 5. *Saltusque* ] Res mira, *saltus in saltu*. verum hæc vox aliquando ingentem possessionem, aliquando locum pascuum & silvosum significat.

ibid. *Paludesque* ] Hypermetro versu perbelle exprimit Catullus Mamurræ vanitatem atque ementitas divitias.

v. 6. *Usque ad Hyperboreos* ] Αὔξησις & ὑπερβολὴ, quales amant poetæ. Vel hic versus cum sequenti, non eum antecedenti conjungendus, ut sententia sit: omnia hæc quæ Mamurra possideat, magna esse, famaque celebrari usque ad remotissimas extremasque terras: ipsumque præterea, scortatorem helluonemque maximum, longinquis nationibus innotuisse.

ibid. *Hyperboreos* ] Populos ad septemtrionem sitos, quorum *regio Hyperborea vocatur ab eo quod flatus Borea excedat*, ut docet Philargyrius ad illa Maronis 3. Georgic. v. 381.

*Talis Hyperboreo septem-subjecta-trioni*
*Gens effrena virûm Rhipæo tunditur Euro.*

ibid. *Et mare Oceanum* ] Sic liber Patavinus. recte, meo judicio. Vulgatæ editiones, *mare ad Oceanum*. Ita vero Cæsar de Bello Gallico lib. 3. cap. 7. *P. Crassus*, inquit, *adolescens cum legione septima proximus mare Oceanum Audibus hiemabat*. Et Cornelius Tacitus Histor. lib. 4. cap. 12. *Batavi . . . . . . . . insulam inter vada sitam occupavere, quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit*. Eodem pacto dixit Horatius Ode 4. lib. 4. *Testis Metaurum flumen*. & Arte Poetica v. 18.

*Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.*

v. 7. *Tamen ipse est maximu' ultro* ] Probo Scaligeri conjecturam ita legentis. *Lustro* est qui sectatur meretrices in lustris prostantes. quos homines etiam gancones & popinones appellabant. In codicibus MSS. prave legitur: *tamen ipse si maximus ultor*. quæ lectio si cui placuerit, poterit is locum ita explicare: Mamurra cum Hercule ipso comparandus est, non rerum quidem gestarum magnitudine, sed libidinibus & stupris; quo genere etiam, Herculem excelluisse fabulæ tradunt. Hic porro deus, *maximus ultor* vocatur a Virgilio Æneid. lib. 8. v. 201.

- - - - - *Nam maximus ultor,*
*Tergemini nece Geryonis spoliisque superbus,*
*Alcides aderat.* - - - - - - -

ut idem Statius animadvertit.

v. 8. *Non homo, s. v. m. m. m.* ] Nævius Togularia:

*Abi, deturba te saxo, quisquilia, non homo.*

Cicero ad Atticum Epist. 18. lib. 1. *Metellus non homo, sed litus, atque aer, & solitudo mera*. Idem ad eumdem Epist. 13. lib. 7. *L. Cæsarem vidi Minturnis . . . . . . . . non hominem, sed scopas solutas.*

ibid.

# C X I V.

Sæpe tibi studioso animo venanda requirens
Carmina uti possem mittere Battiadæ,

Queis

ibid. *Sed vere* ] Codex Patavinus: *sed vero.* quod rectum est.

ibid. *Sed vere m. m. m.* ] Illud Longi simillimum lib. 4. Ποιμενικῶν. Ὁ δὲ Γνάθων, inquit, οἷα μαθὼν ἐσθίειν ἄνθρωπος, καὶ πίνειν εἰς μέθην, καὶ οὐδὲν ἄλλο ὢν ἢ γνάθος, καὶ γαστὴρ, καὶ τὰ ὑπὸ γαστέρα. i. e. *Gnatho autem, utpote homo edoctus edere & ad ebrietatem usque se ingurgitare, neque aliud quam maxilla, venter, & quod sub ventre.* Petronius in Satyrico de quodam pulchre peculiato: *Habebat enim inguinum pondus tam grande, ut ipsum hominem laciniam fascini crederes.* Cum quo concinit Arnobius lib. 6. prope finem: *Genitalibus propriis inferior Priapus.* De statuis pusillis enormia pudenda præferentibus, quas νευρόσπαστα vocabant, vide Lucianum in libello de Syria Dea. Hi autem homines insigni salacitate dicuntur a Græcis ἀνδροσάθαι. Ceterum, ut Catullus Mamurram, mentulam, non hominem, ita Juvenalis Sat. 4. v. 107. obesum senatorem, ventrem appellat:

*Montani quoque venter adest abdomine tardus.*

Et Satyra 3. v. 167. *servorum ventres* dixit pro servis edacibus. quod ab Hesiodo videtur sumsisse: is enim Theogoniæ v. 26. ita de pastoribus: γαστέρες οἶον. *ventres solum.*

ibid. *Minax* ] Auctor liberi Carminis Epigr. 29.

*Falce minax, & parte tui majore, Priape.*

Columella pariter de Cultu Hortorum versu 13.

- - - - *Numen venerare Ithyphalli*
*Terribilis membri, medio qui semper in horto*
*Inguinibus puero, prædoni falce minatur.*

Scaliger existimat, *minacem* a Catullo usurpari pro inepte glorioso, & bona sua verbis extollente. Sane, *minari*, interdum significat *promittere*. Horatius Epist. 8. lib. 1. v. 3.

- - - *Dic multa & pulchra minantem*
*Vivere nec recte, nec suaviter* - - -

Et fortasse apud Virgilium Æneid. lib. 4. v. 88. *minæ murorum ingentes*, sunt *ingentes muri*, quos Dido se excitaturam olim promiserat atque ostentaverat, postea vero interruperat, in otium & lasciviam soluta.

Argum. Carm. CXIV. ] Poeta noster acerbis famosisque carminibus, ad Callimachi lucernam elucubratis, Gellii nequissimi hominis improbitatem & maledicta sæpius retuderat. cum autem ille nullum obloquendi & lacessendi finem faceret, ait Catullus, tela quæ in ipsum adversarius jaciat, ne summam quidem cutem perstringere, ac facile depelli posse; iis autem quæ ipse in Gellium conjecerit, & porro sit conjecturus, ni alter a maledicendo desistat, vulnera non sanabilia infligi solere.

v. 1. *Studioso animo venanda* ] Quorum sententiis obscurioribus & non vulgarem doctrinam continentibus, eruendis declarandisque ingenium tuum exerceres atque otium oblectares. Pari translatione utitur Cicero lib. 5. de Finibus. *Maxima autem sunt*, inquit, *primum, ut mihi quidem videtur,* &

Queis te lenirem nobis, neu conarere
 Telis infesto mî icere, musca, caput:
Hunc video mihi nunc frustra sumtum esse laborem,
 Gelli, nec nostras hinc valuisse preces.

Con-

*& iis quorum nunc in ratione versamur, consideratio cognitioque rerum cælestium, & earum quas a natura occultatas & latentes indagare ratio potest.* Eidem scriptori lib. 1. de Nat. Deorum, *Physicus* dicitur, *natura speculator venatorque*.

ibid. *Requirens uti possem mittere* ] Mecum ipse cogitans, qua tandem ratione versibus genium & stilum Callimachi referentibus munerari te possem.

v. 2. *Carmina Battiadæ* ] Callimachus Cyrenæus, *Battiades* propterea dictus fuit, quod Batti cujusdam filius esset: vel a Batto Theræo Cyrenes conditore. Scripsit plurima, in quibus poema obscurum & contumeliis plenum adversus Apollonium Rhodium, cujus Argonautica & hodie sunt in manibus. Id poema Ibin appellavit ab ave Ægyptia hujus nominis: quod Ovidius apud Latinos imitatus est. Suidas in Lexico, ubi de Callimacho: Ἐστὶ δὲ ποίημα ἐπιτετηδευμένον εἰς ἀσάφειαν καὶ λοιδορίαν εἴς τινα Ἶβιν, γενόμενον ἐχθρὸν τοῦ Καλλιμάχου· ἦν δὲ οὗτος Ἀπολλώνιος, ὁ γράψας τὰ Ἀργοναυτικά. *Est autem poema dedita opera scriptum obscure & contumeliose in quemdam Ibin, inimicum Callimachi. erat autem hic Apollonius, qui scripsit Argonautica.* Ovidius pariter in Ibide v. 55.

*Nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin,*
 *Hoc ego devoveo teque tuosque modo.*
*Utque ille, historiis involvam carmina cæcis;*
 *Non soleam quamvis hoc genus ipse sequi.*

v. 3. *Queis te l. n. n. c.* ] Versus gravissimus, utpote e spondæis tantum compositus; quo conatus mirum in modum exprimitur.

ibid. *Te lenirem nobis* ] Demulcerem, placarem, commitigarem. sunt enim homines pusillo & abjecto animo, quos injuriæ magis quam beneficia a ferocitate ad mansuetudinem traducunt. Contra Propertius Elegia 18. lib. 1.

*Quid tantum merui? quæ te mihi carmina mutant?*

i. e. ex miti asperam & difficilem reddunt.

ibid. *Conarere* ] Cicero in Verrem Orat. De Signis cap. 41. *Ut conarere clientelam tam illustrem tam splendida provincia transducere ad te.*

v. 4. *Infesto* ] Periculi pleno, qnem lædere impune non licet. sic *iter infestum & periculosum* apud Ciceronem.

ibid. *Musca* ] Impudentis & molesti hominis ἱερογλυφικὸν apud Ægyptios musca fuit, quemadmodum tradunt Horus & Joannes Pierius Valerianus.

v. 5. *Sumtum esse laborem* ] Contra Cicero lib. 2. Officiorum non procul ab initio: *Ille enim requiescens a republica pulcherrimis muneribus, otium sibi sumebat aliquando.*

v. 6. *Nostras hinc valuisse preces* ] Editiones nonnullæ, *huc valuisse*: nempe, hoc efficere potuisse, ut ab inferenda injuria desisteres. *Preces* autem hic sunt *Diræ*, seu vota diis suscepta, ut inimicum perdant. Horatius *Thyesteas* appellavit Epodo 5. v. 86. *Misit Thyesteas preces*; quibus videlicet Thyestes Atreum fratrem devovit.

v. 7.

Contra nos tela ista tua evitamus amictu:
At fixus nostris tu dabi' supplicium.

v. 7. *Tela ista tua evitamus amictu* ] Seneca libro de Constantia Sapientis c. 7. *Non minus latro est*, inquit, *cujus telum opposita veste elusum est*. Idem Epist. 53. *Nullum telum in corpore ejus* ( philosophiæ ) *sedet. munita est solidaque. quadam defatigat, & velut levia tela laxo sinu eludit : quadam discutit, & in eum usque qui miserat, respuit.* Non dissimile est quod scribit Lucanus de elephanto lib. 6. v. 207.

*Getulus densis elephas oppressus ab armis*
*Omne repercussum squallenti missile tergo*
*Frangit, & hærentes mota cute discutit hastas.*
*Viscera tuta latent penitus, citraque cruorem*
*Confixæ stant tela feræ. - - -*

Gellii tela seu maledicta irridet Catullus tamquam hebetiora & infirmo lacerto projecta. Dum hæc lego, videor cernere Priamum adversus Pyrrhum languide insurgentem, quem divinus Maro ita nobis ob oculos ponit lib. 2. Æneid. v. 544.

*Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu*
*Conjecit: rauco quod protenus ære repulsum,*
*Et summo clipei nequicquam umbone pependit.*

v. 8. *Tu dabi' supplicium* ] Debitas pœnas lues. Plautus Asin. Ac. 2. Sc. 4. v. 75. *Dabitur pol supplicium mihi de tergo vestro*. Idem Epidico Ac. 5. Sc. 2. v. 59.

*Numquam, hercle, hodie, nisi supplicium mihi das, me solvi sinam.*


Terentius Eunucho Ac. 1. Sc. 1. v. 24.

*Et te ultro accusabis, & dabis ei ultro supplicium.*

Cicero lib. 2. de Inventione: *Atque hic utilitatis judiciorum demonstratio, & de eo conquestio qui supplicium dederit indemnatus. in ejus autem qui sumserit, audaciam & crudelitatem, indignatio.* Denique Cornelius Nepos Agesilao cap. 5. *Illa multitudine, si sana mens esset, Græcia supplicium Persas dare potuisse.*

FINIS COMMENTARII
JOANNIS ANTONII VULPII
IN C. VALERIUM CATULLUM.

Μόνῳ τῷ Θεῷ τιμὴ καὶ δόξα.



I N-

# I N D E X

## OMNIUM VERBORUM & LOCUTIONUM

### Quæ in Poematis

# C. VALERII CATULLI

CONTINENTUR; CUI ADJECTÆ SUNT IDEMTIDEM EXPLICATIONES GRAMMATICÆ, HISTORICÆ, GEOGRAPHICÆ, AC MYTHICÆ:

CONFECTUS CURA ET STUDIO

## JO: ANTONII VULPII.

*Post singulas voces aut locutiones, prior numerus commate sequente notat Carmen: qui sequitur unus, aut plures usque ad τελείαν στιγμὴν sive punctum, indicant Versus: atque ita deinceps eodem ordine.*

A.

ad-

ami-

anti-

anti-

aspi-

auſpi-

B.



bo-

colo-

con-

cor-

 de-

die-

duro

esse

F.

fit.

G.

## H.



he-

idem

in-

juncta

L.

nave.

locu-

magi-

mare

mor-

## N.

non

nul-

ocu-

opti-

## P.

pa-

Pom-

præ-

quod

R.

rictum

S.



sagit-

ser-

ſopi-

tepi-

ton-

tua

V.

Veran-

vivis

uva



# INDEX II. AUCTORUM,

## Qui in Novo

# COMMENTARIO ad CATULLUM

*laudantur, illustrantur, emendantur, notantur.*

A

## B



## C



## D



Den-

E



F



G



HA-

H



I



K



L



M

N



O



P



*Phi-*

Q



R



S



IN-

Vale-



IN-

# INDEX III.

## RERUM ET VERBORUM

### Quæ in Novo

## COMMENTARIO ad CATULLUM

*afferuntur, & explicantur.*

### A



ἀνα-



Bac-

B



C



capta-

Dæmo-

D



E

fru-



La-

L



M

mul-

pla-

Q

scele-

ve-

Xeno-




Erra-

## *Errata quædam typographica ita corriguntor.*

Pagina 76. columna 2. linea 13. pro *palimpsestum* lege *palimpsestus*. pag. 178. col. 2. lin. 20. pro *Agatarchides* lege *Agatharchides*. pag. 205. col. 2. lin. ult. pro *Trimalcione* lege *Trimalchione*. pag. 270. col. 2. lin. 13. & 14. pro *conditum* lege *condita*. pag. 458. versu 5. pro *Thetys* lege *Tethys*; atque ita in Commentario col. 2. lin. 29.



PATAVII. CIↃIↃCCXXXVII.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.



